THEOPH. CHR. HARLES OPUSCULA VARII ARGUMENTI. ACCEDUNT...

Gottlieb Christoph Harless



Digitized by Google


BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
6 K
32

10067

Feller

Digitized by Google

1.

Digitized by Google





Digitized by Google

THEOPH. CHR. HARLES
OPVSCVLA
VARII ARGVMENTI.

ACCEDVNT

SPECIMEN THESAVRI

EPISTOLICI

SCHWARZIANI

ET ALIA.

J. P. Krebs. 824.



HALAE,

APVD IO. IVST. GEBAVERI VIDVAM ET FILIVM.

cIↄ Iↄ CCLXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

FRIDERICO HENRICO DE WECHMAR

SERENISSIMO PRINCIPI MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO VTRIVSQVE PRINCIPATVS A CONSILIIS INTIMIS CONCILII AVLICI ET REGIMINIS NEC NON IMPERIALIS IVDICII PROVINCIALIS PRAESIDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Tanta eſt TVORVM,

VIR PERILLVSTRIS,

meritorum de patria, de re litteraria, noſtraque litterarum Vniuerſitate multitudo, vt illorum cogitatio iam ab eo tempore,

 quo

Digitized by Google

quo in patriam redii, mihique TE coram venerari, TVASque virtutes, id, quod omnes boni faciunt, propius admirari licuit, quaſi quaedam admonitio ſit officii, vel potius efflagitatio ad pietatem meam TIBI palam teſtificandam. Quantum vero TVAE prudentiae curaeque patria debeat, omnibus notum eſt, et amorem erga noſtram muſarum ſedem et re et verbis ſaepius declaraſti. Is enim in TE reſidet litterarum amor, vt vel grauiores curae aliaque muneris ampliſſimi officia ab illis TE numquam auellere poſſint, TVque, quidquid ad illas amplificandas ornandasque, et ad ingenia excitanda alendaque faciat, conferas lubentiſſime. Neque vero illas tantum modo litteras, quae viro

ro

Digitized by Google

ro in republica verſanti ſummisque fungenti honoribus, ſcitu neceſſariae videantur, ſed illas quoque, quae ab humanitate nomen habent, mire amas et ipſe ornas. Quare hoc opuſculum, in quo pro virium mearum tenuitate aut meum litterarum elegantiorum amorem ſtudiumque teſtari, aut difficilioribus veterum humanitatis ſtatorum locis quamdam adfundere lucem adniſus ſum, TIBI, tanto et tam acuto antiquae ſapientiae iudici, dedicare eo minus dubitaui, quo clariora TVA exſtant merita, quo maiori ornamento et commendationi vel nomen TVVM huic erit libro, quo denique mihi certius eſt de TVA erga me lenitate. Neque enim, quum in tam alto illuſtrique loco, quo collocatus ſplen-

Digitized by Google

descis, erga omnes sis humanus et facilis, TVAMque beneuolentiam mihi iam declarasses, verendum mihi esse arbitror, vt mihi, qui ad meam in TE pietatem palam testificandam nomini TVO illustrissimo hunc inscribam libellum, beneuole ignoscas. Accipe igitur, VIR PERILLVSTRIS, leue hoc meae aduersus TE religionis monumentum ea, qua soles, comitate et lenitate, measque res, si preces addere licet, TVAE fidei curaeque, oro rogoque maximopere, habeas commendatas. Scrib. Erlangae d. XIIII. Sept. cIↃ IↃ CCLXXIII.

PRAE-

Digitized by Google



PRAEFATIO.



Quod plurimis libellis minoribus accidere ſolet, id meorum, quos per varias occaſiones edidi, quoque fuit fatum. Pauca plerumque formulis typographicis deſcribuntur exemplaria, quae facile diſperſa in paucorum manus et notitiam veniunt: et tamen ſunt,

Digitized by Google

ſunt, qui illa deſiderent. Quare, etſi mea mihi non adeo placeant, vt, ea eruditis placere aut ad litteras ornandas conferre multum, arroganter putem: tamen, vt voluntati quorumdam virorum doctiſſimorum ſatisfacerem, quasdam ſchedas vno volumine comprehenſas iterum machinis exſcribendas curaui, et quaedam alia, quae ab inſtituto non abhorrerent, addidi. In commentationibus, quas alio iam tempore conſcriptas iuris feceram publici, nam quaedam, praeſertim tirocinio litterarum vix poſito, a me ſcriptae, vel ſecundis curis indignae videntur, vel maius, quam hoc tempore erat, otium poſtulant, omnia retractaui, multa correxi, aut reſecui, aut multis haud raro adceſſionibus factis amplificaui, et quaedam particulae plane nouae videbuntur. In proluſionibus de Pedantiſmo et Galantiſmo (verbis ſit venia) ideo multa, praeſertim quae ad criticam vtramque pertinent, fuſius diſputaui,

Digitized by Google

taui, quod iuniores critices et philologiae non minus quam linguae patriae et philoſophiae ſtudioſos, vidi, a recta via ſaepius aberrare, quos, quantum per me fieri poteſt, ad veterem diſciplinae ſeueritatem et ſobrietatem reducere ſtudui. Seria igitur iocis miſcere, haud inutile mihi quidem videbatur. In ſpecimine variarum lectionum e Codice Hamburgenſi deſumtarum, Codices ab aliis interdum non ſatis diligenter excuſſos, ſed largum lectionum ſpicilegium eſſe ſaepius relictum, intelligent critices periti. Quae de Homeri theologia haud raro timide ſcripſi, re adeo obſcura atque difficili, multa forſan plenius aut rectius diſputaſſem, ſi praelectionem ſagaciſſimi et celeberrimi *Heynii* p. 387. laudatam, quam quidem oculis nondum vſurpaui, legere potuiſſem. Iis autem locis, quae de anima mundi agunt, addi poteſt elegantiſſimus Virgilianus Georg. IIII. 219-225, (ad quem locum vide cel. Heyne)

PRAEFATIO.

His quidam signis atque haec exempla sequuti,
Esse apibus partem diuinae mentis, *et haustus*
Aetherios dixere. Deum namque ire per omnis
Terrasque tractusque maris, caelumque profundum.
Hinc pecudes, *armenta*, *viros*, *genus omne ferarum*,
Quemque sibi tenuis nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia: nec morti esse locum sed viua volare
Sideris in numerum, *atque alto succedere caelo.*

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Vbi verſu vltimo, *ſideris in numerum* forſan poſſumus interpretari in ἁρμονιαν motumque ſiderum, quae quidem ab eadem mundi anima mouentur: et de coeleſti muſica n. VIII. vberius diſſerui. In proluſione de conditione atque auctoritate feminarum etc. addere oblitus ſum, quae Stauerius ad Cornelium Nepotem Ageſ. I. 2. in minore editione notauit, publicae Ephororum cuſtodiae regum vxores fuiſſe traditas, ne ex alio, quam ex Heraclidis rex naſceretur: isque laudat Platon. Alcibiad. I. pag. 441. et Spanhem. ad Iulian. Imper. Orat. I. pag. 132. *Kappii* mei emendationes criticas Cornelii lectoribus valde vtiles fore, et praecipue emendationem loci difficillimi pag. 465. felicem aeque ac ingenioſam viris doctis probatum iri, fauſtis ominibus, auguror. Quod denique epiſtolas aliquot *Schwarzii*, ornamenti quondam

Vni-

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Vniuerſitatis Noricae illuſtris, et ab aliis ad illum miſſas ſubiunxi, id eo conſilio feci, quod doctiſſimorum hominum voluntatem exploraturus ſum, num conſilium edendi theſauri epiſtolici Schwarziani explicare debeam, nec ne? Meae nimirum fidei Vir de me immortaliter meritus, cel. *Ioan. Nicolaus Weiſſius*, Profeſſor in Altdorfina Vniuerſitate doctrinae ampliſſimae non magis quam artis medicae fama maxime conſpicuus, ſocer meus pie venerandus, cuius memoria mihi ſemper erit dulciſſima, omnes *Schwarzii*, ſoceri ſui, epiſtolas vel ab ipſo, vel ab aliis ad illum exaratas commiſit: quod quidem maximum eius in me amoris documentum cum ſumma pii gratique animi teſtificatione agnoſco. In quibus litteris quum multa de Plinio aliisque, de antiquis litteris aut hiſtoria docte diſputantur, in animo mihi eſt, commercium epi-

ſtoli-

Digitized by Google

ſtolicum Schwarzianum publici iuris facere. Eas vero tantum modo litteras delecturus ſum, in quibus res eruditae tractantur, omiſſis iis, quae res plane domeſticas aut eruditis ſcitu haud iucundas neceſſariasue continent, aut a Cel. *Willio*, itidem Profeſſore Altdorfino in tribus particulis commercii epiſtolici Noribergenſis (operis ſane vtiliſſimi) Altdorfii 1756-1758. iam publicatae ſunt. Quod meum conſilium ſi probauerint viri cordati, quam primum paululum otii, quo in praeſenti careo, nactus fuero, omnia in ordinem redigam, et prelo ſubiici faciam. Me vero omnia b. *Schwarzii* aliorumque de viris doctis iudicia non vbiuis mea facere, atque iudicium de duobus viris celeberrimis infra ab illo latum, iniquius mihi videri, aequi lectores mihi credent lubenter. De reliquis, quas hoc volumen complectitur, proluſionibus,

Digitized by Google


quod ab initio ſingularum, quae monenda viſa fuerint, ſtatim ſubieci, non eſt, quod plura addam. Errores quosdam typographicos, quos, me abſente, irrepſiſſe, opuſcula leuiter recognoſcendo, vidi et aegerrime tuli, ſub finem libri indicabo: reliquos ipſe, L. B. emendes eosque, et quos ego ipſe commiſiſſe, aut vbi opinioni et exſpectationi TVAE non ſatisfeciſſe, TIBI videbor, infirmitati humanae ignoſcas quaeſo. TV vero his, ſi placet, fruere laboribus, mihique faue. Scripſi Erlangae d. XIII. Sept. CIↃ IↃ CCLXXIII.

M. THEOPH. CHRIST. HARLES.

SERENISSIMO MARGGRAVIO ONOLDINO A CONSILIIS AVLAE ET P. P. O. RHETORICES AC POESEOS IN FRIDERICO-ALEXANDRINO.

I. DE

Digitized by Google



I.

DE PEDANTISMO PHILOLOGICO.

PROOEMIVM.



Quas prolusiones de Pedantismo et Galantismo typis repetendas nunc curo, eas Coburgi olim conscripseram, et primam quidem cIↃIↃCCLXV, vbi prouinciam vtriusque linguae in *Gymnasio* academico docendae susceperam; reliquas vero ann. cIↃIↃCCLXVII et cIↃIↃCCLXVIII. quum pro muneris mei ratione orationes aliquot publice habendas indicerem. Atque illas diuersis concinnatas esse temporibus, quamquam multa mutaui, multa correxi et addidi, lector facile intelliget. Illa autem argumenta ideo pertractanda sumseram, quod a nonnullis hominibus, vel nostra adhuc aetate, vidi, et peruerse tractari veterum monumenta litterasque elegantiores, et suis exemplis ingenia iuniorum, quorum gratia de quibusdam rebus, ad philologiam et humanitatem per-

 tinen-

Digitized by Google

tinentibus, meam copiosius dixi sententiam, corrumpi, a veraque ad sobriam eruditionem via ad anfractus minutiarumque atque argutiarum studium abduci. Ridendo autem verum dicere, quid vetat? Me vero, non adeo arrogans sum et superbus, vt credam, viros doctos et prudentes noua docere: monere tantum incautos volui iuniores. Pariter me doctrinarum, quarum tantum abvsum culpo, non esse osorem, neque inter philologos solummodo dominari pedantismum, locis ostendi pluribus: et num a Galantismo multi, qui neque philologi neque philosophi audiunt, immunes sint; alii videant. Ego vero non primus sum, qui de Pedantismo ac Galantismo scripserim. Namque anno decimo quinto huius saeculi *Charisius ab Amicis* (sub quo nomine latere voluit Io. Georg Walchius, tunc Magister Lipsiensis, nunc Professor Ienensis celeberrimus) edidit epistolam philologicam de Paedantismo et Galantismo L. L. Cosmopoli (h. e. Lipsiae,) et Galli cuiusdam, cuius vero nomen memoria excidit, commentationem de pedantismo superiori saeculo gallice scriptam videre memini. Werenfelsium, Menkenium, Klotzium aliosque multa quoque multorum doctorum hominum vitia atque infirmitates, (a quibus tamen nemo mortalium liber est,) aperte iocoseque palam fecisse, fugiet neminem. Enimuero historiam Pedantismi ac Galantismi conscribere nolo.

SECTIO I.

Vt illi, qui in Casimiriano nostro munus publicum capesserent, ad sui commendationem et rationem consiliorum disciplinaeque reddendam, in prolusione quadam suos indicerent labores, eoque magistratui, quid de ipso sperare posset, facerent copiam, quum a maioribus nostris bene ac prudenter institutum est et sancitum, atque a nutritoribus Serenissimis sapienter firmatum: huic ego instituto et laudabili consuetudini vt satisfaciam, eo minus recusabo, quo plus mihi adfertur ornamenti pariter atque volu-

Digitized by Google

voluptatis. Sola enim prouida Dei cura munitus, nullis imaginibus ſplendeſcens, nullis validis et opulentis cognatis ſtipatus atque adiutus, in ciuitatem delatus ſum, in qua a multo iam tempore manſuetiores non minus quam ſeueriores litterae tam floruerunt, quam munificos inuenerunt nutritores, qui ſuo numine litterarum protegerent cultores, iisque honores ac praemia ad gratiam et ad opes exponerent. Veni in vrbem et antiquitate, et auctoritate, et hominum multitudine, celebrem et liberaliſſimis ſtudiis affluentem, quae praeter ea ſedes eſt Principis Indulgentiſſimi, et quae propter regionis amoenitatem, aeris temperiem agrique fertilitatem iucunda eſt atque ſalubris. Eas litteras docere iubeor, a quibus ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruiſſe. Muneri admotus ſum, quo ante me viri et doctrina et ingenio excellentes functi ſunt: quorum quidem eruditionis gloriae adipiſcendae quamuis me, qui mearum virium exiguitatis probe ſim conſcius, ideoque paullo timidior reddi videar, imparem eſſe cenſeam; illa me tamen acuet forſan ad maiorem alacritatem in officio, mihi demandato, omni cura, ſtudio et diligentia obeundo. Nulla enim re homines, videmus, ad labores ſuſcipiendos egregiaque facinora perpetranda magis duci, quam aemulatione aliorum laudisque cupiditate. Factum vero eſt, moderante numine diuino, vt iuſſu Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini ERNESTI FRIEDERICI, Ducis Saxoniae etc. Domini noſtri clementiſſimi, Palladii noſtrarum muſarum verique exempli indulgentiſſimi, pii et religioſi principis, Erlanga huc euocarer, vt viam ciuibus munirem Caſimirianis ad facultatem vtriusque linguae et litterarum Orientalium conſequendam. Neque tamen huic me prouinciae diu praeeſſe viſum eſt ſupremo numini, quum in me poſt obitum Crameri, viri poſt fata quoque celebris, mutatione in noſtro Caſimiriano facta, munus Doctoris eloquentiae et Graecarum litterarum conferretur. Alii igitur mihi ſunt iniuncti labores; alia erit inſtituti et officii ra-

Digitized by Google

tio. Atque ego, munere vt fungar, mecum conſtitui, auxilio Dei fretus, ciuibus vtriusque coetus lectiſſimis per ſemeſtre hoc hibernum ſequentes offerre ſcholas et publice et priuatim habendas. (Quas quidem hic indicare et repetere, ſuperuacaneum eſſe arbitror.)

Ad quas cum vtilitate quadam atque iucunditate inſtituendas, vt Deus T. O. M. ſua clementia, Superiores ſuo fauore et patrocinio, atque auditores ſuo amore animique intentione adſint, in ſummis habeo votis. Mihi vero has recitationes indicturo, quum argumentum, quod commentatione quadam illuſtrarem, deligendum eſſet, a muneris ratione haud alienum fore mihi videbatur, ineptias et vitia, in quae haud pauci philologi vel nimia arrogantia occoecati, vel ſuperbia elati, vel nimio noui aut minutiarum aut vnius tantum diſciplinae ſtudio inflammati vel peruerſa vſi doctrina, incidere ſolent, recenſere, deuiosque anfractus, quos illi ſequuntur, aperte detegere; quod vitium ſi *Pedantismum philologicum* nominauero, nihil noui nec antea inauditi dixiſſe me arbitror. Ego vero in hac materia tractanda ita verſabor, vt neminem conſilio laeſiſſe, aut intemperanter laceraſſe videar; ſed vitium tantum palam faciam, et, quibus remediis illi occurrere mederiue poſſit litterarum cupidus, praecipue, cui viam ad eruditionem munire et vtilis eſſe debeo, iunior adultusue, ea oſtendam, quin homini ipſi, illo vitio infecto, labem vllam atque infamiam adferam. Nolo enim vlli moleſtus eſſe. Quare in hac praeſertim ſectione nulla exempla, quorum tamen magna adhuc eſt copia, ex litterarum hiſtoria excitaui; multo minus homines adhuc viuos ſuaque ſuperbientes gloriola, nominaui. Mari enim Aegaeo me tradere, aeque periculoſum ac in imminuenda infringendaque aliorum, praecipue viuorum hominum, quorum tamen merita alia non obſcura ſunt, gloria gloriolam quamdam, haud ſane ſolidam veramque, ſed fragilem et ventoſam quaerere, inhoneſtum videbatur. In hac vero prima parte, omnia enim vitia pedantismi philo-

philologici in praesenti persequi, neque in animo fuit, neque praescriptus plagellarum numerus id permisit, eas ineptias eaque deuia, in quae homines haud raro delabuntur, qui philologi siue critici sacri audiunt, breuissime idque consulto perstrinxi. In omnibus vero doctrinarum reconditarum et vitae tam splendidae quam ignobilis generibus quum tales homines fuisse, et adhuc esse haud ignorem, ea, quae hi cum illis vitia haberent communia, praeterii. Quare de sordida vita, de immani fastu, de rixandi et conuiciandi libidine, de nimia suarum virium atque eruditionis opinione et fiducia aliorumque contemtu, multum esse, superfluum mihi videbatur. Obseruatiunculas vero quasdam dum hinc inde intexui, id non feci, vt alios docerem, sed vt redderem rationem, quomodo in tradendis litteris, quas quanti faciam, praestantiam earum et necessitatem paucissimis delineando ostendere volui, versaturus sim. Hasta igitur iacta est, aliisque, quid de me meisque studiis iudicent, relinquam.

In quocumque doctrinarum seueriorum genere, vtilitatem philologiae esse infinitam, eumque, qui iure suo nomen et honorem viri eruditi tueri, nec famam ante obitum obliuioni traditam aut plane exstinctam esse velit, sine solida illius cognitione id minime consequi posse, et communis virorum, in republica litteraria summa laude excellentium, consensus docet, et quotidiana experientia, optima rerum omnium magistra. Ad vrbanitatem et suauitatem copiamque orationis, ad subtilitatem atque elegantiam sermonis, ad sensum ingeniumque acuendum, quantum sedula veterum Graecorum et Romanorum lectio conducat, non est, quod pluribus exponam. Quid quaeso Theologus, notitia linguarum atque adeo philologiae sacrae non minus quam profanae adcurata destitutus? Num talis homo, qui in Oriente Graeciaque est hospes, qui in Latio balbutire; non diserte loqui, nec sensa animi recte exprimere didicit, eruditus doctusque dici potest? Vim et potestatem multorum vocabulo-

rum interpres N. T. ſine interiore Orientis et linguae graecae cognitione non intelliget, aut temere et peruerſe explicabit. Bonus eſſe poteſt ciuis, optimus pater familias, valde mediocris orator, qui auditores ad ſomnum inuitet; at enim, etiam ſi, pro virium modulo ſuarum officio vt ſatisfaciat, allaboret, famam Theologi ſapientis et eruditi, qui tela aduerſariorum retundere, et pro ſalute atque incolumitate coetus Chriſtiani contra omnes impetus aduerſariorum feliciter dimicare, aut dubitationes ex animis ſuorum, diligenter interpretando dicta diuinorum oraculorum, eximere poſſit, quod quidem eſt magnum interpretis officium, numquam obtinebit. Salutare quidem eſt, ſuo tempore, et ſine oſtentatione ſancta emittere ſuſpiria et plangere, at quid hoc ad adcuratam vtriusque foederis intelligentiam atque interpretationem, ad conuincendos aduerſarios, aut tollendas adflictorum querelas? Quid eſt iure conſultus ignarus litterarum Graecarum et Romanarum, quem dubito nomen eruditi doctique mereri? Ritus Romanorum et Graecorum noſcere, originem multarum legum in Graecia inueſtigare, vim et natales et viciſſitudines multorum vocabulorum probe ſcire is debet, qui de iure reſpondere, cognoſcere, legesque Romanas rite explicare ſtudet. Si quis Baldum Bartolumque, diuinos illos iuris vtriusque monarchas, eorumque familiam, quae quidem hodie multitudine celebris eſt, ſectari, aut leguleii et rabuliſtae nomine venire, et monitis, quae pater quidam filio (in Genio Seculi pag. 27 ſq.) dedit, obtemperare velit, ille profecto non habet, quod Graecos adeat Latinosque ſcriptores. Gloſſatores ſint ſui Apollines; hi ſint oracula, hi dent *praxin auream* et ſententiam veluti de tripode dictam. At vero quando bonus ille homo Themida deam ſalutare, et virorum illorum in ſocietatem, qui et iuris prudentiae hodiernae et iuri Graeco Romanoque, multo ſtudio et labore, lucem atque ornamentum adferendo immortalitatem nominis conſequuti ſunt, Cuiacii, Hottomani, Alciati, Ritters-

Digitized by Google

Rittershuſii, Noodtii, Bynkershoekii, Heineccii, Bachii, Ritteri aliorumque innumerorum venire audet, metuo, ne deae ſeuerae vindictam, et horum virorum contemtum iramque ſentiat. Medicos porro veram laudem adſpirantes, qui in plauſu plebiculae adquieſcere nolint, optime ſcire, quantam vtilitatem et iucunditatem e lectione veterum auctorum capiant, magnus ille numerus teſtatur, qui ore et ſcriptis et exemplis tam in Germania quam extra illam id confirmarunt. Atque in veteribus medicis multa reperiri, quae recentiores homines ſe inveniſſe magno cum ſtrepitu verborum gloriantur, ſunt, qui adfirment. Philoſophis quid dicam quam neceſſaria ſit cognitio ſedulaque lectio veterum auctorum ad popularem philoſophiam, ſenſui communi et humano adcommodatam et diſcendam et tradendam. Et meo quidem iudicio ad ſpiritum, qui in philoſophaſtris facile extumeſcit, deprimendum, ad penetrandum in adyta ſapientiae humanae pluresque antea incognitas veritates feliciter eruendas aut ſtabiliendas nihil magis confert, quam ſtudium hiſtoriae philoſophicae, quae quidem hiſtoria ingenii humani iure ſuo dici, neque tamen ſine peritia vtriusque linguae recte comparari poteſt? Cogitemus hominem iudicii quidem acumine vique ingenii pollentem, qui vero litteras Graecas, quas non intelligit, et Romanas, quas primis tantum labiis guſtauit, arroganter aſpernatur. Videmus eum vel in angulo domus deliteſcentem, vel in cathedra magno cum ſtrepitu et clamore docentem. Quid agit?

Caput altum in praelia tollit
Oſtenditque humeros latos alternaque iactat
Brachia protendens et verberat ictibus auras.

Frontem ſapientibus rugis implicat; vi iudicii veritates quasdam expiſcatus, quas neque a ſcholaſtico neque ab academico audiuit doctore, neque in compendiolo ſuo legit, exultat, diſcurrit, titillat mentum ſuum, ſubridet, clamitat, ſe eſſe inuentorem huius veri, ſe eſſe perſpica-

Digitized by Google

cem, qui omnes vel maxime reconditas ſententias dictaque poſſit eruere, neminem ante eum hoc ſciuiſſe: et miratur, qui id factum ſit. In ſinu ſuo gaudens calamum arripit, conſcribillat diſputatiunculam, aut nouum, ſi DIs placet, compendium, in horridoque ſermone Latino exponit haec noua ſcilicet ſua inuenta; multa de ſe iactitans, omnesque eos, qui ab opinione ipſius diſcedant, ignorantiae, ſuperbiae et neſcio cuius vitii incuſans. Vae autem illi, homini bello! Si manu triuiſſet monimenta veterum veneranda, et philoſophorum medii aeui, licet barbarorum, acutorum tamen et perſpicacium: vel animaduertiſſet, aliis id, quod nouum ſibi videretur, in mentem veniſſe, et ex horum dictis maius lumen poſſe adfundi vero; vel, ſi nouas res ingenii beneficio excogitaſſet, certe didiciſſet, animi ſenſa maiore cum venuſtate et colore exprimere, pluresque lectores in ſuam trahere ſententiam. At vero hi homines, quorum nemo, praeter poetas et criticos, magis irritabilis eſt, ſibi ſoli beati videantur. Rideamus taciti illorum ſtuporem et arrogantiam: quieſcant in pace: pretio autem humaniorum litterarum vniuerſaeque philologiae omnium, qui audeant illotis manibus in ſacrarium eruditionis irrumpere, contemtu nihil derogatur, muſaeque ſuos habent adhuc vindices ſuosque ſtatores.

Mihi vero, ſi de inſigni philologiae vtilitate et neceſſitate plura ſcriberem, et ea repetenda eſſent, quae a multis iisque doctiſſimis viris pro illa iam prolata ſunt, et in id vitii incurrerem, de quo, quid ſentiam, in praeſenti paullo liberius dicturus ſum. Reperimus enim inter eos, qui omni cura et diligentia litteras elegantiores amant atque vniuerſam colunt philologiam et commendant, quosdam nimio illarum ſtudio raptos in alteraque parte peccantes, ſibi litterisque nimium tribuendo: quare apud politulos homines litteris bonis plus contemtus parant, quam ornamenti. Videmus quosdam, his litteris mirifice delectatos, quorum numerum hiſtoria litterarum nimium

quan-

quantum auget, qui rerum pulcrique negligentes aut in minutiis grammatices aut antiquitatis eruendis atque explicandis omne tempus terant, aut in verbis deligendis et interpretandis nimium ſint ſuperſtitioſi, aut in arte critica tamquam ſeueriſſimi tyranni omnem humanitatem exuant aliisque extorquere nitantur, et in auctores, quaeſtionibus illorum quaſi ſubiectos, vrant ſecentque: quorum vitium ſi *pedantismum philologicum* adpellamus, nulli veremur, ne, niſi ab excellentiſſimis et praenobiliſſimis illis pedantis, criminis cuiusdam arguamur. Nos quidem ab aureo illo Ciceronis monito, quo tam multi homines ad riſum nauſeamque abuſi ſunt: Omnem orationem a definitione eſſe ſuſcipiendam, ordiremur, niſi id ipſum hoc in argumento, vti in plurium hominum ſcriptiunculis, ridiculum videretur. Quare noli, L. B. exſpectare definitionem ſiue realem ſiue verbalem, vt cum elegantibus philoſophis loquar, philologi pedantae, qui, dum eum intuitus eris, aut legeris eius monimenta, ipſe tibi optima videbitur definitio. Neque morabimur te in notatione vocabuli pedantae, quando et qua occaſione ortum ſit, neque curabimus, num cum *Du Porto* (in praelect. in Theophraſti char. 12. pag. 402.) a pedaneis magiſtris ſiue ludimagiſtris triuialibus, an cum aliis aliunde ſit vocabulum illud deriuandum. Miſſis illis,

Illuc, vnde abii, redeo.

Philologi qui audiunt, operam partim in interpretando codice ſacro, partim in illuſtrandis veterum Romanorum et Graecorum monimentis ponere ſolent; vnde nomina philologiae ſacrae et profanae nata ſunt; quamvis, quum illae quaſi cognatione quadam inter ſe contineantur, ſapiens et prudens interpres vtramque debeat coniungere. In vtraque vero valde peccarunt homines. Ex his igitur, qui philologiae ſacrae plurimum temporis et laboris tribuunt, nonne illi ſunt Pedantae habendi, qui in explicandis regulis Grammatices nimium philoſophantur, et methodo, ſi dIs placet, demonſtratiua vtentes, eunt

Digitized by Google

omnia paene probatum, ita vt logicam potius aut aliam ſcientiam tradituri tibi videantur, quam Grammatices praecepta, quae diuturno vſui et conſuetudini et voluntati auctorum linguae originem debent. Haud raro quidem fit, vt ad Grammaticam, quam dicunt, vniuerſalem, ſit confugiendum, ſed cui bono cogitamus, primos homines in lingua condenda *ſcientifice* verſatos eſſe? Nonne horrida illa exceptionum caterua, e qua multum exiſtit difficultatis, inde enata eſt. His adcenſendi ſunt, qui in locis S. S. explicandis prodigi, omnia ex antiquitate ritibusque veterum illuſtrare ſtudeant. Vix reperient vocabulum quoddam aut dictionem, quae ſimilitudinem quamdam habere videatur cum ritu quodam ſiue apud Orientales, ſiue apud alias nationes recepto, quum auctorem illum numine diuino adflatum hanc ad conſuetudinem adluſiſſe ſibi perſuadeant, infinitaque veterum ſcriptorum loca, in quibus eiusdem ſiue obſcurius ſiue planius ſit mentio, excitent. Quam ſollicite, et, ah! nimis docte explicuerunt multi, et eleganter imitati ſibi viſi ſunt verba Lucae, *Paullum ad pedes Gamalielis ſediſſe*, quum tamen illa ſunt veſtigia hebraici ſermonis in graeca lingua, vt fuſe docuit cel. Erneſti in Opuſculis philologicis criticis. Lugduni Batau. 1764. pag. 173 ſq. Hinc praeter ea enata eſt inſignis illa turba librorum et ſcriptionum tam ſcholaſticarum quam academicarum, in quibus dicto cuidam ſacro ex antiquitate lumen adfundi dicitur: quarum quidem complures ſi legeris, quid reperies? Nouamne et faciliorem interpretationem? Falleris.

Adparent rari nantes in gurgite vaſto.

Leges, a *Pitiſco* quin immo a conditioribus compendiorum antiquitatis iamdiu dicta, aut ex indicibus lexicisue compilata; pauca vero, quae ad illuſtrationem oraculi diuini pertineant. Equidem inſignem vtilitatem antiquitatis in explanandis permultis S. S. locis probe ſcio; at peruerſam tantum viam, quam multi ſequuntur, et inutilem induſtriam (diligentiam num dicam, plane dubito) culpo

culpo ab illaque abhorreo. Atque viros ſagaces et cordatos id vitii, quum haud ignorem, iam diu reprobaſſe, in exemplis proferendis, vti in reliquis, nolo eſſe copioſus.

Alii contra, qui feruidioris et vegeti ſunt ingenii, neque quidquam dicere aut ſcribere volunt, niſi quod ſpeciem noui prae ſe gerat, mercenariam illam induſtriam aliis tamquam diis minorum gentium relinquunt; at in aliud vitium incurrunt pedantismi, dum plus iuſto ſunt acerbi et ſeueri in verba ſacri codicis, in quo emendando ita verſantur tamquam in libro profano, mendis et vitiis ab inſcitia librariorum ortis referto; vt, quidquid ipſis non placeat, emendare audeant. Tollunt igitur ſumma cum fiducia vel potius audacia puncta et accentus; reiiciunt verba, aliaque, prouti illis videtur, ſubſtituunt. In colligendis variis lectionibus, quae ſaepius tantum inſcitiae typographorum et oſcitantiae correctorum aut male intellecto ſcribendi compendio, fonte variarum lectionum vberrimo, originem primam debent, nimium ſunt anxii, indeque ſatis audacter mutare conantur. Valde quidem probabilem ſaepe proferunt emendationem coniecturamue ingenioſam. Ego vero quamuis varias lectiones non omnes reiecerim, ab opinioneque eorum, qui ne in vocula virgulaque quidem, vti in codicibus typis expreſſis nunc habemus, aliquid mutandum eſſe cenſeant, diſceſſerim, in hoc tamen negotio caute verſandum eſſe, arbitror. Quis enim in emendandis ſcriptis humanis nouam illam atque inauditam audaciam Houbigantii, Galli, cuius laſciuiem ab ignorantia ortam et leuitatem Rauius doctiſſimus litterarum Orientalium in Vniuerſitate Vltraiectina profeſſor, in aliquot diſputationibus academicis aperte periteque oſtendit, et Touppii, Angli, cuius audaciam, quae Bentleianam vincere videtur, Koppiers V. Cl. nuper demum refrenare ſtuduit in Obſeruatis philologicis Lugd. Bat. 1771. pag. 80 ſqq. aliorumque recentiorum interpretum perferret? Cur igitur admittimus eorum crudeles manus in corrigendis locis ſacris, in quibus

Digitized by Google

bus ea traduntur, quae ad cognitionem ſummi numinis ad noſtramque ſalutem aeternam pertinent; non res ludicrae et iocoſae, non inuenta hominum, non quae ab ingenio mortalium corrupto orta ſunt? Num eos laudare poteſt homo pius, idemque doctus, qui integros libros ſacros humani tantum ingenii foetus, nec ſemper maturos eſſe, edicunt, vel potius, re non ſatis conſiderata, vigiles ſomniant? Si penes nos erit, in diuinis oraculis corrigendis aeque verſari ac in monimentis humani ingenii, quantum malum irrepet in totum humanum genus! Quot moroſi aut arrogantes exſtiterint interpretes, tot forſan erunt ſectae. Quilibet enim, pro vti hariolari lubebit, audacter emendabit, immo vero in codice quodam veſtigia ſuae coniecturae ſibi videbitur deprehendere, et eam dicti cuiusdam lectionem ac ſententiam, quae ſuae opinioni vel potius delirio quam maxime faueat, veram eſſe iactabit. Infinitae hinc erunt controuerſiae, quum hiſtoriam manuſcriptorum Hebraeorum certe criticam, interpretibus ſacris vtilem non minus quam neceſſariam, habeamus nondum, ita vt ſumma perturbatio maximaeque lites in coetu Chriſtiano in contemtum doctrinae noſtrae, ab innumeris erroribus purgatae, enaſcantur. Dimittamus igitur auſteros et immanes illos criticos, et ad claſſem philologorum pedantarum, quorum auctoritas neque magna erit neque diuturna, ablegemus.

Ego vero neſcio, num huc quoque referam, qui omnia paene vocabula codicis Hebraei ex lingua Arabica, nimio huius ſtudio et amore abrepti, deriuare atque illuſtrare cupiant, indeque nouas interpretationes neque raro periculoſas cum orbe litterario communicent, qui, dum in Gohlii lexico vel fortuito vel anxia ſedulitate adhibita vocabulum inuenerint, cuius ſignificatio aut litterarum ſimilitudo paulisper reſpondeat vocabulo Hebraeo, illud ſtatim eſſe aiunt matrem veluti, quae iunior ſit filia, vocabuli Hebraici; quamuis hoc in lingua hebraea ſedem ſuam habeat, et priſtina interpretatio tum *συναφιας* totius oratio-

orationis et doctrinae verae reſpondeat, tum ſummis theologis et philologis fuerit probata. Neque tamen nego, vel hos errare potuiſſe, neque veri lucem ſemper vidiſſe, et in explicando dicto vocabuloque ad Arabes perſaepe eſſe confugiendum. At enim ne res, quae procliuius ad perniciem, quum ſemel coepit, labitur, latius ſerperet, resque publica chriſtianorum multum inde caperet detrimenti, doctiſſimi homines, Rauius, Tychſen aliique iam prouiderunt; neque is ego ſum, qui in re aliena tragoedias velim excitare. Ita vero fieri ſolet, qui in ſcientia aut arte quadam domicilium ingenii poſuerit, vt is eam, qua excellit, omnibus reliquis praeferat, certe, tamquam oraculum Apollinis, vbique conſulat. Id vitii praecipue animaduertemus in ſcriptis eorum, qui praeterito ſaeculo philologiae orientali omni diligentia curaque vacarunt. Quum enim quidam doctores litterarum, quae ab Oriente habent nomen, exiſterent, qui ſedulam Rabbinorum lectionem commendarent auditoribus, et, qui fructus inde in adcuratum redundaret ſacrae ſcripturae interpretem, ore non minus quam ſcriptis, Rabbinorum ſententiolis intemperanter refertis, oſtenderent: factum eſt, vt nulla paene diſputatiuncula, quae huc pertineat, in Academiis potiſſimum ventilata, in lucem prodiret, quin Rabbinorum dictis tamquam gemmis, vt illis ſcilicet videbatur, diſtincta fuerit. Haud ſolliciti erant illarum auctores, num aliquid de ſuo ingeniolo, cuius vis ſaepe perquam exigua fuit, addiderint, an tantum loca ad nauſeam vſque, neque vbiuis argumento apta neceſſariaue collegerint. Sibi plaudebant, ſeque arbitrabantur ab Apolline lauream adepturos, dummodo plures litterae Rabbinicae, quam latinae conſpicerentur.

Infelix lolium et ſteriles dominantur auenae
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo
Carduus et ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Nos quidem laudamus eorum ſedulitatem, gracilesque amamus digitos, neque Rabbinorum lectionem plane con-

Digitized by Google

contemnimus; at tantum, pro noſtra praecipue aetate, quum ſummi viri ex ſtercore gemmas, atque adeo ea, quae ad illuſtrationem rituum Iudaeorum ſacrique codicis quam maxime facerent, diligentiſſime iam delegerint, libidinem hanc coercendam eſſe cenſemus. Omne enim tempus in peruolutandis tot tantisque voluminibus, quorum magna pars conſtat nugis, intemperanter perdere, deſipientis ingenioque ſuo atque induſtria abutentis mihi quidem eſſe videtur. Videmus autem, qui nimio Rabbinorum veterum amore capti et illiniti ſint, eos adcuratam Graecorum et Romanorum et ſcriptorum recentiorum lectionem, cuius quidem ope iudicium acuere et ingenium exornare queant, plerumque negligere. Vnde fit, vt obtundant ingenium, in verbaque veterum horum magiſtellorum tamquam lapidem Iouem iurent, nec verum a falſo ſpecioſoue poſſint dignoſcere. Eos contra animaduertimus, qui lectionem Rabbinorum cum elegantioribus ſcriptoribus tam noſtrae quam veteris memoriae, rite coniungunt, et in tribuendis ingenii dotibus naturam fautricem, non malignam, experti ſunt, et famae ſuae ſeruire et rei publicae litterariae. Felicius igitur progrediuntur, qui ad eruendum verum ſenſum verſionem Alexandrinam reliquorumque veterum et Graecorum, quorum fragmenta adhuc a tempeſtate tamquam tabulae e naufragio ſeruata ſunt, et Latinorum patresque, quos vocant, eccleſiaſticos in ſubſidium adhibent, quorum adminiculo vera ſignificatio vocabuli cuiusdam difficilioris et rectus particulae cuiusdam ſenſus definiri, veraque lectio ſiue felici, neque tamen audaci coniectura ſiue conſenſu MStorum reſtitui poſſunt: quamquam etiam hic aureum illud Horatii eſt tenendum,

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit conſiſtere rectum.

Quomodo vero haud pauci interpretes veteris Teſtamenti, in explicandis dictis verſantur? Nullum petunt ſubſidium a Grammatica, niſi in permutatione punctorum et

voca-

Digitized by Google

vocalium, neque ab analogia linguarum interpreti quam maxime neceſſaria: non confugiunt ad linguas cognatas, multo minus ad interpretes veteres. Id etiam ſi qui fecerint, variorum interpretationes adducunt, nulla vero adhibita criſi, damnant eos, niſi primo obtuitu ipſis conſpirare videantur: aut philoſophicas quasdam cogitatiunculas, iniquo ſaepius loco, proferunt *), aut Rabbinorum nugas deliriaque ſectantur. Belle! Nonne igitur hi pedantae philologici ſunt numerandi, quorum inſcitiam atque arrogantiam *Erneſti* V. Ven. praecepta (in interprete N. T.) et exemplum cel. *Dathe* in diſputatione in Aquilae reliquias interpretationis Hoſeae ſatis oſtendunt.

In interpretando nouo teſtamento multi eo progrediuntur temeritatis, vt nullam linguae maculam adſperſam, nullos idiotismos, ex Latio Orienteque, praeſertim Palaeſtina, inſertos eſſe autument. Omnia ipſis videntur eſſe pura, et graece dicta; quorum quidem operam ſtudiumque ſi curatius conſideres, nonne multa pedantismum philologicum redolebunt? (confer Erneſti V. C. in opuſcul. criticis, pag. 202 ſqq. et alibi in praeſtanti illo opuſculo.) Quomodo enim hoc in negotio, quod omnem laudem meretur, ſi limitibus certis circumſcriptum eſt, verſantur illi?

Mella fluant illis, ferat et rubus aſper amomum.

Si vocabulum quoddam peregrinae, non Graecae patriae, eſſe, aut barbariſmi et ſoloecismi ab aliis incuſatum eſt, omnes Graecos auctores ſingulosue vel haud raro optimorum exemplarium indices euoluunt, ſummaque cum anxietate id vocabulum quaerunt. Forte apud quemdam inueniunt illud, ſtatim arripiunt, et collo quaſi obtorto ducunt illum auctorem in forum, qui ſua auctoritate puritatem culpati vocabuli a crimine aliorum defendat. Id ſi in pluribus fecerint, actutum puritatem linguae N. T. vindi-

*) Legant ſagaces illi homines cel. Erneſti comm. de vanitate philoſophantium in interpretatione librorum S. pag. 233 ſqq. in Opuſculis philol. criticis.

Digitized by Google

vindicant ab reliquorum adcuſationibus, ſibique gloriam meritaque ſpondent numquam interitura. Memini equidem, quondam a Chladenio, praeceptore meo poſt cineres venerando, audire, Georgium, Profeſſorem Wittebergenſem, linguam graecam probe callentem, pro puritate vero N. T. tamquam pro ara fociſque dimicantem, vocabulum N. T. quod peregrinum aliis videbatur, Platonis auctoritate fulcire atque ab iniuria vindicare voluiſſe.

Quid tanto dignum ferat hic promiſſor hiatu?

Sciebat, vel audiebat, Platonem eo vſum fuiſſe. Perlegit eam ſolummodo ob cauſſam omnia Platonis opera, praeter vltimam paginam, quam praeteriit, arbitratus, effugiſſe illud aciem oculorum: repetiit itaque lectionem totius Platonis, et in vltima pagina, quam antea omiſerat, id demum reperit. Nonne vero huius ſtudium ſapit pedantiſmum? Alii iudicent. Quid autem efficiunt plurimi? Hoc, vt diligentiae illorum debeamus varios vocabuli cuiusdam vſus et ſignificatus, vt adcuratam graecae linguae cognitionem oſtendant aliisque reddant faciliorem, vt ritus quosdam obſeruationibus doctiſſimis illuſtrent. Nonne, inquies, magnum hoc ornamentum? Nonne haec opera valde vtilis omnique praedicatione, laudibus litteriſque eſt decoranda? Nonne grammatica interpretatio egregium et vnicum paene ſubſidium eſſe debet ei, qui ſenſum multorum in N. T. dictorum, feliciter apteque eruere velit? Nonne multorum contortae interpretationes ex vſu claſſicorum graecorum ſunt refutandae? Haud nego, nec cuiusdam aeſtimationi laudique aliquid detraho. Laudo potius ſtupendam horum virorum induſtriam, quae quidem in minutiis haud raro verſatur; praedico adcuratam diligentiam, cuius beneficio infinita auctorum profanorum loca, ſibi et auctori ſuo ſunt reddita, nouamque acceperunt lucem; admiror atque oſculor inſignem linguae Graecae peritiam, qua mire adiuuerunt ſtudium linguae Graecae, atque ornarunt viri illi doctiſſimi, ſi a nonnullorum vindiciis atque obſeruationibus diſceſſeris.

Laudo

Digitized by Google

Laudo ſtudium illorum, qui multa loca a crimine ſoloecismi et barbariſmi ope elegantiorum graecorum ſcriptorum vindicarunt, meque illorum ſollertiae multum debere, gratus profiteor. At hoc quaero, num multi, nolo enim cunctos ad vnam redigere claſſem, omnibus his laboribus effecerint, vt in plurimis, niſi in omnibus, dictis nihil omnino relinquerent obſcuritatis, et vt nullus eruditorum, qui linguam calleret graecam, hebraismos aut alias dictionis purae mendas, ſalua quidem auctoritate ſcripturae ſacrae, et quin iniurius ſit in ſacrum codicem, in hoc deprehenderet. Structuram et formam orationis, qua vſi ſunt ſcriptores ſacri, plane eſſe Atticam, ſi ſingula quoque vocabula ſeparatim ſumta apud Atticos ſcriptores reperiri conceſſeris, nec cum prima dicendi ſcribendique ratione, ſcriptoribus hebraicis antiquioribus ſollemni quam maxime conuenire, euincent viri illi doctiſſimi? Haud equidem puto. Haud paucorum contra obſeruationes eiusdem generis eſſe reperies, cuius ſunt ingenioſi auctoris, in *Genio ſeculi*, animaduerſiones in quamdam obſcurorum virorum epiſtolam. Rides! nec vero tibi inuideo, tecum ipſe rideo. Sint ſingula vocabula pura, omniaque auctoritate probatiſſimorum ſcriptorum munita, tota tamen oratio et ſtructura non plane graeca haud paucis in locis redolet indolem Hebraeorum, quam ex conſuetudine, inſtitutione, et verſionis Alexandrinae vſu ſibi contraxerunt viri ſanctiſſimi. Hoc vero iudicio aliquid detractum nolo auctoritati pandectarum ſacrarum virorumque ſanctorum, qui Dei voluntatem litteris conſignatam nobis reliquerunt. Ingenium enim, res, tempus et illi, ad quos ſcripſerunt, poſtularunt eam dicendi rationem. Quae S. V. *Erneſti* P. I. Sect. II. Cap. III. in inſtitutione interpretis N. T. hoc de argumento diſputauit, ea, quae a me dicta ſunt, comprobant. Qui quidem cum Vorſtio, Leusdenio aliisque horum ſimilibus formam et ingenium dictionemque apud Hebraeos receptum vbique deprehendiſſe ſibi videntur, aut ſpreta graecorum profa-

Digitized by Google

norum ſcriptorum, in quorum tamen nonnullis veſtigia hebraismi reperiri, nemo negabit, lectione, vel ideo interpreti N. T. commendanda, Syriacam interpretationem, iuſtum idque vnicum eſſe ſubſidium, grauiter contendunt, illi rem nimium vrguent, et in contrarium currunt vitium. Quare eorum praecipue diligentia omni laude praedicanda eſt, qui dictioni N. T. ex Philone, Ioſepho, aequalibus et popularibus ſcriptorum ſanctorum, et verſionibus Alexandrina et reliquis lumen adcendere, ceterosque profanos auctores, praecipue Polybium, ad illuſtrationem vocabulorum et rituum atque refutandas aduerſariorum iniquas iniuriasque opiniones commemorare atque excitare ſolent. Atque in hoc illud, medium tenuiſſe beatum, quam maxime eſt in memoriam reuocandum. Enimuero, miſſis illis, vlterius progrediamur.

Cuiuscumque interpretis, quisquis eſt, officium requiritur primarium, virtutes ſcriptoris, ſuauitatem, pulcritudinem et moratum dicendi generis oſtendere atque illuſtrare, quae quidem partes ſunt ingenui atque elegantis critici. Hac vero ratione, qui verus rectusque ſenſus ſit verborum, haud raro poteſt decerni. Nam aliter canit poëta, aliter dicit orator, aliter ſcribit, qui res geſtas enarrat, aut morum et doctrinae tradit praecepta. Poëta magnitudini rei adcommodat ſtilum; modo inſurgit inſtar aquilae, et audax eſt in verbis et ſimilitudinibus; modo, quae princeps eſt virtus, res hominesque inducit agentes; modo viuis coloribus rem depingit, eiusque poëſis eſſe videtur pictura; modo veluti riuulus fluit placidus. Incendit, ſedat, docet, delectat, miſcetque vtile dulci. Nec vero incedit cothurnis aut verbis vtitur ſesquipedalibus, ſi res amoenas, aut iocoſas aut ludicras decantat, aut mores hominum emandaturus eſt. Orator dum commouere animos, aut ſcelera detegere reumque adcuſare, aut res diuinas humanasque laudare ſtudet, breuis eſt in ambitu periodorum, grauis in verbis, vehemens in ſententiis atque ſublimitate: totaque in oratione, quam proxime et quan-

quantum fieri poteſt, accedit ad poëtam. Contra quando narrat, aut mentes hominum ſedat, temperato aut plano et mediocri vtitur ſtilo, et pro ingenio ſuo placidus eſt et copioſus, elegans tamen atque venuſtus. Iſtorum igitur dicendi genus ſi quis, qui res geſtas memoriae tradit, aut ſcientiam artemque docet, imitaturus eſt, ille profecto valde aberrabit ab officio boni et prudentis ſcriptoris, quamuis oratio eius veneribus diſtincta eſſe et lectoribus tantam iucunditatem, quantam vtilitatem parere debeat. Ex his, quae breuiſſime diſputauimus, paucis quoque diiudicabimus ſacros ſcriptores. Reperimus in volumine, quod adpellamus codicem ſacrum, carmina, orationes, praecepta morum, et hiſtorias; ſed reperimus quoque, ſingulos diuerſo vſos fuiſſe dicendi et ſcribendi genere. Quare, peruerſe ageremus, ſi vbiuis pari explicandi methodo abuteremur, verbaque oratoris aut potius poëtae eadem trutina, qua hiſtorici aut vt ita dicam dogmatici, examinaremus. Similitudines immiſcet poëta, quibus exornauit atque illuſtrius reddidit carmen, non vt probet, tamquam ex principiis philoſophicis: quas igitur ſi ad verbum interpretari velimus, nec probabilitatem et fictionem poëticam ante oculos habeamus, a mente ſcriptoris valde aberramus. Poëtas vero ſacros ſi ſecundum regulas artis poëticae explanamus, quod omnino facere debemus, niſi poëtae ſacro et ſenſui communi iniuriam feciſſe, iure arguamur, multis illis canonibus, a philologis praeceptis, ſaepe haud opus eſt, id quod *Lawth* in praeſtantiſſimo libro, de poëſi Hebraeorum, et Ill. *Michaëlis* in elegantiſſimis epimetris et obſeruationibus ſatis ſuperque docuerunt. Hac vero via deducimur in amplum et amoeniſſimum campum, vbi laetiſſimas fruges poſſumus colligere: ex quo labore quam plurimus fructus et in nos et in alios redundabit. Videbimus tunc, contortum et iniquum ſenſum verbis ſacri poëtae a multis antea fuiſſe adfictum, et multa verba ita fuiſſe explicita, vt poëta de eo ipſe ne cogitaſſe quidem videretur. Hinc factum eſt, vt

Digitized by Google

Cocceani illi interpretes, quorum quidem operam, limitibus certis circumſcriptam, haud plane contemno, exiſterent, qui vbique neſcio quas captioſas et duplices ſe reperiſſe putarent interpretationes. Non attenderunt pii doctique alioquin homines, vbi poëta ſiue etiam alius propheta colorem poëſeos, verecundiam et decorum dictionis, magnitudinem et ſublimitatem orationis, vim ſimilitudinum pro acumine ingenii et argumenti ratione expreſſerat. Enimuero ſi quis diuerſorum philologorum obſeruationes, cogitationes aut animaduerſiones in ſcriptores ſacros attentius perluſtrare velit, haud pauca occurrent illi exempla, quae a me dictis magnum addant pondus. Videbuntur tibi interdum ſentire, quid ſit poëticum: ſed vel ingenium in hac arte non ſatis exercitatum, vel iudicium haud ſubactum habent, vel nimiis praeoccupatis decepti opinionibus, auctoritate aliorum tamquam torrente abripi ſe facile patiuntur. Atque viri cordati et artis poëticae ingeniique Orientalium intelligentes, ſi commentarios quorumdam, alias doctorum, virorum in carmina Moſeos, Dauidis, praeſertim Ioëlis, Nahum aliorumque, in librum Iobi et canticum canticorum legere atque examinare cupiant, meae ſententiae forte ſubſcribent. Multa quidem reperient ex antiquitate vniuerſaque philologia orientali ſatis docte adlata atque ingenioſe probata, multas adpoſitas dapes, quae vero multum amiſerunt ſaporis, nimia quaſi conditas eruditione eaque iniquo tempore adſperſa. Miraberis ſtupendam lectionem vaſtamque memoriam, ſed deſiderabis poëtae mentem et colorem ac poëſeos diuinum. Pari paene ratione verſati ſunt quidam in interpretandis Ieſaiae aliorumque prophetarum orationibus, vbi non ſatis diſtinxerunt, quid ſit oratoris, qui futura praedicit, et qui doctrinam ſalutis aut res geſtas tradit poſteritati. Iniqui contra et iniurii ſunt philologi, qui ſcriptores profanos cum primis poëtas temere et vbique anteponant auctoribus ſacris; qui Pindarum et Horatium magnificentius et ſublimius quam Dauidem,

ſubſi-

Digitized by Google

ſublimitate verborum et ſententiarum, audacia, deſcriptionum poëticarum et troporum abundantia nulli cedentem, arbitrentur ceciniſſe; qui putent, Demoſthenem et Ciceronem maiori cum flumine orationis et maiori cum venuſtate atque elegantia ad populum dixiſſe, quam Ieſaiam. Rerum, quas tractarunt, loci ingeniique diuerſitatem plane non curant belli iſti, at naſutuli homines. Quare *Politianus*, vir alioqui ſuaui atque eleganti ingenio, impius fuit in S. S. qui rogatus, num codicem ſacrum legerit, reſpondiſſe fertur, ſemel id a ſe factum eſſe, numquam autem tempus peius perdidiſſe, quare et odas Pindaricas carminibus Dauidis praetuliſſe dicitur. Sed fuerunt, qui iudicium illud Politiani aut negarent, aut mitigarent. Aeque impia fuerunt verba *Bembi*, viri purpurati, ſemel ſe legiſſe Biblia, ſi iterum ſibi legenda eſſent, omnem ſe perdere latinitatem. Quam infandum ſcelus! Quam impia lingua, quae praecurrit mentem! Homines illi polituli atque emunctae, vt ſibi ſcilicet videbantur, naris, aliique ſocii profanae horum mentis ſi de dicendi genere et forma poëſeos ex verſione ſiue latina ſiue alia quacumque temerarium ferre audent iudicium, et cum Pindaro componere, quaedam forte reperient, quae inconcinne nec venuſte ſcripta videantur. At enim, quid dicerent, ſi quis de Pindaro ſecundum verſionem Schmidii, aut de Horatio ſecundum interpretationem Langii aut Dacierii inique iudicaret? Nonne frontem corrugarent belli iſti homines, et irati reſponderent:

Odi profanum vulgus, et arceo.
Fauete linguis.

Suſpendite iudicium et diſcite graeca. Pace veſtra, elegantiſſimi homines, eadem verba veſtris regero cauillationibus. Diſcite linguas, quae ab Oriente nomen habent, vt et vim et poteſtatem verborum et ſplendorem dictionum et ſublimitatem atque magnificentiam totius orationis poſſitis ſentire atque intelligere; vt nihil dicam, a ſacris poëtis atque oratoribus plures et certiores ſubtileſque

 veri-



Digitized by Google

veritates et magis neceſſarias, quam ab humanis, eſſe propoſitas. Id niſi feceritis, neque tamen a veſtra receſſeritis opinione, vos ipſi a pedantarum nomine, credo, haud eritis liberi, multo minus ab impietatis ſuſpicione. Quid quid eſt,

Vis conſilii expers mole ruit ſua;

equidem nihil definiam, nec dicam alicui ſcribam. Diuinum enim in ſacris litteris nihil capiet detrimenti, ſed omnium animos tam delectabit, quam emendabit, dummodo praeter ſuauitatem ingenii bona quoque mens atque animus pius et religioſus ad lectionem illarum adferuntur. In illos autem conuenit, quod *Vokerodtius*, cuius fama inter philologos haud obſoleta aut temporis diuturnitate iam exſtincta eſt in Conſult. III. Cap. VII. §. 4. ſtatuit; qui „Non pauci, inquit, noſtri aeui, eruditi viri lenoci„nante ſingularis et ſolidae eruditionis ſpecie famaque „conuerſi, vanum et profanum dum ſequuntur ſenſum, „ita amplectuntur antiquas litteras, ita monumentis in„haerent profanis, et tantum tempus in iis legendis con„ſumunt, vt ad ſacras litteras vix poſſint reſpicere. Qui „nec elegantes ſatis veteris eruditionis cultores ſibi viden„tur, niſi a diuinis litteris, quae illis barbarae ſunt, vt „animum, ita et ſermonem ſeiungant, et illis quam ma„xime diſſimilem colant dicendi rationem. Cui homi„num generi quum pluris ſit tam putidae eruditionis fa„ma, quam religio et pietas: ita obſtat veritas, vt nec ad „veram ſapientiam, nec rectam eloquentiam vmquam „perueniant, lapſi ad hanc inſaniam.„ Hactenus ille. Interea a nemine operam, diligentiam ſtudiumque vlla in re perſequenda melius poni arbitror, quam vt venuſtates S. S. ſecundum regulas, quas vocant, aeſtheticas oſtendat, et vt quidam cum laude iam inceperunt, componendo loca diuina cum humanis, doceat, quantum auctores ſacri et ſublimitate et magnificentia et elegantia et ornatu ſtili profanos vel aequarint vel haud raro ſuperarint. At enim hoc in negotio qui cum vtilitate pariter ac laude

ver-

Digitized by Google

verſari ſuſtineat, ille praeter ſincerum animum ab opinionibusque praeoccupatis liberum, inſignem litterarum orientalium et emendatum pulcri ſenſum, non minus quam plenam et copioſam Graecarum ac Latinarum peritiam magnamque vim ingenii atque acumen iudicii, vt facultatem de vera nec fucata venuſtate et pulcritudine adcurate iudicandi ingeniumque Lawthii et Michaëlis habeat neceſſe eſt.

— *Quid omnium Vultus in vnum me truces?* —

— *Verbum non amplius addam.*

SECTIO II.

In priori ſectione quum de iis, qui in ſtudio philologiae ſacrae ingenio atque litteris imprudenter abuterentur, libere ſentirem, ſequitur, vt oratio ſe ad eos conuertat, qui in humanis litteris, quatenus philologus in his verſetur, leges prudentiae atque vrbanitatis tranſilire videantur. In quibus hominibus quia Criticis primae ſecundaeque iure tribuuntur, ab his initium ſectionis huius ſumendum duxi; quorum quidem plurimi gubernacula totius reipublicae litterariae, et quaſi tribuni cuiusdam, quin dictatoris perpetui temere ſuſcepiſſe ſeu rapuiſſe videntur. Quidquid iubent voluntque, quaſi penes ipſos omnis ſit poteſtas et iurisdictio, etiam ratum atque firmum haberi clamitant, et quidquid de ſuo tribunali edicunt, tamquam legem, cui omnes adſtringerentur, latam videri volunt. Vae autem tibi, miſelle, qui contradicere, nec parere velis! Vadimonium ſi deſeris, perduellis cenſeberis, et tota familia Poggiorum, Scioppiorum, Scaligerorum, Pavonum, Burmanniorum, de Allio aduerſus te armata teliſque peſtiferis inſtructa comparebit. Tui me miſeret, mehercule,

Vix illigatum te triformi
Pegaſus expediet Chimaera.

At enim hoc hominum genus, valde irritabile, penitius intueamur.

Non tigris, catulis citata raptis
Non dipſas medio peruſta ſole,
Nec ſic ſcorpius improbus timetur,

vt is, qui nimis eſt criticus.

Ego vero, artem criticam ſi quis magni aeſtimat, is ſane ſum. Illam enim ſcio, in omnibus doctrinis et litteris maxime eſſe neceſſariam, et, qui ea careret, altero quaſi oculo eruditionis deſtitutum, ſimilem fieri ceruo apud Aeſopum (fab. LXIII), qui, ſano et integro oculo terram verſus continentem, vt effugeret periculum, videns, altero lumine orbatus, quum a muri nihil timeret inſidiarum, nec adeo praeſentem animaduerteret perniciem, telo transfixus incautus atque imprudens occidit. Ita ſane ars critica ſui odium aut contemtum vlciſcitur. Ducit enim et ſeruat nos, ſicut Minerua Vlyſſem, vel minaci ſcopulo pendentes vel turbine errorum agitatos. Diſſipat nebulas, oculos infeſtantes, et facit, vt veri lucem cernamus. Sine illius ope, ingenio tantum noſtro indulgentes, incidimus in Scyllam, dum Charybdim ſtudemus vitare. Fruſtra autem laboramus, fluctibus errorum vel ab ſcriptore vel ab aliis perpetratorum, iactati, niſi a Critica manu quaſi ducimur atque eripimur. Neque enim ſufficit, lectionem quamdam, vtcunque ſit, probare, probatamque interpretari, ſed ſciendum quoque eſt, num auctor ita ſcripſerit nec ne? num, quum vnicus tantum verborum ſenſus eſſe poſſit, hoc vocabulum, haec dictio conſuetudini ingenioque auctoris et verborum ſeriei ſit adcommodata. Totum tuum compendium philoſophicum aut theologicum deſeret te atque eruditioni tuae et prudentiae maculam inuret, ſi ab arte Critica deſtitutus auctorem interpretari quemlibet audeas. Quot enim et quam infames, abſonas falſasque opiniunculas vel in interpretandis oraculis et praeceptis diuinis viri magni quidem nominis, ſed nimium philoſophan-

phantes aut ενθουσιαζοντες, iudicio firmo vſuque critices ſubacto deſtituti excogitarint, de illisque fuerint inepte gloriati: quam miſere domus Iunkeriorum et Vhſiorum auctores veteres deprauauerit, et turpiter dehoneſtarit, nullo vſu artis criticae adlato, hiſtoria litterarum non minus, quam noſtra aetas abunde teſtatur.

Primum vero eorum, qui Critici perſonam agunt, quam plurimi eo pedantismi arguuntur ſaepius, quod in minutiis tantum haud raro verſantes, tunc omnibus boni Critici officiis ſibi videntur ſatisfeciſſe, ſi voculas et ſyllabas numerarint, ſi ex immenſa codicum ſiue manu exaratorum ſiue typis exſcriptorum copia varietatem lectionis, atque etiam menda apertaque operarum peccata anxie et cum detrimento valetudinis atque oculorum collegerint, nulla addita criſi. Burmanni quidem praeceptum, vt aliquis varias tantum lectiones omnes, e quibus critices intelligens veritatem conſtituat lectionis, ex omnibus libris colligat, probe noui; nec plane contemno. At enim ferream hanc induſtriam in iis auctoribus ſuſcipiendam arbitror, qui multis adhuc locis vel ignorantia librariorum deprauati vel coniecturis editorum audacibus et in contextum receptis ſunt commaculati. Ita vero huic piſtrino operam addicere debuerunt, primi auctorum veterum editores; recentiore autem memoria praeter paucos ſoſpitator ille poëtarum veterum, Heinſius in emaculandis et reſtituendis poëtarum monimentis, et Reiskius V. C. in paranda Demoſthenis et reliquorum Graecorum oratorum editione. Atque hanc, moleſtam quidem, operam nonnulli patres eccleſiaſtici, Euripides, Plutarchus, Terentius, Curtius, atque alii cum latini, tum inprimis graeci auctores deſiderant, quorum Mſſ. et typis excuſſorum librorum hiſtoriam nondum habemus criticam. Ea vero opera quae ſi nimis ſollicita eſt, inutilis mihi videtur, niſi codices qui adhuc plane latuerunt, et multas easque nouas continent lectiones, adſint,

in iis auctoribus, qui ſedulitatem, curam limamque ſummorum criticorum iam experti ſunt.

Enimuero, quum inter omnes conſtet, et Mſſ. a pluribus, vno verbo praeeunte, eodem ſaepe tempore calamo eſſe exarata, ideoque inter ſe quam maxime conſentire, niſi in peccatis ab incuria, ignorantia aut oſcitantia librarii profectis, et editiones multas vel ſuperioribus ſaeculis typis expreſſas nihil adferre noui, niſi craſſa quaedam operarum peccata, illos libros inter ſe diligenter componere, omnesque, quae in minutiis ſaepe verſatur, lectionis varietatem excerpere, omnino aeque ſuperuacaneum et lectori moleſtum mihi eſſe videtur, ac e contrario ſupinam negligentiam atque inhoneſtam laboris fugam prodit, ſi quis more recentiſſimorum Horatii et Ciceronis editorum eorumque Gallorum diuitias codd. quos bibliothecae Pariſienſes habent multos, temere ſpernit, et tamen iactitat. Quare editor ſi collationem quarumdam plagellarum primum inſtituerit, facile videbit, quid ſibi ſuperſit ſpei atque laboris, atque in locis difficilioribus aut a recentioribus corruptis tantum conſulet oracula illa et veteres editiones; ſuumque modeſte feret iudicium. Sed enim, lectorum et emtorum, quorum deſideriis et defectibus mederi debet editor, inſignis eſt diuerſitas: hinc diuerſa ſemper orientur iudicia et vero querelae. Eam diuerſitatem probe ſcio, at, quantum fieri poteſt, eorum, quibus expliciturus eſt auctorem, ſeruiat commodo. Enimuero quid regulas critices amantibus praeſcribo, qui non artem criticam concinnare, ſed vitia tantum criticorum culpare debeam? Vnde igitur digreſſus ſum, eo redibo. Pedantis eos quoque adcenſendos arbitror, qui nimia erga codicem quemdam, licet canae vetuſtatis et bonae notae, ſuperſtitione capti, ab eo quaſi adorando, etiam in minimis diſcedere piaculum fore arbitrentur, vt Iacobus Gronouiius, dicaciſſimus criticus, in codice Herodoteo fecit, qui memoriam diei, quo theſaurum ſuum invenerat, ſingulis renouaret annis et epulis vinoque celebraret.

Alii

Alii contra gregi pedantarum adnumerabuntur, dum nulla plane erga codices religione habita, pro ſuo arbitrio in auctoribus mutare et ſecare, et plane nouum ſui portentoſi ingenii exemplar improuiſo lectori obtrudere conantur; interpretationem vero rerum ab auctore propoſitarum, aut elegantiam et venuſtatem vitiaue ſcriptoris omnino non curant. Naſum enim quum videantur non habere, nulli ſapiunt dapes, deliciasque et condimenta, quae veteribus ſcriptoribus apud poſteros aeſtimationem atque admirationem, immo vero immortalitatem pararunt. Illo autem mentis morbo qui calent, danda eſt maxima pars hellebori, vt ſanguis redeat animusque integer.

Sunt autem, vt cum *Klotzio* (in libello *de felici audacia Horatii* pag. 115. in opuſculis varii argumenti Altenb. cIↃ IↃ CCLXVI.) loquar, *duae artis criticae partes, quae quidem in omni antiquitatis genere valent. „Altera, ſubtilior illa, et quae plus laboris, quam oſtentationis habet, in verbis conſtituendis, atque veritate locorum confirmanda verſatur: altera, neſcio an nobilior illa, certe iucundior, ipſam poëtarum artem examinat, de ingenio ſcriptoris iudicat, venuſtatem et elegantiam carminis explicat, ſententias, figuras et verba ad leges veri et recti iudicii exigit. Haec eſt illa ars, quae magis a natura donatur, quam doctrina et diligentia acquiritur, ſed quae polienda tamen eſt, et conformanda doctrina et praeceptis, quam in multis, etſi hi altera illa bene inſtructi ſint, deſideramus, quae ſenſum pulcri et venuſti acuit, et quae merito laudatur et commendatur a Daniele Heinſio in Ariſtarcho pag. 685.* Vtramque vero artem antiquioribus criticis non incognitam fuiſſe, vel teſtimonia veterum vel libri ipſi Longini, Dionyſii Halicarn. Auli Gellii, Macrobii aliorumque ſatis teſtantur. Quid autem faciunt cenſores illi noſtra aetate ſiue nimium religioſi, ſiue vitio creati? Suntne callidi locorum difficiliorum interpretes? Iisne, quae continuam impediunt lectionem multisque

lecto.

lectoribus haud imperitis obſcura videntur, ex antiquitate, geographia, linguae ingenio vniuerſaque philologia, lucem quandam adcendunt? Virtutesne vitiaque poëtae aut alius ſcriptoris indicant paucis examinantque? Salua foret res publica, ſi hoc nomine adpellandi eſſent. Verum ſi grammaticam cum critica coniungunt, vim quoque et poteſtatem vocabulorum explicant, (quod quidem officium minime damno, ſed nimiam illorum abundantiam multis non placuiſſe, ſcio) vel nihil agunt, niſi vt rodant litterulas; quorum alii, vt iam dixi, omnes aliorum lectiones emendationesue, licet ſanas et veras, quas vero a ſuo codice, quem oſculantur, et tamquam Palladium litterarum ſancte venerantur et cuſtodiunt, diuerſas vident, atrociter repudiant nugasque eſſe cenſent, vel leviusculas ſubſtituunt, vt *Capperonerius* in ſuo publicato Quinctiliano feciſſe a Burmanno arguitur, in epiſtola ad Claud. Capperonerium (Leidae cIↃ IↃ CCXXVI. pag. 20). Alii ſuo tantum ingeniolo confiſi, quidquid ſibi non placet, aut minus recte ab iis intelligitur, abſcidunt, ſuasque coniecturas ſaepe frigidas, inanes audacesue inferciunt, vt vix ac ne vix quidem disiecti membra corporis cognoſcantur. Haud equidem nego, magnam ingenii vim et perſpicaciam, magnam linguae vbertatem et litterarum copiam ineſſe debere iis, qui Critici, haud diobolaris, ſed conſummati, laudem conſequi qui Heinſios, Gronouios, Bentleios, Hemſterhuſios, Scaligeros, Valkenarios, Ruhnkenios, Reiskios et alios magni nominis criticos imitari velint: easque virtutes ad gloriam famamque eſſe efficaces. At enim ſaluo erga tantos viros pudore contendere non dubito, haud pauca loca, quae in mendo cubare videntur, iuſta interpretatione ſecundum ingenium auctoris linguaeque indolem atque analogiam inſtituenda, quin medicina ſemper egeant ſaepe amara, et ſenſui et auctori poſſe reſtitui. Deinde, quum auctores veteres ab omni infirmitatis humanae crimine non eſſent immunes, non ſemper quaerendum erit, num auctor recte ſcripſerit,

nec,

nec, ſi ſecus videatur, melior forſan vbique ſubſtituenda eſt lectio, ſed an omnino ſic ſcripſerit, nec ne, quod vel multitudo vel praeſtantia codicum vel ingenium ſcriptoris aetatisque decernere vt plurimum poterit. Verba enim atque ſententiam antiqui ſcriptoris, non, editoris ſuſpiciones legere iuuat. Verecundia vero vt omnem hominem, cuiuscunque ſit dignitatis, ita inprimis ornat criticum, qui veteris ſapientiae litterarumque manſuetiorum vindex ſtatorque eſſe cupit debetque. Plurimi autem, qui hac Heroſtrati imitatione famae ſuae non minus quam auctorum veterum integritati ſeruire ſtudent, vel ingenio abundant atque laſciuiant, vel arctiore familiaritate cum antiquitate nondum contracta, ſunt iuniores, laudem ingenii venantes, qui fines verecundiae audacius migrant. Tu vero, L. B. ſi frontem curis taedioque rerum humanarum corrugatam vis explicare, lege *Klotzii* epiſtolam multis veneribus ſalibusque conditam, *de minutiarum ſtudio et rixandi libidine grammaticorum quorumdam*, Ienae cIↃ IↃ CCLXI. dein, multis locis reciſis eiusdem Opuſculis varii argum. inſertam: Sane ridebis, patefacta multorum criticorum ſtultitia inſaniaque, atque hilaritas pectus implebit et frontem remittet. Ita vero eſt. Quo autem rariores ſunt critici prioris generis adeo ſuperſtitioſi; eo breuiores erimus in culpandis horum vitiis; nec aliud precabimur illis, quam Deam Bonam Mentem, ſobrietatem atque iudicium. Fieri enim poteſt, vt ab oraculo ſuo obſcura reſponſione ludificentur, atque incauti aliorum fiant ludibrio, id quod Bembo, purpuratae illi Ciceronis ſimiae adcidiſſe fertur, qui vocabulum *multiſſimus*, quod in codice quodam deprehendiſſe ſibi videbatur, aetati tribueret Ciceronis. At vero

Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt.

Poſterioris igitur generis Critici vbique corrigere, vel potius aurea antiquitatis monimenta haud raro ſatagunt vaſtare. Hinc, bone Deus! quot plauſtra Variarum Lectionum, Animaduerſionum, Aduerſariorum, Collectaneorum, Miſcel-

Miſcellaneorum, Emendationum, Dilucidationum, Periculorum et Speciminum criticorum poſſemus colligere, ſi ab renatis litteris inciperemus. Abſit vero ea temeritas, vt credam, omnium operam fuiſſe vanam et perditam vt potius multis, qui veram lectionem aut beneficio felicis et fructuoſi ingenii ſiue ope egregii cuiusdam codicis manuſcripti reſtituere, aut ab incuria et protoruitate aliorum vindicare ſuoque auctori adſerere ſtuduerint, plurimum debeamus gratiae. Illi tantum ingenio et tempore nimis abundare videntur, qui auctoris cuiusdam verba vbique corrigere ſuſtinent, et vel ingenii oſtentandi ambitione ducti, vel obloquendi aliis ſtudio ablati in eo gloriolam laudemque venantur, quod multis nouis lectionibus parturiendis in lucemque edendis ſagaces aliis cupiunt videri. Laudi quidem, quam merentur, non inuideo, ingeniique perſpicaciam atque vbertatem ſaepius admiror; verum per oſcitantiam aut incuriam veteres quoque, vti quotidie adhuc fieri ſolet, poterant allucinari. Illi contra callide, quae

Deſperant tractata niteſcere poſſe, relinquunt.

Quapropter aliud eſt, ſuo ſenſu abuti, et ſeuerum ſedere iudicem, aliud eſt, docte periteque oſtendere, vbi lectio vulgaris, repugnantibus melioris notae codicibus, a conſueto dicendi ſcribendique genere aberrauerit; quod eſt prudentis et modeſti critici, qui auream illam *Clerici* legem in Arte critica Part. III. Sect. I. Cap. XVII. *De omnibus in notis monere liceto, at nulla, niſi manifeſta aut ex MSStis hauſta lectio in contextum orationis infertor*, probe obſeruat. Ridiculum enim eſt, vbique ſecare, vrere, et exclamare: *Falſum; Apage; Ineptiae; Ita lego; Ita repone*, et qui ſunt alii illorum hominum floſculi: aut, nulla vel frigida emendationis adlata ratione, *Bene, Recte, Pulcre*, et quae ſunt ſimilia praetorum illorum edicta, quorum ſenſum vel huius diſciplinae peritus non ſemper intelligere poterit. Nam, vt antea iam monui, emendatio vel ingenioſiſſima ab ignorantia ingenii et linguae auctoris, aut non ſatis callida vſuque firmata ſignificationis ſingulo-

rum

Digitized by Google

rum vocabulorum peritia aut ingenii laſciuie nimiaque feſtinatione haud raro proficiſcitur, cuius rei exempla facile poſſent adferri, ſi e re noſtra eſſet. Quisquis autem, meis verbis fidem denegaturus eſt, illi auctor ſuaſorque ſum, vt obſeruationes ſobriorum criticorum *Burmanni I*, ad ſuos bene multos editos auctores, *Cortii* ad Salluſtium et Plinium, *Fiſcheri*, qui etiam ab initio Proluſionis, *Defenſio locorum quorumdam Platonicorum*. Criticos illos ſuperbos exagitat, ad Theophraſtum inſpiciat, et humanam ſuamque ipſius infirmitatem pariter atque ſtoliditatem cognoſcat. Atque quid prohibet, quominus Burmannum primum, ingenuum et perſpicacem criticum faciam loquentem, cuius praecepta non ſatis inculcanda ſunt. Ille vero in praefatione ad Phaedrum (Leidae cIↃ IↃ CCXXVII. 4) quam cel. Erneſti in praefatione claui Ciceronianae praemiſſa, *auream* vocat *) equis viris gregi Pſeudo-Criticorum peſtiferae occurrit, et „diſſimulare, inquit praeter „ea nequeo ad exponendum publico omnium iudicio hunc „in Phaedri fabulas commentarium vehementes etiam ſti„mulos ſubieciſſe iuſtum timorem, ne diſciplina et ſecta „haec auctores veteres non modo emendandi, vbi merito „librarii abeſſe cenſeri poſſunt, ſed penitus innouandi in„tegras ſcriptorum manus, et pro antiquis et adhuc lau-

„datis

*) Ita vero *Erneſti;* hoc eo dictum volo, vt primo fiant huius criticae diſciplinae ſtudioſi in ſollicitandis veterum auctorum locis cautiores, et in legendis ipſis auctoribus diligentiores, atque ita intelligant, quantae diligentiae ſit haec critica ars, et quam temere faciant, qui, vt aliquid concoquere non poſſunt, aut non ſatis vel analogiae reſpondens vel dialecticis praeceptiunculis ſuis conueniens putant, ita mutare ſuſtinent, quae temeritas eſt cum a multis, tum a cel. Burmanno in primis in *praefatione aurea* Phaedro praemiſſa, reprehenſa; cuius ego praefationis vti tamquam normam mihi ſemper propoſitam habui, ad quam, quidquid eſt huius facultatis dirigerem, ita lectionem omnibus his vehementer commendatam eſſe cupio, qui in hoc genere elaborare volunt.

Digitized by Google

„datis veterum codicum lectionibus recentiorum conie-„cturas obtrudendi pro arbitrio, inualefceret, et animos „iuuenum qui ad artis Criticae, vt facilem et paratam lau-„dem, conuolare auderent, peftilenti fidere adflaret. Qui-„bus enim finibus coërcebitur rudiorum et femidoctorum „audacia, fi viros fummos et magni in republica litteraria „nominis, non modo hanc viam munientes, fed inde prae-„cipuam doctrinae et ingenii laudem captantes temeritatis „fuae patronos et magiftros citare poffint! Haec enim la-„bes et contagio fi ad omnes, qui humanitatis difciplinas „tractare inftituent, tranfire non prohibetur, omnes omni-„no adolefcentes, quibus non plane ingenii acies fit hebes „et ftupida, a Critica arte tirocinia fua inchoare inftitu-„ent, cum nullam ad famam eruditionis fibi conciliandam „magis apertam viam viderint, quam fi in, quemcunque „arripuerint, auctore, quidquid non intellexerint, mutare „non modo veterum codicum lectionem, fed eiectis pri-„fcis lectionibus fua nobis fomnia narrare, et ipfi contex-„tui verborum inferere fuftinuerint. Si vero ad firman-„das coniecturas vel ratione, vel exemplis aliorum fcri-„ptorum, vires fibi deficere fenferint, ad paratiffimum et „expofitum ignorantiae fubfidium, Lexica et indices, qui-„bus hodie fatis orbis eruditus eft oneratus, aut confu-„gient, aut fi nec inde copias et auxilia contrahere poffint, „dictatorio faftu, *ita lege, ita repone*, et fimilibus formu-„lis inopiam fuam breuitatis fpecie velabunt. — — — „Agamus bona fide, vt ingenuos decet, et fateamur, non „alia magis dote, praeter reliqua fermonis adminicula, in-„ftructum debere effe cenforem veteris Latii fcriptorum, „quam perfecta et abfoluta Latini fermonis intelligentia et „copia. Hunc vero nemo fibi breui tempore et laboro „modico, nec ex Lexicis, nec etiam ex vno alteroue au-„ctore fibi familiari et fatis etiam diligenter verfato, fed „longo et adfiduo vfu, improba et continua animi et cor-„poris contentione, et denique ex vniuerfis omnium aeta-„tum fcriptoribus, ad feculi fui genium et confuetudinem

„exactis

„exactis et inter ſe comparatis, acquirere poterit. — — „Omnia tolerabilia forent, ſi ad ſuſpecta ſibi et vitioſa lo- „ca ſcriptorum viſa, commentatores modeſte et timide „coniecturas ſuas et ſuſpiciones proponerent, et intacta re- „linquentes auctorum verba, aliis poſt ſe venturis accura- „tius illa excutienda relinquerent. Si per veſtigia princi- „pum in arte critica virorum, Victorii, Turnebii, Grute- „ri, Caſauboni, I. Fr. Gronouii, Graeuii et aliorum ince- „dentes, ſumma religione veteres membranas tractarent, „nec latum ab iis vnguem diſcederent, quoties optimae „notae et numero plures in eamdem lectionem conſpira- „rent. Hi, ſi vel ſic quoque ſe expedire non poſſent, vel „ignorantiam profiteri, vel a tempore medicinam exſpe- „ctare, quam temeritatis notam ſubire maluerunt. Vbi „vero codicum diſcrepantiis iuſta deprauatae lectionis ſu- „ſpicio oriretur, veram eruendi non aliunde petere ſole- „bant facultatem, quam ex perſpecta et explorata omnis „memoriae antiquitate, linguae latinae conſummata, quan- „tum fieri poteſt, intelligentia et longo vſu et medita- „tione acquiſita omnium ſcriptorum familiaritate. — — „Iuuenes ab hac contagione et blandienti peſte ſunt pro- „hibendi, ne illis a maiorum gentium Criticis — — „νεανικὸν καύχημα obiiciatur. Hi potius antequam ad „vexanda loca veterum accedant, omnes eruditionis par- „tes multo ante meditentur, et huc ſe parent, haec cogi- „tent, ad haec ſe exerceant, et omne tempus ponant in „verſandis veterum nocte et die ſcriptis, vt et ſibi vſum „ſermonis Romani, Eloquentiae veram ſpeciem et colo- „rem comparent, et poëticae voluptatis non vmbram, ſed „ſolidam et expreſſam imaginem amplectantur, vt deinde „ſponte illis ſubnaſcatur de locis ſanis vel adfectis promta „iudicandi facultas, nec altius prius euolare conentur, „quam quo vires efferre eos poſſint.„ Sed ohe! quam multa deſcripſi! Deſinam, quamquam multa omiſi, quae vel veteranis multis noſtrae aetatis criticis audacibus vtilia ſcitu et neceſſaria forent, ne nauſeam excitem, quibus haec

modeſtia, hic pudor, haec verecundia nomen immortalitati tradere haud videtur. Atque inueterata conſuetudo, quam praeoccupatae quaedam opiniunculae confirmant, vix expelli poteſt, ſed inſtar morbi comitialis aut longinqui, quotidie ingraueſcit, et ſanas quoque partes occupat, id quod *Pauoni*, *Guetio*, *Bentleio* eorumque adſeclis eueniſſe videmus et adhuc euenit pluribus diſſeremus.

SECTIO III.

Quam ſobria et criticis noſtris cognitu neceſſaria fuerunt praecepta Burmanni primi, quae in ſuperiori protuli ſectione; tam prudens et graue eſt conſilium cl. *Stoeberi*, quem propter inſignem humanitatem et vrbanitatem non minus quam copiam litterarum et modeſtiam egregio critico dignam magni aeſtimo. Hic vir mihi amicus in noua ſua Manilii editione (Argent. cIↃ IↃ CCLXVII) pag. 513. audacem correctionem, quam *Iuſti* in nupero Specimine obſeruationum criticarum propoſuit, reprehenſurus ita iudicat. „Siccine vero, nobis nullo codicum „antiquiorum praeſidio munitis, et vel ſolis ingenii viribus „aut coniecturae rationibus argumentisque fretis, obſer„uationes concinnare criticas licet et lectionem omnium „maxime ſanam, integram, ſinceram, conſtantique libro„rum veterum pariter ac recentiorum, fide et auctoritate „firmatam ſollicitare, tentare, et ventilandae nouae non„nunquam ineptae et inſulſae opinionis gratia, illam im„mutando commaculare? licet ne? quin potius ad reſi„ſtendum nos mouent viri docti, qui ſaepe fluctus in ſim„pulo excitantes, lectionem ipſis aut minus facile aut pla„ne non intellectam illico clamant deprauatam, interpo„latam, barbaram et nihil quidquam ſani ſpirantem. „Adeoque non negligendi interpretes, qui veram vel veri „ſimillimam exquirunt lectionem, eamque ex ipſis ſince„riorum codicum fontibus, adhibita antiquitatis luce, eru„tam tenent, probant, probatamque non ſuo, ſed auctoris „intelle-

Digitized by Google

„intellectui accommodantes, ea, quae probum virum de-„cet, dexteritate, fide, veri conſcientia illuſtrant. Quo-„circa noſtro omnium primo diffidendum ingenio, noua „tantum, etiamſi meliora, nobis ſuggerenti. Hinc cla-„riſſimus *Beſtius* de ratione interpretandi leges Cap. I. „p. m. VI. non minus vere quam cordate, neque enim, „ait: oportet nos eadem ratione graſſari in veterum au-„ctorum monumentis, quemadmodum praeceptores ſo-„lent in illis, quae diſcipuli eorum compoſuerunt, quae „ab illis mutantur, corriguntur atque etiam delentur pro „libera eorum voluntate atque imperio. Quam ridicula „eſt enim haec collectio: potuit auctor melius loqui hac „ratione, ideoque etiam ita locutus eſt? Nam licet quis „probauerit, multo accuratius atque elegantius, potuiſſe „ſcribi ab aliquo, quam ſcriptum offendit, euincet quidem „male ſcripſiſſe auctorem; at nemini perſuadebit, eum „hoc non ſcripſiſſe, ob hoc ſolum quod imperite aut male „ſcriptum ſit.„ Hactenus cl. *Stoeber.* Nec inique fe-rent lectores, me iuniorum criticorum cauſſa, qui ad cor-rigendum procliues ſunt, has longiores *ῥησεις* excerptas dediſſe. Videbimus nunc quam modeſte paruerint legi-bus artis criticae *Scaliger*, *Pauo*, *Guetius*, *Markland*, *Heinſius et Bentleius* etc. Duo quidem poſteriores fue-runt homines ſagaciſſimi atque elegantiſſimi ingenii: qui vero immodica emendandi lubidine abrepti nimium ferti-les fuerunt coniecturarum vel audaciſſimarum; at enim tanta elegantia ingenii, tanta doctrina, et tanta copia exem-plorum pro ſua coniectura militantium adlata ſuam ſtabi-lierunt ſententiam, vt lectori, licet perito, neque tamen vbique ſatis cauto, adſenſum extorquerent. Haec autem felicitas atque elegantia ingenii non data eſt a natura *Gue-tio* et *Pauoni* horumque complicibus, ſuiue hodie adhuc ſimilibus. Audaces quidem et nimium quantum in con-iectura feroces; ſed ita, vt ad inſaniam rabiemque haud raro delaberentur. *Guetius* enim, quem et *Fabrum* cri-ticorum temerariorum choryphaeos vocat *Burmannus.*

Primus in praefatione ad Phaedrum ſua, in commentariis in Terentii comoedias, non antiquiſſimi comici verba, ſed ſuas comoedias exhibiturus videtur; ciusque diligentia nimium ſubtilis in minutiis interdum verſatur. Modeſtia tamen longe ſuperauit Pauonem, qui non ſolum more *Scaligeri* errorem et peccatum vbicumque deprehendere ſibi viſus, limam ita attriuit, vt ſplendeſcere deſineret; ſed etiam doctiſſimum quemque, conuiciis et iniuriis immane quantum lacerauit. Suamne ſententiam, vt *Bentleius* et *Heinſius* perite fecerant, auctoritatibus aliorum corroborare ſtuduit? Hoc tanto et tam diuino indignum fuit ingenio. Apollo ipſe fuit, qui omnem ſapientiam et veterum et recentiorum (recentiorum? St— —) probe callucrat. Quid ille aliorum indiget iudicio, qui ſuis ipſius oculis vel occultiſſima cernere et quae ſumma laborant difficultate facile et feliciter expedire poteſt? Quid ſi nodum Gordianum arte ſoluere non poſſumus, quid igitur vetat, gladio Alexandri eum diſcindere? Immo vero facias mi *Pauo,* ſed aliis aeque prudentibus aut te prudentioribus liberum relinque iudicium, nec in alios viros iuſtos, probos, doctos euome verba abiecta, contumelioſa, inhumanam inſanamque mentem ſpirantia, et quaecunque atra bilis et mens ſuggeret improba; nec committe, vt nouus editor *Crenii* epiſtolarum *de furibus librariis* horum numero te aliquando adnumeret. Ita vero rem ſe habere, e qualibet paene pagina auctorum, quos notis ſuis inſtructos auctosque edidit, cognoſci poteſt. Magna quidem fuit in eo graecarum litterarum peritia, quae inſignem gloriam parare potuiſſet, ſi in eo plus fuiſſet iudicii, vrbanitatis, modeſtiae, pudoris et verecundiae, minusque feruoris, arrogantiae, ὕβρεως et audaciae. Quam vero ſuperbe ſe gerit in notis in *Pindarum* (Traiecti ad Rhenum 1747)! quam acerbe egit aduerſus *Calabrum*, eiusque doctos interpretes, *Rhodomannum* et *Dauisqueium!* et quanta virium ſuarum fiducia fultus corrigit, emendat, ſubuertit verba poëtae (edit. Lugd. Batauorum

rum 1734)! Quam audax, et nescio an dicam insulsus
est in permutandis *Anacreontis* carminibus (editis Traie-
cti ad Rhenum 1732), quorum dulcedinem plane non
sensisse videtur? Miseret me elegantissimi Poëtae a Pauone
ic dehonestati et veneribus orbati. At quid opus est lon-
ga correctionum et audaciae, quae Pedantismum quam
naxime redolet, enumeratione, quum *Doruillius* in *Cri-
ica Vanno in innanes Ioann. Cornelii Pauonis Paleas* (Am-
telaedami 1737) audaciam, inhumanitatem et barbariem
atis palam fecit et castigauit. Atque vt noui Critici di-
cant, quomodo dissentientes aut aduersarios depexos dent,
iuat siluam quamdam Pauonis verborum aureolorum ex
Vanno critica pag. 76 seq. huc transferre. „De Barnesio
t Baxtero scribit, *putide et inepte vt nihil magis Barne-
us, si sapuisset nugas illas debuisset proscribere.* Vah in-
ptiae, quae ipsis pueris sunt indignae. Apage, apage, in-
ptias plus quam ineptas. Criticus Dupondius. De
entleio ita scribit: quia mares plus adamat homo quam
lermaphroditos. Deuoto scelestissimo mastigia. Ad
oruos cum tua maledicentia, dignus es patibulo. Syco-
iantarum primipilus. Ad coruos, coruos, Timon, cum
a maledicentia. Gruniat, gruniat per me licet. Blate-
ns ille canis, seruo pecori; abeat in malam rem cum
is inaniis. Canem latrantem non audio. Cerritus me
rcle sit, qui aliter sentiat, apage apage igitur commen-
m. De *Stephano Berglero:* graeca non satis intelligit.
e *Gregorio Bersmanno* et *Ioachimo Camerario:* nugas
n amo et parentibus C et B relinquo lubens. Coecus
cipulus, coecus magister. Homines digni, ita viuam,
ibus ferularum infligantur ictus, nihil peius aut perple-
is. De *Andrea Dacierio.* Quo commento nil auda-
s, dicam et ineptius; nugae, nugae, quae cum pessima
rigendi audacia facessant ad ipsos coruos. De *Tiberio
nsterhusio.* Vah! ineptiae longe putidissimae, quibus
ien fastus et supercilium inest. Hoc moneo virum
tissimum, qui ista scribens nasum non potuit ducem se-

qui. De *Claudio Salmasio:* ego Salmasio mehercule succenseo, quia istas elegantias nobis extorquet et audacter reponit. Apage, apage diram corrigendi libidinem cum summa ignorantia coniunctam. Quid agis, nonne ea critica nasutum plorare iubent? *Salmasius* ineptissime ita vivam et nullo iudicio. Haec sciunt qui linguam callent et aliquem habent iudicii vsum. Quare ineptiit vir eruditus et plane aliena efutuit. Facessant, facessant nugae Salmasianae, quas nunquam legi neque legere potui absque risu. Mirum, mirum.„ Sed desinam cum Pauone insanire. Mirum! mirum, posse hominem adeo insanientem et inuerecundum esse!

Enimuero cur adeo verbosus sum in laudandis Pauonis virtutibus? Quoniam in nonnullis aetatis nostrae criticis cum in lingua latina tum etiam nostra vernacula scribentibus, quibus scapulae valde gestiunt, licet non illam immensam audaciam, sed parem inuerecundiam et rusticitatem erga alios animaduerto, ita vt in animis Criticorum huius generis transmigratio animorum illa Pythagorica paene possit statui. Multi enim latebris suis ita occultant, vt raro emergant e patrio nido, nec in luce versari audeant. Sedulo reticent nomen, quo liberius iudicare, vel potius inuerecundius conuiciari et criminari possint. His autem Censoribus immanibus, dum latrare et mugire audent, cordati, et qui forti sunt animo, cum Martiale oggerunt:

Allatres licet vsque nos et vsque
Et gannitibus improbis lacessas,
— — — — — —
Nos hac a scabie tenemus vngues.

Ab aliis autem, caueant isti homunciones, ne par pari referatur, vitiaque in apricum proferantur, vti praeter alios factum est Pauoni a Doruillio in libro supra memorato, et Burmanno Primo, magno quidem philologo, sed dicaci, a Maittario, vti ex quibusdam locis suspicor, in *Chrestomathia Petronio-Burmanniana* (Florent. 1734.) et Burmanno

Digitized by Google

manno Secundo a Klotzio in Anti-Burmanno (Ienae 1762) et in *Funere Petri Burmanni Secundi* in Belgio 1763. et a Saxio in diuersis scriptis, in quibus multa sane ridicula narrantur; vt controuersias Salmasii cum Heraldo acerbas aliorumque omittam. Atque vt critici, cuiuscunque sint generis, more Hemsterhusii, Gesneri, Mori aliorumque sobriorum hominum litent verecundiae Musisque pudicis, nec famae aliorum, quin immo suae, et verbis sententiisque veterum iniuriam faciant, valde optandum est. Audaculi enim discerent, vel leui interpunctionis mutatione, vt Bestius de ratione interpretandi leges multis ostendit locis, vel interpretationis linguae legibus et ingenio scriptoris adcommodatae beneficio se locis, quae aegrota videntur, posse mederi, vel nulla locum egere curatione. Dein lectorum antiquitatis rerumque ab auctore propositarum non satis peritorum, in primis iuniorum editores maiorem habere debent rationem, vt Broukhusius, Vulpius, Heyne V. C. aliique bene fecerunt. Multi enim cum Moshemio *) querentur. „Si fas est, hominem, harum deliciarum non „nimis peritum aestimatorem, aperte sententiam dicere, „vna re commentatores hi recentiores displicent. In „verbis enucleandis illustrandis vnice laborant, rerum nul„lam plane habent rationem. Credo facile, viris eruditis „nihil hoc negotii facessere: at meminissent vellem edi„tores, plerosque lectorum mei esse similes, qui, dum ve„teres auctores legunt, inoffenso pede pergere volunt, nec „ipsi tamen tanta praediti sunt rerum antiquarum cogni„tione, nullius vt interpretis indigeant.„ Nolo quidem n animaduersionibus disputationes mythologicas aut antiquarias legere, nec crambem decies coctam adponi, vt Ignatius, Merula aliique superiorum saeculorum (qui vero pro sui temporis ratione excusandi videntur) quin nostrae aetatis editores, vel hoc nomine pedantis adcensendi,

*) In Moshemii ac Gesneri epistolis Amoebaeis, quas Christian. Adolph Klotzius edidit Lips. 1770. p. 121.

Digitized by Google

ſendi, fecerunt; nolo aceruum ſententiarum ad mores ſpectantium, aut obſeruationes politicas, multo minus pueriles Iunkeri Vhſiique notulas legere: at ea tamen, quae lectionem continuam impediant, paucis explicita volo. Deinde auctores veteres non legimus, vt varietatem omnium vel leuiſſimarum lectionum aut editorum omnium ſuſpiciones aut portenta ſciamus, ſed vt ingenia veterum noſcamus, vt ingenium ſcribendique genus noſtrum emendemus atque ornemus, vt delectemur, vt acuamus ſenſum pulcri et iudicium. Tu vero ſume Scaligeri et Bentleii Manilium; ſume Bentleii Horatium et Heinſii Ouidium aliosque ab his et aliis horum ſimilibus editos auctores! Ingenii vbertatem et perſpicaciam, diffuſam veterum lectionem memoriaeque felicitatem atque induſtriam admiraberis, ſed ſi ipſe non es poëta, nec omnis mythologiae atque antiquitatis ſcientiae initiatus, poëtas illos non omnino intelliges. Multas quidem nouas lectiones ſubtiliter excogitatas, ſiluamque formularum horrendam; nec tamen explicationem difficiliorum locorum, aut quae virtutes, quae vitia ſint poëtae, quae ad conſtitutionem carminis cognoſcendam faciant, quae ab ingenio auctoris profecta aut ab aliis ſumta ſint, facile reperies. Ad intelligentiam igitur vis et venerum Horatianarum interpretatio Sanadonii, ſaepe quidem nugacis et iuſto audacioris, magis quam ſubtilitas Bentleiana conducet. Multas quoque habemus editiones Ciceronianarum orationum in vſum praecipue iuuentutis publicatarum; plures vero ſunt ſteriles, aut tantum criticae, parum vero lucis ex iure Romanorum, hiſtoria et antiquitatibus adcendunt locis, quae multa ſunt, obſcurioribus, multo minus virtutes, atque ingenium auditoribus adcommodatum fallaciasque oratoris apte docent. Dices quidem, harum rerum interpretationem ſenſui lectoris atque inſtitutioni ſcholaſticae eſſe relinquendam, et viris doctis dapes eſſe adponendas eximius: atque Hottomannum, Manutium et multos alios nihil paene intactum reliquiſſe, quod ex hiſtoria vniuer-

ſaque

ıque antiquitate esset explicandum. Audio, nec tamen ictas do manus. Nam, vt ea, quae Moshemius modo ıudatus recte monuit, nunc omittam, non omnes ſcholaım magiſtri, multo minus diſcipuli illorum doctorum ominum commentarios nimis interdum fuſos habent: e uibus igitur ad interpretationem loci cuiusdam ſcitu neeſſaria excerpere poterit editor. Dein illi etiam humani liquid pati poterant, vti recentiores oſtenderunt. Tum on omnium orationum iuſtam interpretationem ſemper :cipiunt tirones, quibus, et vero multis magiſtris ſüc-ırret prudens editor, artificium oratoris vel pauciſſimis ſtendendo. Denique ſi tantum monentur, rem curatius ıueſtigabunt, et veneres tam oratoris, quam poëtae dili-:ntius perſcrutabuntur, meliusque imitabuntur, quod, iſi moniti, forſan omiſiſſent, optimoque caruiſſent fru-:u. Frugalitatem vero et parſimoniam rerumque dectum commendamus. Multi tamen doctores et critici, ti in libris ſcriptis, ita etiam in doctrina et inſtitutione iorum ſteriles ſunt atque impetuoſi, pectusque iuuenum ɔn complent formantque illis, quas praecipue exponere :bent, veneribus orationis et luminibus, quae ingenium ıam maxime illuſtrant poliuntque, illaque Muſae atticae auitate, quae nomina veterum tradidit immortalitati. um vero venuſtate atque elegantia neglecta, obſcuritam tantum et obſoleta ſummaque difficultate et caligine ɔuoluta aucupantur, amant curantque, vbique face ſua itica vtuntur. Hinc etiam, quoniam omnia promiſcue gunt, nulla ſuauitatis ratione habita, dicendi generi difili, obſcuro, vltimamque redolenti antiquitatem adſueti, ſcribunt, vt lector horum libellorum Oedipo paene nper egeat. Neque vero in ſinu ſuo non gaudent, ſibie videntur doctiſſimi. Sed enim

Scribere te, quae vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline libris.
Iudice te, maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur. — — —

Inter-

Interdum, quod miraberis, critici, qui custodes linguae purae atque elegantis esse debent, syllabas tantum numerando et varietatem lectionis ad nauseam vsque colligendo, parum curant puritatem atque subtilitatem linguae, et prope barbarius scribunt, quam faex et diobolarium philosophorum turba vulgo facere solet, id quod etiam *Burmanno* secundo a Censore editionis suae Aristophanis in Actis litterariis Goettingensibus plagula 84. anno 1760. obiicitur, vbi Censor: *Es wäre zur Ehre der schönen Wissenschaften zu wünschen,* inquit: *daß der um dieselben hoch verdiente Herr Verfasser mehr Sorgfalt auf die Reinigkeit und Richtigkeit des lateinischen Ausdrucks wendete. Die Jugend bildet sich zum öftern ein, die Critici wären gute Lateiner, und es sollte dieses billig zutreffen. Sonderlich sollten sich solche Männer befleissigen, so viel möglich, frey von Schreib-Fehlern zu seyn, welche so heftig auf andere losziehen, wie hier auf den verstorbenen Pau geschieht.*

At vero magna opus est cautione, ne alio eoque contrario corripiamur mentis morbo, et omni relicta litterarum et rerum arte critica, more nostrae aetati valde communi, tantummodo videamus, miremur aliisque inculcemus, quid in figuris, picturis elegantiisque verborum sit venustum, et non nisi belle legere, belle scribere, belle interpretari, belle iocari, et ludere velle videamur. Res sane praetiosa est talis bellus homo et scriptor. Vir enim seuerus et grauis Cotillo illi bello adclamabit cum Martiale.

Omnia vis belle, Matho, dicere, dic aliquando
Et bene: dic nostrum. Dic aliquando male.

Nos enim si veteres solummodo more pictorum intuebimur, legemus, aut vbique picturas animaduertemus, nullaque re, nisi quae in sensum cadat, delectabimur, pueros demum imitabimur, qui eas tantum picturas amare, in quibus magna est colorum varietas; eas autem contemnere solent, in quibus insignis et naturalis est simplicitas, et quibus pretium propter neruos ossaque, licet nuda, egregie

ie tamen expressa, constat. Atque vereor, nisi media ıcedemus, tota Germania aliquando completa erit Abbaibus Gallicis, verae et salutaris doctrinae corruptoribus:

Cantica qui Nili, qui Gatidana susurrat.

— — — — —

Inter foemineas tota qui luce cathedras
Desidet atque aliqua semper in aure sonat.

)um vero compares in coetu seueriorum, nec de rebus ıdicris bellisque sermo est, tunc magis mutus es, quam iscis, similis illius homunculi, de quo Martialis canit:

Declamas belle; causas agis, Attale, belle;
Componis belle mimos; epigrammata belle;
Et belle cantas et saltas Attale belle;
Bellus es arte Lyrae; bellus es arte pilae.
Nil bene cum facias; facis attamen omnia belle.
Vis dicam quid sis? magnus es Ardelio.

\t vero elegantes hos homines, qui classi *galantismi phi- ologici* potius adcensendi sunt, non amplius turbabo. 'tramque igitur artem criticam, quam supra descripsi, 'erus et sapiens philologus exerceat: nec nimium sit tri- :is ac molestus, nec nimium bellus necesse est, et qui al- erutram negligit, aut nimis vrguet, quo modo a crimine edantismi liber esse possit, alius videat.

Ἀλλὰ ταῦτα ἱκανὰ de Criticis.

\h! quid video

Bella, horrida bella
Et Tybrim multo spumantem sanguine cerno.

'ideo grammaticos; prodeunt armati omnibus partibus ora- ionis, innumerisque grammaticarum plaustris instructi.

Graditur bellum ad crudele

ucibus heroibus immortalibus, *Orbilio, Prisciano, Isido- o, Francisco Philelpho*: acies instruitur: ordines dispo- untur ab antiqua *Parisiensi academia*, in quorum signo

lege-

Digitized by Google

legebatur pronomen relatiuum cum sua familia; *a Scioppio*, cuius signo intextus fuit Erinacius; denique a *Perizonio* ab altera parte, ab altera a *Küstero*, quorum signum fuit *Cerno*. In primo ordine sunt constituti Etymologici; hos sequuntur, qui pro tono et accentu et apicibus vitam potius, quam odium contra aduersarios ponunt; hos excipiunt, qui de vi et potestate vocabulorum, de Syllabarum dimensione, de antiquitate et praestantia singulorum vocabulorum, de auctoritate veterum prae recentioribus, de litteris pereuntibus, de oblitteratis numis et inscriptionibus iudices sedere volunt, ita pro illis dimicaturi, quasi vniuersa respublica litteraria in summum adducta esset discrimen. Congrediuntur: signum datur omnibus clamoribus, tubis et tibicinibus, vt aër percutiatur: manus conserunt; aestuant ira et furore abrepti, aduersarios adgrediuntur: vulnerant ac vulnerantur, et denique multis confossis et occisis, fassi lassique discedunt: gloriantur tamen, licet magna facta virium iactura, sibique coronam ciuicam meruisse videntur. Nonne vero admirabimini et osculabimini, Lectores, viros hos strenuos, hos feroces, hos vindices atque statores verae eruditionis, dignos, quibus statuae in Capitolio ponantur. Ah! vos dicitis, quae istae nugae! cauete! foenum habent in cornu. Palescite! aufugite! ne vos feriat et laceret Grammaticus;

Hic niger est, hunc tu, Romane, caueto.

At enim legite *bellum grammaticale, nominis et verbi regum, de principalitate orationis inter se contendentium editum ab Andrea Salernitano, Patricio Cremonensi* (in libello iocoso et iucundo, *dissertationum ludicrarum et amoenitatum scriptores varii* inscripto. Lugd. Batav. 1644. in 12. pag. 400. *) Legite et vires colligite! Nos vero non

*) Recusum fuit bellum grammaticale. Coburg. cIↃIↃccxxxviii. in Octernis, vbi editor in praefatione multa etiam iocosa dixit; ego vero magnam suarum libro subiunctarum obseruationum partem lubenter donassem, vt mitius sentiam.

Digitized by Google

on adeo timidi sumus, vt eorum fugiamus adspectum; ec tamen spernimus vsum grammatices, sine qua nulla :s esse potest. Quam vero etiamsi maximi aestimamus, on tanti tamen facimus, vt cum *Antonio Maioragio* apud *lotzium* in epistola de minutiarum studio et rixandi liidine grammaticorum quorundam pag. 224. in opuscu; varii argumenti, quasi furibundi exclamemus. „O vitae Grammatica dux! Scientiarum omnium indagatrix expultrixque ignorantiae! Tu igitur sola totum terrarum orbem regis ac gubernas. Tu tuo diuino fulgore cuncta collustras, tu mores hominum componis, tu vitae ationem instituis, tu priuatam domum custodire, tu ciitatem regere doces. O diuina atque admirabilis cientia! O mentis nostrae clarissimum lumen! O vitae umanae praecipua moderatrix." At videbimus, quim illi sint Mirmilones grammatici, qui litteris haud ra plus dedecoris, quam ornamenti apud prudentiores tulerunt.

Iterum vero, ne iniquus exsistat meae orationis inrpres, qui me seuerae disciplinae et grammaticae esse ntemtorem clamitet, sancte profiteor, me magni aestiare grammaticam, et probo Petauium, qui singulis an; grammaticam, ne in suis libris illius transiliret praece1, perlegit. (vide Anecdoten der Gelehrten P. I. p. 105) mo vero contendo, grammaticam interpretationem esse accipuum interpretis officium, potestatem et vim verrum propriam siue grammaticam siue rhetoricam omnie esse inquirendam, Sanctii Mineruam a Perizonio ornan et magistris et discipulis commendandam, genealom quasi vocabulorum inuestigandam eamque tradenn haud iniquo loco, eiusque cognitionem ad intelligenn et linguae et multorum locorum subtiliorem esse in mis efficacem; eamque ob caussam ad originationem natales vocabulorum interpreti saepe esse confugienm. Abusum igitur grammatices, non vsum rectum po, eosque, qui omne vitae tempus illi tribuant, et sub-

sidium

sidium illud in interpretatione veterum tamquam vnicum eruditionis fulcrum et ornamentum, vnicumque officium esse autument; res vero ab auctoribus traditas et ornatum orationis artificiique rationem paene negligant, pedantis adnumerandos esse iudico. Cognoscite igitur, nec me criminis reum agite!

Ab etymologia ordiar: quam quidem, si temperare possumus, valde vtilem et necessariam esse, iam monui, quia saepius conducit ad certam et adcuratam linguarum ipsorumque populorum historiam, ad intelligendum vocabuli ac totius particulae cuiusdam sensum. Natales graecorum vocabulorum in ipsa Graecia quaerendos esse cum Hemsterhusio arbitror, et in commentatione VI. de interpretatione Homeri nuper vberius commonstrare studui, et plurima Romanorum vocabula ex lingua graeca orta esse existimo. Ego vero, re valde lubrica, et quod multa coniecturis saepe fluxis nituntur, nollem conscribere Lexicon Etymologicum, nec cum Clerico, Bocharto aliisque originem singulorum graecorum vocabulorum a Phoenicibus aliisque Orientis populis ducere: multo minus cum Becmanno originem vocabuli cuiusdam modo apud Graecos, modo apud Hebraeos, et nescio, quos alios, anxie quaererem; nec, vnde singula vocabula latina sint profecta, num ab Etruscis, an a Graecis, an a Celtis, an ab Orientis incolis, inuestigarem sollicite. Medium tenuisse beatum. Attamen adhuc sunt quidam doctores vmbratiles, qui omnem eruditionem in hac doctrinae particula, omneque ingenii domicilium in hac sterilitate ponant, nec, quae tamen requiruntur virtutes, Bocharti ingenium et multarum litterarum copiam, nec Vossii sedulitatem, nec promtam paratamque habeant eruditionem. Suas tamen nugas aliquid esse putant et gloriantur. Valete, Vos Pedantae! Ego vero quam maxime cauebo, ne vobis aliquando adnumerer. Naturam enim in largiendis donis erga vos haud fautricem experti, quum famam quamdam in orbe litterario consequi omni studio labo-

Digitized by Google

ıboratis: in ſpinis et carduis ſudatis, eaque moleſta ne-otia, in quibus perficiendis graciles digiti, ferrea indu-:ria et paullulum ingenii requiruntur, hilares laetique, ımquam operarii ſuſcipitis. At veſter ſit labor! Veſtra t gloria! Sin ſapere vultis, ſuaſor vobis ſum, vt, niſi traque lingua et hiſtoria populorum perfecte cognita, ab-ciatis conſilium veſtrum, et doceatis meliora. Alias, ſi ouum exoriretur bellum grammaticale, facile fieri pot-ſt, vt reges vos tamquam latrunculos atque inſidiatores xiſtiment, et vos, (veſtrum me miſeret!) captos interfi-iant, vel fugatos omni grammatica procul expellant.

SECTIO IIII.

Vos vero Etymologici, qui ex Graecia omnes veſtras diuitias furati eſtis, et reliqui Grammatici, aſſem mi-i parate: nam hiſtoriolam accipietis plane auream. Au-ite fatum, quod in ardenti illo bello maioribus veſtris dcidiſſe, *Andreas Salernitanus* (p. 422) memoriae pro-idit. Latrunculos eiusmodi in ſaltibus latere et omnem 'rammaticae prouinciam vaſtare quum audirent reges, ıiſerunt de vtriusque conſenſu duces quosdam peritiſſi-ıos cum militum opportuna manu, vt eos caperent et ıterficerent, „qui, vt ait *Salernitanus*, ad ea peruenien-:s loca circumdato militibus quibusdam ſaltu, in quo ple-ɔsque ex illis latere compererant, omnes ad vnum inter-epere. Inter quos fuit quidam nomine Catholicon, qui randem aſinum vocabulis Graecis Latinisque confuſe per-ıixtis onuſtum in Italiam agebat: et ceteros quidem uum laqueo necaſſent, hunc ſolum vinctum cum ſuo aſi-o in caſtra duxere. Qui tormentis coactus, (quod alio-ui manifeſtiſſimum erat,) confeſſus eſt, ſe omnia voca-ula in Grammaticae terris furto ſurripuiſſe. Cum vero ım quis Graece interrogaſſet, ingenueque reſpondiſſet, Graece nihil ſcire, Latine autem parum; quid ergo inquiunt iudices) graeca tecum defers vocabula, quae

non

non intelligis? Ad quae ille: tanta apud noſtrum plerosque, inquit, litterarum eſt imperitia, vt etiam ſi barbare loquar, facile illis perſuadeam, me Atticae eloquentiae angulos omnes penetraſſe: *) riſere vehementius adſtantes cuncti, hoc audito: et mehercule, inquiunt, quando tam faciles auditores habes, quae tua ſunt, aut alias quorum domini non comparebunt tecum, ad illos ferens ibis incolumis. Quae vero certum dominum dignoſcent, ea vt reſtituas, dignum iudicamus. Facta igitur diligenti inquiſitione, omnia ferme Graeca Iſidoro, cuius fuerant, reſtituere, cetera Latinis et ipſis marcidis macidisque permixta, vt aſportaret, permittentes. Illum dimiſere cum ſuo aſino iam leuius incedente, iubentes nihilominus, ne vnquam, niſi inter imperitos et indoctos auditores ſuos Grammaticum ſe profiteri auderet." Hactenus *Salernitanus*, et vereor, ne quosdam vel noſtrae aetatis pupugerit. Nullus tamen Etymologicus callidior, ſapientior et acutior fuit, quam ſidus illud litterarum latinarum in Galliis paene intereuntium, magnus ille *le Bel*, qui Lutetiae Pariſiorum edidit (a. 1763. in octernis) *L'anatomie de la langue Latine.* Huic vindici omnium elegantiarum adclamo cum *Klotzio* **).

Phoebe faue! nouus egreditur tua templa ſacerdos.
Huc, age, cum cithara carminibusque veni!

Nouam

*) Ha! quam bella imago multorum etiam noſtrae aetatis hominum, qui Homerum frequenter in ore habent, omnes tragicos omnesque graecos Poëtas legiſſe videri volunt, ſententiolas graecas ſuis immiſcent nugis; qui, ſi coram illis iudicibus rationem redderent, pudore ſuffuſi confiterentur, ſe verſiones latinas vix intelligere, Schreuelium ducem ſibi eſſe vnicum ad ſingula vocabula obiter explicanda, ſe fures eſſe virgis caedendos. Ita vero eſt, per genios veterum poëtarum!

**) Qui recenſum huius libelli dedit in *actis litterariis.* Vol. II. pag. 203. e quibus exempla ſumſimus.

Digitized by Google

Nouam plane ingreditur viam, originem vocabulorum latinorum rimandi et inueniendi. Legite, obstupescite et admiramini felicissimum acuti *Beli* ingenium! *Romulus*, inquit, compositum est ex *Rom*, radice verbi *Roma*, et *molus*, e quo vocabulo descendit, *molior*, *moliri*, id est, aedificare. Verbum *Rom* deducitur a *Ro*, radice verborum *Robur*, *rota*, *rumpo*, *ruo* etc. et a *mus*, *ma*, *mum*, quod in prisca latina lingua magnitudinem indicat. *Roma* significat proprie *magnum robur*, et *Romulus* pro *Rom-mulus* est auctor magni roboris. Octo proponit regulas, quibus totam hanc diuinam artem contineri dicit, quas *Klotzius* libr. excit. memorat. Nos vero tertiam tantum excerpemus. In radice inuenienda, adtendenda sunt, quae composita siue deriuata verba communia habent. In verbis *pa-sco*, *pa-ui*, *pa-bulum*, aut *ma-gnus*, *ma-ior*, *ma-ximus* videmus immutabiles syllabas, *pa* et *ma*; hinc adparet veram radicem esse *pus*, *pa*, *pum*, id est *pascere* aut edere, et *mus*, *ma*, *mum*, id est *magnus*. At enim quid diutius morabor in deliriis huius Galluli, quem cum *Klotzio* his verbis dimitto.

I bone, quo tua te virtus vocat! I pede fausto!
O longum formose vale, vale — — Jola!

Mittamus tecum etymologicos horridos, et horum seuerorum nugas omnes vnius aestimemus assis. Ad alios, horum dissimiles, me conuertam.

Quot disputatiunculas, libellos et libros a renatis litteris conscriptos habemus, in quibus de accentibus graecis eorumque antiquitate, de pronunciatione, vtrum Reuchliniana an Erasmiana vera sit et antiquissima, de so- et aliis minutiis cum multa quidem doctrina, sed haud raro ingenti animi vehementia, cum magno verborum strepitu et inanitate disputatum est. Superbum vero istud vanum quorumdam conamen vrbane et docte exagitat auctor libri ludicri, *singulare certamen grammatico-criticum de orthophonia et orthodia Graeca inter duos strenuos*

linguae Graecae cultores habitum, inſcripti. (Coburg. a. 1740. in octern.) Quare ego de his nolo eſſe verboſus. Quid vero ais? Borrichius de quantitate penultimae denominatiuorum in *inus* et verbalium in *icis* contra Vrſinum libellum XV plagulis paene conſtantem edidit. Rides; idemque ridebis, me tibi narrante lepidam quamdam de pedanta quodam philologico hiſtoriolam, et quam praeter alios commemorauit *Niceron in Nachrichten von berühmten Gelehrten* (Part. VI. pag. 133. ex interpretatione Baumgarteniana). Concurrite ciues et fauete linguis! Sedete iudices, et corrugata fronte cognoſcite! Quaeſtio eſt de re grauiſſima, de veneranda barba, qua Critici et Philoſophi veteres nihil habuerunt antiquius. Comparent *Philelphus* et Graecus quidam *Timotheus*, qui iam diu de ſyllabae cuiusdam graecae quantitate litigarunt. Conteſtantur litem, et tandem de pignore certant. Spondet Philelphus, ſi cauſſa caderet, ſe Timotheo certam pecuniae ſummam ſoluturum eſſe: Timotheus contra, quoniam homo pauper in hac controuerſia nullo ſacramento contendere poterat, deſcendit in aciem, vt victus barba multaretur. Res defertur ad graecos poëtas, tamquam vnicos arbitros, et Timotheus cauſſa cadit. Miſellus et pauperculus Graecus rogat, orat, obteſtatur: durus autem Philelphus nullis precibus adduci poterat, et Timotheo barba detondetur.

Ridete, quidquid eſt domi cachinnorum!

Ridete etiam, quando legitis, academiam Pariſienſem cum Profeſſoribus collegii regii olim litigaſſe, num *Kiskis, Kamkan*, an *quisquis, quanquam* pronunciare debeatis. (v. *Merkwürdigkeiten zur Geſchichte der Gelehrten* etc. P. II. p. 114.)

De vi, poteſtate et puritate ſingulorum vocabulorum multi multa docte ſcripſerunt, et Latium labore Herculeo a ſordibus purgarunt immenſis. Equidem non reprehendo acre illorum ſtudium, laudoque Voſſium, Vor-

ſtium,

Digitized by Google

tium, Ienſium, Borrichium, Cellarium, Heuſingerum aliosuc, e quorum ſcriptis multum me cepiſſe vtilitatis haud iffiteor, eorumque librorum lectionem, non pubi tanım ſcholaſticae, ſed viris quoque, qui in aeſtimatione uadam eſſe, et latinis litteris res graues illuſtrare et ſcriere aliquid cupiunt, quod doctis placeat hominibus, nec nte obitum auctoris intereat, valde commendandam eſſe ənſeo. Multi enim philoſophi, theologi et reliquorum rdinum homines tam barbare inficeteque ſcribere ſolent, uod inficeto eſt inficetius rure, vt, qui aures habent tere:s, abiecto libro, ab auctore ipſo non intellecto, exclaıent cum Catullo,

Dii magni, horribilem et ſacrum libellum!

t vero quis cum *Cellario* illam laboris moleſtiam ſuſtinet, vt ad vocabula quaedam dubiae aetatis a criſi aliorum ndicanda omnes ſcriptores veteres claſſicos, quod ipſe in ıris poſterioribus ait, praeſertim ſolutae orationis, etiam quioris, inde a ſaeculo Theodoſii et Honorii ad Ciceros tempora regreſſus, legendo percurrat fere ſingulos: ıt quis cum eo omnia Hieronymi opera perleget, vt inlligat, num ſcriptor hic eccleſiaſticus vocabulum *in ·aeſentiarum* vſus fuerit? Ego vero nolo piſtrino huic ›eram addicere. Nolo profecto. Dummodo liber quim me noua et vtilia doceat, aut multarum facetiarum ənus triſtem delectet, nec latinitatis expers, in horrido:c et inaequali ſtilo exaratus, et, quantus quantus eſt, loecismis, barbarismis et vocabulis peregrinis ſcateat, ·n ſuccenſeo auctori, ſi quaedam vocabula ſiue breuitaſiue perſpicuitatis cauſſa ex media quoque, adeoque ex ima latinitate ſumſerit. Ac lubenter ſubſcribo ſenteńe *Facciolati*, Itali prudentis, et, ſi quis alius popularium ›rum, linguae latinae periti, quam tulit in praefatione oratione primam, in hacque ipſa, (in orationibus ːem de optimis ſtudiis. Lipſiae 1725). Quamquam ıfiteor, librum eleganter, concinne et emendate ſcri-

 ptum

Digitized by Google

ptum a pluribus legi, et parenti ſuo ſuperſtitem fore; nec nego, cuiusIibet eſſe auctoris, adlaborare, vt illas exprimat virtutes: multis tamen nimium religioſis id adcideret, quod C. S. *Schurzfleiſchio* eueniſſe dicitur; qui, quum orationem compoſiturus, in qua non aliud vocabulum, ac e Tullio depromtum occurreret, vnicum vocabulum, quod latine reddere haud potuit, in Cicerone, omnibus huius ſcriptis ideo perluſtratis, non reperiret, ira incenſus, conſilium mutauit, et, quam meditabatur, orationem abiecit. Ridere etiam ſoleo, quando hominem video multas tricas et turbas excitantem, qui in minutiis verſans, in ſinu gaudet, quando in ſcriptiunculis aliorum, plenis alioqui eruditionis aut facetiarum, errata leuia, ſiue ab oſcitantia quadam, ſiue negligentia, ſiue typothetae inſcitia, ſiue alia quacumque ratione profecta deprehendere obeloque notare poteſt. Haud diſſimilis Domitiani eſſe videtur, qui muſcas ſagittis venenatis feriendo et transfigendo tempus ludere, quam recte beneque viuendo et faciendo, ac peccatis leuioribus ignoſcendo, bonus ciuis et imperator audire maluit. Sero autem illi reſipiſcentes cum *Scaligero* exclamabunt:

Plus poenitet me temporis, quod impendi
In Grammatiſtas et leues locutores,
Vanas poëtarum atque perditas nugas,
Quam barbarorum quae leguntur in libris.
Haec eſt mearum tota ſumma ſummarum:
Stultum ac ſupinum plumbeique deliri,
Rebus relictis conſeneſcere in verbis.

Secus eſt, ſi quis hominem inuerecundum atque arrogantem, et qui ſe in Latio proceribns ac principibus adnumerandum cenſeat, more Grammaticorum perſtringit, atque infantiam dicendi, incultumque et vitioſum ſcribendi genus palam facit: quod quidem et homini illi ſuperbulo eſt ſalutare, et alios tam cautiores reddit, quam prudentiores. Quare Scioppii, mordaciſſimi hominis, *Infamiam*

Famiani

Digitized by Google

Famiani (Sorae 1658) non plane comtemno: at *Perizonii* sedulitatem, qui cum *Kustero* de potestate vocabuli *Cerno* et cum *Iac. Gronouio* de vi vocabuli ἀπάγχεσθαι nimium subtiliter et copiosius, licet docte, disputauit, nolo imitari.

De lepida, quam Galli mouerunt, controuersia, num veteres an recentiores maiorem mereantur laudem et quasi praerogatiuam, et cuius historiam cel. *Ayererus* in *commentatione de comparatione eruditionis antiquae et recentioris* subiuncta Blakwalli libro de praestantia auctorum classicorum latine verso (Lips. 1735. in 8.), et Gallus quidam in *Querelles litteraires*, où Mémoires pour servir à l'histoire de Revolutions de la République des Lettres depuis Homere jusqu' à nos jours (germanice vers. Lips. 1765. tom. II. pag. 242.) scite texuerunt, quid dicam? Haec mea stat sententia: Omni aeuo fuerunt, qui ingenio et doctrina florerent, et virtutibus eminerent; nec tamen defuerunt, qui vitiis obruerentur, et quibus morbo mentis calentibus Heleborus opus fuisset. Si Maecenates non desunt, non deerunt Flacci et Marones. Equidem amo et colo veteres, neque vero sperno recentiores: ex omnibus autem, quae mihi iucunda, noua vtiliaque videantur, auide colligo, in vsumque conuerto. In Graecis auctoribus, quorum multi extra omnem ingenii aleam positi sunt, thesaurum quasi omnis eruditionis, elegantiae et sapientiae esse reconditum, nullus nego: neque tamen dubito *Evremontio* adsentiri, qui,

Pourquoi, inquit, *revêrer comme antique*
Cé que les Grecs, dans leur attique,
Aimoint comme des nouveautés?
Serons-nous donc plus maltraités
Pour avoir le bonheur le vivre?

At cum *Harduino* plurimos antiquorum gradu suo, quem per tot saecula, consentiente, paene vt dicam, toto orbe, obtinuerunt, plane deiicere, est dementiae vel potius de-

 lirii.

lirii. Cum *Perraltio* et *de la Motte* contra adfirmare, recentiorem aetatem antiquiori palmam omnino praeripere, eſt inſcitiae atque ignorantiae antiquitatis. Cum *Dacieria* pro veteribus tamquam pro aris et focis dimicare et inimicitias ſuſcipere, eſt imprudentiae et temeritatis, quae vitium quoddam animi atque ingenii prodit. Mihi vero placent verſus, quos quidam, quum *de la Motte* et *Dacieria* de praeſtantia Homeri ab vtraque parte feruidius diſputarent, in porta academiae Pariſienſis carbone vſus ſcripſerat;

La Motte et la Dacier, avec un zèle égal
Se battent pour Homere, et n'y gagneront rien:
L' une l' entend trop bien pour en dire du mal:
L' autre l' entend trop peu pour en dire du bien.

Pedantismum quoque ſapit illud Abbatis *Fraguierii* votum, verbis latinis nuncupatum, ſe mille verſus in Homero quotidie lecturum, et huius manes a de la Motte offenſos placet. (vid. Anecdotes litteraires, ſecundum german. interpret. Tom. II. pag. 322.)

Huc etiam referas nimium Graecorum et Latinorum amorem, quo quidam immane quantum tenebantur. *Dacieria,* a ſe Ariſtophanis comoediam, Nubes inſcriptam, paene ducenties eſſe lectam, iactitabat. *Belurgerius* Homerum ſemper habebat in manibus, illum totum edidicerat, illum ſecum in templa deferebat, et ſacrarum precum loco recitabat. *Lazarus Bonamicus,* Profeſſor eloquentiae in academia Padauienſi, dicere conſuerat, ſe magis velle loqui vt Cicero, quam eſſe Pontificem Romanum. Huic oſtentationi nullam profecto habeo fidem: at is eſt interdum animus hominum nimio rerum quarumdam amore captorum. Plura poteram exempla proferre, ſed ablegare malo lectores ad *Dan. Frider. Jani* Diſp. *de nimio latinitatis ſtudio* (rec. Lipſ. 1720. in 8.) ad *Menkenii* declamat. de *Charlataneria eruditorum* ſaepius recuſ. ad *Bernhardi Curieuſe Hiſtorie der Gelehrten,* Frankf. 1718. ad *Anecdo-*

Anecdotes litteraires etc. Recentiora exempla adiicere, haud difficile mihi foret, nisi periculosae plenum opus aleae esset. Nemo tamen eo processit temeritatis atque impudentiae, ac *Mechior Inchoferus, Iesuita Bauarus*, qui libr. V. histor. sacrae Latinitatis cap. II. adfirmare non dubitauit: Beatos in coelo aliquando latine esse loquuturos. Bonus hic Iesuita vel inter coelites iam fuit, qui vero mutata figura iterum inter homines versaretur; vel consuetudinem habuit cum angelis nocturnam, quod de iis, quae in coelo geruntur, adeo certus edixit. Neque tamen defuerunt, qui de lingua coelitum disputarent, vel potius nugarentur. Sed mittamus huiuscemodi Schwedenborgios, qui cum daemonibus maiorem, quam cum hominibus contraxisse videntur familiaritatem. Quidquid est, quae sensum nostrum et humanam naturam superent, de iis, tamquam de rebus certis et compertis, disputare, ridicule fieri videtur.

Ad alios progrediar. Multi legunt graecos et latinos auctores, quoniam mos est; excerpunt sententiolas, quoniam hoc facere, olim iusserat magister; animum advertunt ad ea, quae ad antiquitatem pertineant, et sollerter colligunt, quia forte acceperunt, haud paucos fuisse, qui antiquitati multum adferrent luminis, indeque magnam nanciscerentur nominis famam. Non culpo illorum studium, sed laudo: at quid agunt illi seduli, et qua ratione multi ostentare solent suam eruditionem, suas diuitias? Quando igitur se ad conscribendum libellum conferunt, vt philologi audiant, aut infinitae lectionis laudem obtineant, omnia sua Aduersaria, et collectanea, et indices copiosos percurrunt et compilant; conscribillant libellum, in quo omnia e veteribus furati de sua ingenii sterilitate parum vel nihil addunt, quia animum intendere non possunt; notas vero immensas subiungunt, quarum moles et infinitus auctorum, quos nominarunt, nec raro collo obtorto adduxerunt, index lectorem in limine veluti, ne vlterius progrediatur, deterret. Addunt, et litteris maiusculis adpingunt nomina eorum, qui praestantiores eu-

rarunt editiones: quamquam varietas lectionis in cenſum non venit. Atque, vt alii ſciant, ſe poſſidere librum quemdam carum, adlinunt litterulas P. M. hoc eſt, *pagina mihi;* vbi ſatius fuiſſet, addere, ſi opus fuerit, annum, quo liber publicatus fuit. Ecquis enim tunc ſcit, quodnam poſſideant exemplum? aut quis ſcire cupit, num poſſideant ipſi, nec ne? Iam vero ridicule agunt, qui non niſi libros et exempla Anglorum, Italorum, Gallorum praeſtantiores ad oſtentationem, nulla temporis et loci et inſtituti ratione habita, ſemper adpellant, quin notatu digniora excerpant. Attamen vti hic morbus alios etiam doctos, ad philologorum claſſem haud referendos, corripuit, ita etiam inſtituti ratio, illam interdum requirit breuitatem et iactationem. Iſti autem ſe beatos eſſe cenſent, quamuis ingenii ſint infelicis, ſimiles corui, qui, vt in fabulis eſt, pennis pauonis ſe ornaturus deſpectui et contemtui aliorum fuit, demtis illis, quibus ſuperbiens et elatus antea gloriabatur. Ipſe interdum non intelligit, quae collegit, et in excitandis Graecorum locis (nulla plagellarum anguſtia aut ſumtuum metu id exigente) interpretationem latinam callide omittit, vt lectores de ſua graecae linguae peritia ſpem concipiant optimam. Ingenii autem infirmitas facile cognoſci poteſt, ſi loca ſine vllo temporis, aetatis et auctoris diſcrimine coaceruata, ſine vllo iudicio permixta vel falſo atque iniquo loco prolata reperiuntur. Exemplis illuſtrarem vel ex ſcriptis eorum, qui apud imperitos in aliqua ſunt aeſtimatione, niſi res eſſet periculoſa ad odium et inuidiam conflandam. Niſi Cares Phrygesque ſero: ſapere tamen diſcant *Boilauii* illo ſapienti monito

Un pedant enivré de ſa vaine ſcience,
Tout heriſſé de Grec, tout bouffi d' arrogance
Et qui de mille auteurs retenus mot pour mot
Dans ſa tête entaſſés n' a ſouvent fait qu' on ſot.

De antiquariis, vt vulgo naſcuntur, nihil enim facilius eſt, ad ſpeciem quamdam eruditionis adipiſcendam, aut imperitos

os et interiorum litterarum expertes homines decipien-os, quam ex antiquitate argumentum petere (lippis vero aene et tonsoribus cognitum) et notulis sine vllo sapo-e et iudicio ex aliis descriptis augere; de antiquariis igi-ur his leuibus me disserere, quilibet, qui vulgares anti-uarias, vt audiunt, aut de *ritu quodam antiquo* consar-innatas commentationes legerit aut. viderit, facile perspi-iet. Illos puto antiquarios, qui nullum pulcri et venu-:i sensum habent, et quos coloribus Voltarius more suo t, forsan ad tegendam suam eruditarum linguarum igno-antiam ignominiosius depingit.

La j' apperçus les Daciers, les Saumaises,
Gens herissez des savantes fadaises.
Le teint jauni, les yeux rouges et secs,
Le dos courbé sous un tas d' auteurs grecs,
Tout noircis d' encre et coëffez de poussiere.
Je leur criai de loin par la portiere:
N' allez-vous pas dans le temple du gout
Vous decrasser? Nous, Messieurs? Point du tout.
Ce n' est pas là, grace au ciel, notre etude:
Le gout n' est rien: nous avons l' habitude
De rediger au long, de point-en-point,
Ce qu' on pensa; mais nous ne pensons point *).

eritos contra huius doctrinae, quae omni eruditionis cu-ido et amoena est et necessaria, admiror, et scripta *Les-ngii, Winkelmanni, Ernesti, Caylii, Gesneri, Heynii, axii, Wesselingii, Schwarzii, Cortii* etc. in quibus anti-uitas pulcre illustratur et docte explicatur, maximi aesti-io. Qui horum vestigia premunt, atque antiquitati stu-ent, vt *Klotzius* in libello (*Ueber das Studium des Al-rthums*) docte monuit, ii memoriam gloriamque con-quentur sempiternam, vbi reliqui funus libellorum suo-

 rum

*) vid. *Voltaire* in *Temple du Gout.* et *Klotz* im Beytrag zur Geschichte des Geschmacks und der Kunst aus Münzen. pag. 8.

rum triobolarium suaeque ipsius famae viui adhuc curabunt. At vt dixi: Sero Phryges Caresque, quibus durum est ingenium et frons ferrea. Enim vero si hucusque de pedantis philologicis libere loquutus sum, nemo adeo superbus erit, vt philologiam ipsam et omnes philologiae amantes spernat, aut credat, alios ordines a vitio Pedantismi esse liberos. In omni vitae humanae genere dominari et in omnibus collegiis, immo in aulis et in castris regnare illum, contendit *Holbergius*, qui videat, quomodo suam defendat sententiam. Interea multos lectores credo haud poenitebit, verba quaedam ex elegantissima epistola (in eius *vermischten Briefen* P.I. pag. 68. Lipsf. 1753.) hic legisse. *Wer also beschaffen ist, der hat keine Ursache, sich über die Pedanterey bey einem Schulmanne aufzuhalten. Denn er mag ein Envoyé, Ambassadeur, Plenipotentiarius, Minister oder Ambassadeur extraordinaire seyn, so ist er doch dabey ein ganz ausserordentlicher Pedante. Es giebt noch eine andere Art Pedanten, welche die Franzosen* Pedans de robe *nennen, und aus Richtern, Advocaten und andern Bedienten in den Collegiis bestehen, mit denen die Welt dermassen angefüllet ist, daß man daraus die fünfte Monarchie aufrichten könnte. Es würde zu weitläuftig fallen, die Pedanterey, welche bey Leuten von diesem Stande angetroffen wird, umständlich zu erörtern. Diese Personen haben den Schulleuten nichts vorzuwerfen. Ein Jurist kann eben so viele Materie zu einem Schauspiel geben, als ein Grammatikus, und wenn man eine Musterung anstellen wollte, so würde man eben so viele unnütze Subtilitäten, und nichts bedeutende Distinctionen in der Rechtsgelahrheit, als in der Philosophie antreffen.* Lepida exempla et multa bene dicta reperies in *J. v. W. zufälligen Gedanken von der Pedanterey einiger Rechtsgelehrten* in Hamburgischer vermischter Bibliothek Part. I. 1743. pag. 405 sqq. Atque eadem ratione etiam post Menkenium aliosque de vitiis quorumdam hominum in reliquis eruditorum non magis quam

uam aulicorum et priuatorum ordinibus multa dici xemplisque illuſtrari poſſent. Ego vero rem nolo ıngere: videbimus certe, philologos ſolos ab iſto vi- :o non immunes eſſe. At vitia quorumdam hominum on ſunt vitia doctrinae ipſius: Ecquis auderet ſanctam octrinam, puram, a deo ſanctiſſimo profectam, nomi- are prauam et inutilem, quoniam nonnullos verbi di- ini miniſtros vidit homines eſſe prauos et inutiles? ıbſit haec petulantia atque infamia!

SECTIO V.

Ad grammaticos paullulum redibimus, atque, ſi qua in parte grammatices ſumma eſt inconſtantia et ob- curitas, eam animaduerti, videbimus, in Orthographia atina, quoniam pronunciatio huius linguae non ſolum, uum adhuc viua eſſet, valde erat inconſtans, ſed poſtera uoque aetate, barbarie ingraueſcente Latiumque inua- lente, magis magiſque corrumpebatur. Forſan alii aliam ibi formarant et tradiderant ſcribendi ſcientiam, vt etiam ıodie quidam facere ſolent, vnde diuerſitas non in lapidi- uıs ſolum, ab imperitis artificibus haud raro orta, ſed tiam in nummis publica auctoritate cuſis facilius poterit ntelligi. Quare qui in illa inueſtiganda nimis ſunt cu- ioſi, poſthabitis rebus vtilioribus, ſummamque induſtriam ıudemque ponunt, coronam in muſtaceo quaerere et peram oleumque perdere mihi videntur. *Conſuetudini* nim, vt *Quinctilianus* l. 7. iam monuit, *ſeruit orthogra- hia, ideoque ſaepe mutata eſt.* Superioribus vero ſaecu- s et hodie adhuc dii illi minorum gentium inter Gram- ıaticos, aut ſi mauis, ſtrenui illi gladiatores, qui ſpiritu ·giones aliorum Grammaticorum tamquam folia difflare ıinantur, de illa emendate ſcribendi ratione, de minutiis uam acerbe digladiantur inter ſe, et paene debacchantur!)uibus conuiciis ſe inuicem proſcindunt! Ira aeſtuantes uam turpiter famam lacerant. Quot volumina codi- cum,

cum, quantam multitudinem lapidum et nummorum, tamquam tela, quibus muniantur ſuamque tueantur opiniunculam, illi, qui mentem ad orthographiam, tamquam ad libidinis ſcopulum, adpellunt, miſere congerunt, quibus aduerſarios acerbe adgrediantur; quaſi in cauſſis centumviralibus de vſucapione, aut luminibus aut teſtamentis ruptis agant. Ac de quanam re eſt vehemens illa controverſia? Concurrite ciues, et egregium videte ſpectaculum! Litigant, num *adoleſcens* an *aduleſcens; cottidie* an *quotidie; ſuboles* an *ſoboles; ſumptum* an *ſumtum; conlega* an *collega* (nulla euphoniae habita ratione); *conruit* an *corruit; ſcribſi* an *ſcripſi; neclego* an *negligo*, (et plura recenſere, nauſeam mouebit), recte ſcribas. Edicite et victori coronam decernite ciuicam! Nonne vero, quod Canitius de poëtis quibusdam dixerat, bene quadrat in hos minutiarum ſectatores. *Mein Gott, wie raſen nicht die Grammatiker!* Non damno ſtudium Orthographiae, quae ſignificatui hiſtoriaeque multorum vocabulorum et linguae ipſi haud parum adfert luminis. Sed conſtantia quaedam, auctoritate aut publica, aut monimentorum praeſtantiſſimorum vſuque firmata, eſt ſeruanda, quae ab omni ſuperſtitione et vanitatis ſtudio bilisque atrae ſuſpicione aeque abeſt, ac ab negligentia et antiquitatis ignorantia. Non negligenda ſunt ſtudia virorum doctorum, verum, vt KLOTZIVS de minutiarum ſtudio (in opuſcul. pag. 200, vbi hac de re quaedam feſtiue dixit) *omnis faſtus*, ait, *omnisque contentio in hisce minutiis conſectandis abſit. Equidem malim, quiduis potius agere, quam Gatakeri diſſertationem de biuocalibus aut diphthongis lectam iterum legere, aut cum Samuele Schmidio de vera et genuina diphthongorum AE et OE ſcriptura librum ſcribere.* Eos quoque culpo, qui in inueſtigandis et examinandis ſingulis vocabulis, in notis, quibus auctorem quemdam interpretantur, nimis verboſi ſunt, aut ſingulas voces ſecundum originem et Grammaticorum ineptias ſcribunt, et in voculis litterulisque eruditionis amplae prodigi

digi

Digitized by Google

igi videntur. Alii vero, qui in hoc litterarum genere on ſudant algentue, ſed veteris tamen orthographiae plus iſto ſtudioſi antiquatam et obſoletam ſcribendi rationem, t ab Euandro natos eſſe putes, ſectantur, aut vocabula eregrina et patria ſecundum conſuetudinem Romanam ormare, vel potius detorquere geſtiunt, aeque ſunt, vt eniter dicam, nimis curioſi. In eo enim Graeci et Ronani hiſtorici valde peccarunt, quod vocabulis peregriiis mutilatis ſuam induerunt formam, eoque hiſtoricae eritati magnam vim et iniuriam intulerunt. Hos igitur ui temere nec prudenter imitantur, vitia ſectantur, non irtutes Romanorum et Graecorum. Confunduntur nim nomina hominum, vt poſteritas huius pedantismi gnara nomina vnius hominis, duorum eſſe opinetur. Poteris, vt pauca tantum adferam exempla, diuerſi homines orſan erunt *Kortte* et *Cortius*, et tamen vnus idemque ſt, *Suartius*, et *Schwarz;* *Clotius*, et *Klotz;* et multi alii miſere corrupti: praeſertim ſuperioribus ſaeculis, quibus viris doctis nomina patria ſordebant, iisque formam latinam graecamue dare, pulcrius, ſcilicet, meliusque videbatur. Hinc nomina, erudita quidem, orta ſunt *Melanchthonius*, *Molitorius*, *Piſtorius*, *Sagittarius*, *Albinus*, et reliqua. Vos igitur Grammatici, ſub ſigno arietis nati, egregie augebitis catalogos virorum doctorum, et futuris magiſtellis largam materiam et occaſionem, ſuae eruditionis amplaeque doctrinae oſtentandae, ſuppeditabitis. Quin praemia proponentur, qui veram inquirant, docteque et ingenioſe oſtendant diuerſitatis originem. Herculeo labore verſabunt codices indicesque, et mire diſceptabunt, vt olim ſeptem vrbes de patria Homeri. At enim amotis iocis, haec mea ſtat ſententia: nomina propria, ſiue germanicae ſiue gallicae aliusue ſint originis, minime ſunt mutilanda, nec vlla corrumpenda mutatione, aut, ſi latinam iis indueris formam, in vncis verum propriumque nomen, ſi vlla oriretur obſcuritas, rectius adpingendum erit. Atque in orthographia non ſem-

per

Digitized by Google

per Analogiae et Etymologiae, vt cum Io. Nemio *Christianus Falsterus* (in cogitationibus variis philologicis pag. 173.) opinatus est, ratio est habenda; nec vbiuis codicibus, quibus, teste Norisio, toties exscriptis non multum fidei habetur, est obtemperandnm, sed, salua tamen consuetudine et saluo iudicio, *doctis* lapidibus, maxime autem nummis, quoniam in his publice cudendis summam veteres plerumque adhibuerunt solertiam, diligentiam fidemque, suadentibus iam *Spanhemio* in immortali opere de praestantia ac vsu numismatum tom. I. diss. II. pag. 124. et *Drakenb.* ad Sil. Ital. I. 93: aliisque, vt plurimum est cedendum. Iam vero *Vossius* Etym. pag. 377. prudenter statuit, in quorumdam ὀρθογραφίᾳ non tam ἀναλογίαν aut ἐτυμολογίαν, quam veterum consuetudinem spectari deberi. At enim:

Non Praetoris erat; stultis dare tenuia rerum
Officia, atque vsum rapidae permittere vitae.
Sambucam citius caloni aptaueris alto.

(*Persius* Sat. V. v. 93.) Suo illi igitur ingeniolo intemperanter abutantur, et aequalibus ac posteris relinquant iudicium, ad quam classem sint referendi.

Tum vero quid de multis veterum auctorum editoribus, quorum quidem iam supra feci mentionem, dicam, qui nihil paene agunt, nisi vt varias colligant lectiones, aut in minutiis rebusque lippis et tonsoribus, vt aiunt, notissimis verbosi et saepius loquaces, difficiliora, quae interpretatione egeant, vel leuiter attingant vel plane transeant, aut vocabula tantum et dictiones ex lexicis, indicibus suisque aduersariis operoso commentario illustrent, quando vnum alterumque exemplum suffecerit? Coenam parant lautissimam et fercula adponunt, nimium condita, aut quae satietatem creant et fastidium, et omni carent sapore. Quid de illis sentiam, qui more Pitisci vniuersam mythologiam et doctrinam de ritibus veterum ad nauseam vsque in notis explicant; aut, interpretaturi

aucto-

ıuctorem quemdam, loca diuerſorum auctorum, ad oſtenandam ingenii vim et eruditionem, vberius explicant vel :mendant? In domum me ducunt hi Thraſones, nimio plendore ſuperbaque abundantia oculos praeſtinguente, 't nec herum cognoſcam, nec ſentiam pulcritudinem. ˎaudo quidem ſaepius dapes immenſas: admiror acumen :t eruditionem. Sed quid immanis illa copia faciat ad .uctorem, quem explicandum ſuſceperint, non video. ˎocis obſcuris ex arte critica, aut vniuerſa philologia lu:em adfundant, et, quae lectionem impediant perpetuam, 't Weſſelingius et Erneſti fecerunt, breuiter illuſtrent. Hic Rhodus, hic ſaltus. Auctores veteres lecturus, non uro pompam et oſtentationem eruditionis, aut nugas et nterpretis loquacitatem, quae me ab auctore ad alia plae diuerſa rapit. Auctor me delectet aut erudiat; interres tantum tollat difficultates atque lectionem reddat failiorem et iucundiorem. Quod vero vitium et ſtudium ıudis immaturum ambitionemque quum alii viri docti ım culparent, nolo in his diutius haerere, et ſuadeo optoue, vt theſauros reconditae ſuae eruditionis, emendatioes et interpretationes aliorum librorum ne inuideant nois, ſed in libellis ſeparatim editis modeſte et ſtrictim proonant. Docta iſtorum interpretatio mihi aeque diſplict, ac illorum anxia et moleſta ſedulitas, qui omnia a ſe icta infinitis aliorum, praecipue externorum, teſtimoniis ılciunt, vt oſtendant, ſe helluones veluti eſſe librorum, : bibliothecam poſſidere ampliſſimam multisque caris liris refertam, et diem noctemque in legendis omnis geeris libris conſumere, quod quidem ſaepe falſum eſt, mi:que ſapit pedantismum. His igitur mentem precamur ıbriam, vt ſuo ipſius ingenio, quod ſi a natura datum t, vti diſcant et incipiant.

In doctrina denique ſcholaſtica, quot homines a peıntismi vitio ſunt liberi? Paucos eſſe quamquam reperius, taedet tamen et pudet me ſingula copioſius percenre. Poëtas atque oratores veteres explicant, vt ſyllabas

bas numerent, et diſcipuli nomina troporum ac figurarum cum admiratione quadam teneant memoria et promte recitent ſed vim, ſuauitatem iuſtumque vſum parum percipiant: quibus quidem auctor ſum, vt elegantem Cl. *Meuſelii* diſputationem de interpretatione poëtarum et Sulzeri ac Schelleri libros de optima auctorum claſſicorum interpretatione diligenter legant. Alii poëtas et reliquos ſcriptores tam Graecos quam Romanos non exponunt, vt loca diligenter componant, aut ad acuendum ingenium et mores emendandos pulcritudinem, quam non ſentiunt, virtutes orationis, et artificium auctoris ſolerter oſtendant, aut doctrinae et ſententiae veritatem vocent ſub examen; ſed vt voculas et, quam vocant, phraſeologiam ſectentur, et tantum, quia otio diffluentes ventri operam dant, in parte grammatices ignobiliore ad nauſeam vsque verſentur, inque lectione atque interpretatione tardius, quam cochleae, e quibus animum aut iſtorum aut patrum migraſſe in corpus humanum Pythagoraeus diceret, progrediantur. Atque *Facciolatus* in prima oratione eleganter et lepide oſtendit, Latinam linguam non eſſe ex Grammaticorum libris comparandam. Quare haud mirum, adeo multos adoleſcentulos triſti illa et moleſta tardaque doctrina a lectione veterum, quorum vtilitatem et aeſtimationem peruerſa doctoris via numquam noſcunt, tam mature deterreri. Alii ſingulis hebdomadibus diſciplinae ſuae alumnis ſex et plures auctores proponunt, et interpretari ſe iactitant: quo quidem modo et miſera ambitioſaque mixtura mihi nihil peſtilentius et efficacius videtur ad optima ingenia delenda, ad ſtudia litterarum retardanda, et iuuenes a vera ſapientia et elegantis ſtili cura retinendos. Bene enim id monuit *Facciolatus* in Oratione II. in qua oſtendit, pueris ad latinam eloquentiam informandis nocere librorum copiam, dum pag. 30. edit. Lipſ. cIↄIↄccxxv: *non enim*, inquit, *poteſt eſſe vnus, non conſtans, non aequabilis ſtilus ille, qui multorum librorum lectione trahitur in diuerſa; nec oratorem ſapit, quod poëtica*

tica multa, nec poëtam, quod oratoria contineat. Hoc vitium eſt elocutionis maximum, in quod vel ſapientiſſimi viri neceſſitate quadam labuntur. Atque viros, videmus, qui famam conſummatiſſimi philologi aut critici venantes, quoscunque auctores promiſcue legunt, et a Latinis continuo ad Graecos, a Tullio ad Apuleium, a Liuio ad Marcellinum transeunt, vel potius conuolant, in ſcriptis ſuis illam felicem facilitatem, aequalitatem et leuitatem ſermonis, illud candidum dicendi genus, quod delectet, erudiat et adficiat, minime exprimere; ſed orationem illorum eſſe impuram, aut contortam, et diuerſum colorem a lectione diuerſorum librorum plerumque trahere: ac iuuenes, dum nullibi certam figunt ſedem, non res et veritates, ſed colores maxime nitidos et pigmenta conſectari. Ad alendos quidem et excitandos igniculos in animis iuvenum a natura poſitos multum facit et neceſſaria eſt va-:ietas quaedam auctorum, ſed prudentia eſt temperanda, ıon confuſione iſta quaſi ſtrangulanda et infamanda. ?orro illi mihi non recte ſapere videntur, qui iuuenibus :d peritiam graecae linguae ſibi parandam, exercitationes .tque orationes graecas elaborandas proponunt, nec autores, quos Athenae aluerunt, ſed tantum N. Teſtamenum, quam frigide, quam ieiune ſaepius! continuo interretantur; de quo pedantismo quum in praefatione ad :hreſtomathiam Graecam et in volumine tertio vitarum hilologorum vberius agerem, chorda eadem oberrare olo. Equidem arbitror, in ſuprema ſaltem claſſe, non '. T. ſed graecos profanos ſcriptores, eosque non ſemel isue, ſed ſexies ſingulis hebdomadibus eſſe ſubinde exicandos.

Iam vero in ſcribendo quot ſunt pedantismi genera! ınt, qui in eo omnem eſſe putent laudem ſtudiumque, cum Pacuuio, Ennio et Lucilio, quam cum Cicerone qui malint, aut formulis veteribus ICtis ſollemnibus, l alium quemdam ritum obſcurum aut geographiam

Digitized by Google

antiquissimam respicientibus, tamquam margaritis scilicet et stellis, vt Persius et Iuuenalis fecerant, continuo distinguant orationem. At enim

Sane mea carmina, Sexte

Grammaticis placeant et sine Grammaticis.

Alii, vt Ciceronis imitatores audiant, in longo periodorum ambitu, in coaceruatione particularum et dictionum, in vocabulis a Cicerone tantum vsurpatis vnicam virtutem ponunt; destituti autem amoenitate illa et felicitate ingenii, veneribus illis, non, quae in lasciua quadam; sed verecunda conspiciuntur puella, vrbanitate et lepore, lenitate, facilitate, naturali pulcritudine, ac flumine et vi orationis, rei et tempori aptae, quas virtutes in Cicerone omnis aetas admirata est. Simiae illae Ciceronis, sed callidiores tamen, quam qui nostra aetate laudem Ciceronianorum consequuturi sunt, Sadoletus, Manutius, Bembus aliique in omnium sunt memoria. Bembum nominas simiam? Caue dicas, et audi *Facciolatum.* Orat. II. pag. 34. *Quod vero Bembum italici latinique sermonis lumen in omnium saeculorum oculis splendidissimum barbari quidam Transalpini* in eo accusare *non dubitarunt, concedendum est illis, vt de re, quam ignorant, perperam iudicent.* Ita vero est, vti plures, haud barbari, de Bembo recte iudicarunt. Dormisti, bone Facciolati, atque interdum dormitat Homerus: et amore popularis, hominis quidem docti, ductus eum cum ignominia aliorum, qui etiam nasum habent, defendisti. Elegantior quidem et sagacior fuerat Bembus, quam plurimi nostrorum Ciceronianorum et Italorum. In eo tamen elegantissimo Facciolato lubenter adsentior, quando eadem pagina dicit: *Si altervtra in parte delinquendum est, minus offendit aures, qui vni plus iusto adhaeret, quod aliena quidem, sed inter se similia coniungat, quam qui ex multis aetate ac*

dicendi

dicendi forma diuersis nullo modo cohaerentia suffuratur. Haud inuita vero Minerua quisque auctorem purum atque elegantem, a suo ingenio haud diuersum imitetur, quamquam is, cui Cicero placeret, se multum profecisse, putet. *Sua cuique sunt lineamenta oris, suaque membrorum conformatio miro prorsus naturae artificio ab aliis distincta, et in magna similitudine dissimilis, ita vt vnius cuiuscumque certam esse quamdam orationis formam et quasi faciem, in ipsa natura sitam, de qua nihil magnopere quaeri debeat*, vt idem *Facciolatus* in praefatione ad primam orationem egregie monuit. Optimum igitur exemplum suo ingenio adcommodatissimum, nec vero more puerorum, imitetur necesse est, laudem boni, elegantis et prudentis scriptoris aucupaturus. Neque tamen ex quouis ligno fit Mercurius, vt est in prouerbio.

Verum enim vero taedet me haec et plura vberius recensere, nec, omnes pedantarum classes et vitia copiose persequuturus, finem reperirem. Atque veterani illi et exauctorati quid curabunt monita iunioris?

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

TANTVM!





II.

DE GALANTISMO AESTHETICO ET PHILOLOGICO.

SECTIO I.

Homines dum vitant vitia, in contraria plerumque currere, non noſtro demum aeuo, ſed iam ab vltima antiquitate a ſummis viris eſt animaduerſum. Noui enim libido, ambitionis laudisque ſtudio inflammata, quum animos hominum ſemper conſtrictos teneat, ſatietas rei a communi ac vulgari opinione et doctrina ad aliud fingendum et audendum rapit, et ſi quis dignitate munereque conſpicuus praeit; tunc rudis multitudo, cuius prima et vltima virtus eſt alterius imitatio, illum cateruatim ſequitur, et mox a tramite viaque regia deflectens ad ambages et anfractus delabitur. Initio huius ſaeculi exſtiterunt *Leibnitius* et *Wolfius*, qui, omnibus nugis et ſterilitatibus ſcholaſticis e ſcholis librisque exterminatis, nouam philoſophiae induiſſe videbantur formam, quam coeca adſeclarum turba, Wolfii, nedum Leibnitii opinionibus non recte perceptis, et ingenio et eruditione multo inferior illis, tamquam palladium ancileque de coelo delapſum religioſe accepit et cuſtodiuit. Omnes reliquae artes liberales litteraeque manſuetiores, paucis vindicibus illarum ſuperſtitibus, et barbariei irrumpenti pro viribus reſiſtentibus, mox ſordebant: et nemo paene cathedra alioue munere dignus cenſebatur, niſi philoſophiae huic ſe addixerat. Ah! quae caterua diſputatiuncularum et librorum ingentis molis ſub prelis ſudarunt, in quibus res notiſſimae methodo *demonſtratiua*, ab vltimo principio

pio deductae et in membra infinita adeoque diſſectae proponebantur, vt nihil ſanguinis ſuccique remaneret, et totam philoſophiae faciem macies obſideret. Nullibi paene, vt ita dicam, pedem figere poteras, vbi non calcaſſes definitionum, demonſtrationum, ſcholiorum, Lemmatum et alios huius generis floſculos.

Laqueo tenet ambitioſi
Conſuetudo mali: tenet inſanabile multos
Scribendi cacoëthes, et aegro in corde ſeneſcit.
vt *Iuuenalis* in ſat. VII. canit.

Theologus totam ſuam doctrinam ſacram: Iureconſultus corpus ſui iuris: Medicus artem ſanandi et formulas ſuas more illorum Logicorum demonſtrare coeperunt, et vel philologiam, quam, ſteriles methodi *ſyſtematicae* cultores perperam dicunt, non adeo fautricem eſſe philoſophiae inualit ille morbus: atque homines inceperunt grammaticam, et Prouerbia Salomonis et carmina Dauidis in tabulas logicas violenter ſecare, et poetam, quaſi e ſchola Wolfiana exiiſſet, profanare, ſeque ipſos aliorum exponere riſui.

Ω Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι.

Prudentes autem et fortes homines quum nobiliſſimam humanae cognitionis partem, philoſophiam, ita ſordidam, abiectam et turpiter dehoneſtatam iacere, non diutius ferre potuiſſent, (ſemper enim ſunt homines callidi et puri, qui a confinio vitiorum et ſaeculi contagione liberi, altius ſapiant, ac irruenti peſti et barbariei corpus animumque firmatum obiiciant), oderunt vulgus illud profanum, et detectis omnibus ſordibus ac pigmentis veram et antiquam philoſophiae reſtituerunt faciem et ſuccum, illaque antea temulenta ſobrietatem recepit. Beata eſſet aetas noſtra, ſi omnes philoſophi, laudem venantes, medium tenuiſſent, nec alia deuia ſectari inciperent. Quid vero agunt quidam noſtrorum philoſophorum? Quomodo ſe gerunt? Ex cinere horridi olim et triſtis philoſophi exſurgit iuuenis

nis nitidus, delicatulus, vnguentum redolens et dulce ridens, qui nihil cernit, nihil cogitat, nihil loquitur, nisi quod sentit. Audiuerat, Anglos quosdam ad sensum internum id, quod in philosophia verum esse debet, acute reducere: nunc, quamquam acumen Angli et subtilitas desit, totus est Hutchinsoniades.

Deos rogabis,
Totum vt te faciant, Fabulle, sensum.

Incedit nouus noster philosophus aestheticus, more iuuenis venustuli Parisiensis, bene capillatus et crispatus, pileum sub bracchio tenens; terram vix pedibus tangit; fugit occulta et abstrusa philosophiae et philologiae adyta, in pratis et floribus tantummodo ambulaturus. Ridens circumspicit modo Gallum, modo Anglum, modo Italum, et horum sapientia ingenioque sublatus fugit terram et sidera petit. Vniuersum philosophiae campum ludibundus pererrat, et modo hinc, modo illinc delibat particulam, atque in consessibus hominum otiosorum et lautissimarum feminarum videtur homo sapiens, qui de omnibus rebus belle et venuste disserere possit. At vero nec genus et speciem cuiusque rei adcurate cernit, nec definiendo recte explicat, nec videt repugnantia, nec ambigua bene distinguit. Sine vllo naturali cogitationum ordine et serie nexum, quem sibi fingit, veritatum proponit, ita vt vbique incipere et desinere videatur. Sedulo autem cauet, ne in societate hominum grauium, et doctrina adcurata promptaque florentium compareat, aut si adcidit, vt horum conuentibus intersit, mutus sedet, ne ignorantiam prodat suam et infantiam. En *galantismum* (voci sit venia) huius hominis, qui vero eamdem virtutem in scriptis ostentat.

Abscisae et signatae illae orationis particulae, quas *paragraphos* vocant, sunt illi ridiculae, quoniam elegantissimi Franco Galli eas repudiant et derident. Ac vix decennium est, quum vel summi viri, et quidem nostro philo-

philosopho aesthetico acutiores, illis commode vterentur: nunc autem libro cuilibet paragraphi sunt dedecori, auctore scilicet Francogallo. At enim nec veteres, quos tamen ad imitationem proponimus, illas adhibebant. Enimuero alia tempora, alii mores! alia methodus discendi et docendi; nec iis ars typographica et distinctio libri in capita erat solemnis. Atque in libris, in quibus ne vola quidem demonstrationis comparet, nec series est veritatum philosophica, ea signa frequentiora ipse deriderem. At in libris qui iunioribus explicandi proponuntur, breuitatis et perspicuitatis caussa cur illis abstineam, non video. Risum sane tenere vix potui, quum in libro quodam vtilissimo de libro alio hoc iudicium latum legerem? Si auctor in posterum abstinebit a paragraphis, laudem auctoris *classici* et ingenii primi ordinis (Original) consequetur. Itane vsus et abusus paragraphorum definiunt et constituunt classes auctorum et ingeniorum! Noua quidem nec prius audita veritas! Vae vobis stupidis et hebetibus, qui libros in paragraphos, quorum tamen patronus in praesenti esse nolo, dissectos edatis! Iam bene memini, Spartianum, Eutropium, Sextum Rufum, Orosium, aliosque his inferiores, etiam numerari et censeri auctores classicos. Sapientes igitur illi aesthetici, siue, quoniam linguam vernaculam corrumpunt, liceat mihi quoque in Latio nouum fingere vocabulum, illi Galantistae callide abhorrent ab omnibus paragraphis. Rem contra multis difficultatibus impeditam vel leuiter attingunt, nexum rerum parum curantes, vel sicco plane pede transeunt: vnica libri virtute in eleganti et sententioso scribendi genere posita. Euge vobis homines venustuli lepidique, digni omnino, quibus vel seri nepotes decernant statuas!

Auctoris quidem est cuiuslibet, in ornando libro et stilo saepe vertendo multum adhibere studii et diligentiae, nec tantum alios compilare, sed suo ipsius quoque iudicio vti, et sententiis aptis tamquam luminibus orationem illu-

illuſtrare. Cauere debet, ne oratio aſpera ſit, triſtis et ieiuna. Sed enim grandiloqui illi, vt ita dicam, acumine ſemper et fulmine vtuntur; nec tempora nec dicendi genera diſtinguunt. Quando nudas veritates proponere et erudire debent, cothurnis incedunt, purpura auroque nitentes, nimioque orationis ſplendore mentis praeſtinguunt oculos. Seſquipedalibus verbis, et ſententiis acutis, immo vero contortis abundant, quando rem plane narrare debent et docere. Vmbratilem ſapientiam, croccum et vnguenta ſpirat illorum oratio nimis comta, et pro roſtris ſacris ſaepe declamant hiſtriones, aures tantum imperitorum titillantes. Atque ideo librum alioqui doctum et multa eruditione refertum damnare, quoniam non venuſta et comta ſuperbit oratione, aut, vti putant, ſermonem habet publici ſaporis, iniuſtum eſt, et ſapit galantiſmum. Qui quidem carmina fundit, aut libros componit, qui ab ingenio omnem ferre debent laudem, ille poteſt et debet inſidias quasdam auribus facere; ſed prudenter, non tamquam in meteoris vagans id faciat neceſſe eſt. Quando vero hiſtoricus aut philoſophus aut alius, qui ſeueriora tractat, in eo tantummodo verſatur, vt rei veritatem ſententiae cuidam acutae aut eleganti dictioni poſtponat, vt Voltarius feciſſe arguitur et hodie quidam faciunt, ſeque tamen optimis Germaniae ingeniis et opinantur et ſcribunt eſſe adnumerandos, ille ſimilis eſt fictis adulatoribus, *qui* vt Petronius ait, *quum coenas diuitum captant, nihil prius meditantur, quam quod putant gratiſſimum auditoribus fore.* Se quidem, aiunt, ſcribere, quae omnes cum voluptate lecturi ſint; ſtilo ſe vti ſubtili et populari; atque adeo omnium vtilitati ſeruire; orationem verbis atque ſententiis adeo ornatam iactationem habere in iis, qui ad cogitatam ſpeciem ea tantummodo referre ſoleant, quae ſub oculos ipſa cadunt. At vero, o ſi diſcant illi, qui imberbes ſaepe ſunt philoſophi, quid ſit omnibus commune; quid ſit ſubtile et populare dicendi genus! Abeant ad Ciceronis librum, Orator inſcriptum;

legant

Digitized by Google

legant Dionyſii Halicarnaſſei opuſcula oratoria: legant Klotzii commentationem de populari dicendi genere (in Opuſcul. p. 226.); et Cruſii commentationem de popularitate eloquentiae Ciceronis (in Probabil. Critic. p. 171.) et ſapere incipiant. Scribant venuſte et eleganter: ſcribant facete et ingenioſe, vt multos alliciant lectores, inque ſui rapiant admirationem, iubente ipſa natura et ducibus optimis auctoribus tam Graecis quam Latinis: ſed caueant, ne iniquo loco ludere potius et laſciuire, quam delectando docere videantur, ne ornatus ſtili officiat rei veritati, aut paret errorum lernam. Homines quidem ingenio multum valentes tritas vias relinquere, et inuſitatas indagare ſolent, quamquam etiam hi haud raro, ſi verecundi ſunt, de ſe id dicere poſſunt, quod *Cicero* (Orator. cap. 3.) confeſſus eſt: *dum ego autem*, inquit, *ne me ſaepe noua videri dicere*, *intelligo*, *quum peruetera dicam*, *ſed inaudita plerisque*: at non vnicam laudem in verborum ſtrepitu quaerunt, neque puluerem iactitant, veri lucem obſcurantes. Multi autem noſtra aetate, qui ingenioſi videri velint, ſunt ſimiles piſcatori, qui eam imponere ſolet hamis eſcam, quam ſcit adpetituros eſſe imprudentes piſciculos. Ac quaenam eſt hominum illorum bellorum oratio, praecipue, ſi lingua vernacula vtuntur? An refert auream ſimplicitatem? an inſtar verecundae puellae pudica eſt, et naturali exſurgit pulcritudine? Ah! haec oratio non mouet! non ferit ſenſum, nec ſecum abripit! Melliti verborum globuli placent, et tunc ſe ſentit lector auditorue, ſi omnia dicta papauere quaſi et ſeſamo ſparſa ſunt. Euge vobis, dulciſſimi! Maculoſa et turgida eſt veſtra oratio, et rerum tumore, ac ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu leuibusque atque inanibus ſonis hoc proficitis, vt vobis deſint nerui oſſaque, et omne corpus orationis eneruetur et cadat. Multa noua cum pompa verborum dixiſſe ſaepe videmini, ſed demtis verborum laruis, ſpectrum, cui vel oſſium et neruorum vis deeſt, adſpectu horrendum conſpicitur. Multa iactando nihil dicitis,

Digitized by Google

quod non ſaepius ſit rectius meliusque dictum: omnisque veſtra ſapientia eſt deſipientia. Quum Seneca et Plinius, quorum ſcribendi genus et mores noſtri homines imitari et referre videntur, inciperent in ſubtilitate et acumine ſententiarum, inque pondere verborum ſublimium, a ſimplici orationis ornatu aberrantes, omnem venuſtatem et ingenii domicilium ponere; quum vmbratici doctores ingenia delerent, et maieſtatem ac vehementiam verborum vnice ſectarentur: tunc primus et immaculatus orationis flos marceſcere et abire coepit. Obmutuit et aufugit vera et antiqua eloquentia: et Sophiſtae ac nugatores locum occuparunt deſertum, malumque vlterius propagarunt.

Haec peſtis multa eaque ſplendida ingenia, quae noſtrum aeuum ipſasque litteras mire ornare nomenque immortalitati tradere poterant, ita adflat et corrumpit; vt nimio tumore furere videantur, nec in ſcriptis illorum ſani aliquid coloris eniteſcat. Cum Martiale vero illis adclamare liceat cum riſu:

Omnia vis belle, Matho, dicere: dic aliquando
Et bene: dic neutrum dic aliquando male.

Si quis in ſententia ſua tuenda pertinax eſt, ei commendo lectionem bibliothecae Halenſis, et quidem P. III. et IIII. De poetis germanicis quid dicam, qui vel in elegiis et fabulis Aeſchylum, Miltonium et Klopfſtockium ſunt imitaturi? At ſemper cordati fuerunt et adhuc ſunt homines, qui huic reſiſterent impetui, et iuuenibus ab hoc malo praeſtare ſtuderent. Atque beata eſt Germania, quae *Kaeſtnerum*, *Weiſſium*, *Vzium*, *Ramlerum*, *Leſſingium*, et auctores bibliothecae Germanicae, quae prodiit Halae Saxonum, tulit alitque, qui huic morbo Hammaniano ingraueſcenti omni cura et diligentia mederi ſtudent et valent. Quaenam vero eſt cauſſa florentis huius et picti ſcribendi generis, *in quo*, vt cum Cicerone Orat. cap. 27. loquar, *omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores?* Si id, quod verum eſt, dicere licet: haec ingenia

nia nimio nouitatis ſtudio et nimio Gallicae nationis amore a frugalitate aureaque mediocritate abrepta, cupediis, et ciborum delicatulorum multitudine ineſcari; hinc tumeſcere, et paene vt dicam, inſanire coeperunt. Negligunt fontes eruditionis liquidos purosque, ſcriptores Graecos et Romanos. Quod non redolet Gallorum ingenium et facetias, quas oſculantur et miris laudibus efferunt, illud ſordet. Virtutibus igitur Gallorum, quos illis carere dictu nefas foret, inhiantes, vmbram pro Iunone amplectuntur, et captant illorum vitia, nullo diſcrimine facto. His igitur dulcibus vitiis mancipati, atque horum dapibus vnice paſti, verum et antiquum perdunt et amittunt ſaporem; quum praeſertim illa ratio litteris vacandi commoda, nec aeque moleſta eſt, ac quando more maiorum multa legere, multa meditari, multa commentari debeas. Alii me acutiores videant, num illud *Petronii* (ab initio Satyric.): *Nuper ventoſa iſthaec et enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigrauit, animosque iuuenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſidere adflauit, ſemelque corrupta eloquentiae regula ſtetit et obmutuit*, recens nimiumque ſtudium librorum gallice conſcriptorum bene deſcribat. Neſcio tamen, qui fiat, vt hic in memoriam veniant verſus *Burmanni I.* (*in ſomnio ſiue itinere in Arcadiam nouam.*) Huc illos tranſſcribam, et quisquis velit, hos adplicet:

Mox tamen, ecce aliud ſe nobis obtulit agmen
Et parat officio nos retinere nouo.
State viri! clamans! regionem viſere noſtram,
Si ſedet, hinc vobis dux capiendus erit,
Ducimus errantem nos per compendia (an haec ſunt encyclopaediae?) *turbam*
Tangitur et ſpatio meta cupita breui, etc.

Nolo vero, dum haec profiteor, iniurius et iniuſtus videri: neque contemno ſtudium linguae Francogallicae ſuauis, iucundae et hodie vtilis ac paene neceſſariae. Habent

bent adhuc Galliae ingenia, quamquam pauca, quibus possint gloriari. Sed culpo tantum mancipia inter populares meos, quae nihil mirantur, nihil imitantur, nisi quod Galliae, quasi vnae fertiles essent ingeniorum, excluserint. Reprehendo eos Germanos, qui, spretis antiquis, vitia; non virtutes Gallorum, nimio horum amore occoecati, in scriptis suis referunt. Hanc igitur pestem ne iuuenes fuga laboris sequantur, sed mature, vitent, optandum est et enitendum.

Hoc Galantismo haud procul abest aliud vitium, vel quibusdam scriptoribus, qui in aliqua sunt aestimatione, commune et quasi proprium; quod ne vlterius serpat et plures corrumpat, est omnino prouidendum. Nonnulli non solum plurimum temporis in legendis libris Franco Gallicis, Anglicis et Italicis, lepore tantum et vrbanitate aut etiam nugis repletis; non in iis, in quibus res humanae et diuinae subtiliter et acute disputantur, consumunt; quod quidem si otiosi sunt, non plane culpo; sed etiam, quod omnino reprehendendum est, in sermone patrio suam illarum linguarum peritiam vbique ostentant. In oratione Magi illi modo sapiunt facetias et lepores et periodorum leuitatem Gallorum; modo adsurgunt ad grauitatem et sublimitatem Anglorum; modo pingunt et ludunt cum Italis; modo sentiunt, se esse Germanos. Quae misera mixtura seuero et libero Germano indigna! Illorum temeritas aut, si mauis, galantismus eo progreditur, vt multa peregrina vocabula modo ex Anglia, modo ex Galliis, modo ex Italia euocata et mutilata sermoni patrio immisceant; quamquam Germanus in sua lingua formam et cogitationem aeque bene exprimere possit. Hinc *Product*, *Instinct*, *Concetti*, *Artist*, *Costume*, *Gout*, *Illusion*, *Aetherisch*, *Myriaden*, *Pointe*, *Fiction*, *Humour*, et alia infinita omnes paginas, tamquam stellulae, scilicet, distinguunt. Teneant autem illi aesthetici, quae Burmannus I. in Somnio suo, siue itinere in Arcadiam somniauit:

Nec

Digitized by Google

Nec Latius sermo, nec Graecus prouenit illis,
Sed tamen ex lingua mixtus vtraque sonus:
Qualia nec Luna Medea venefica plena
Murmura, Canidiae nec crepuere minae.
Omnia traduntur magicis implexa susurris,
Verbaque, quae fundit, non capit ipse Sophus.

Nostri Sophi sunt callidiores, et plures loquuntur linguas eleganter mixtas inter se et confusas, quinimmo praeter necessitatem dictiones peregrinas, vt *Hof einem machen, faire la cour*, linguae inferunt germanicae.

Neque tamen raro miratus sum, quo fato adcidat, vt homines isti venustuli philosophos superiores propter multa noua vocabula, breuitatis et doctrinae caussa efficta, mire exagitent; ipsi autem tot noua et peregrina adoptare incipiant, vt ad libros illorum recte intelligendos omnes linguas occidentis calleas, aut Lexica, in quibus illae voces peregrinae explicantur, ad manum habeas et sedulo euoluas necesse sit. Nonne Galantismus hic perdit culturam nostrae linguae, et paullulum inuerecundus esse videtur? Equidem sectae Gottschedianae haud addictus probe scio, licitum esse, ditare et augere linguam patriam vocabulis peregrinis, si in patrio sermone non aeque breuiter, adcurate pleneque reddi possunt, aut longo vsu ciuitate quasi sunt donata. Hinc illi nimis delicatuli, quin morosuli esse videntur, qui vocabula *Genie*, *Nuance*, *Naive* e solo Germanico exulare, et alia parum feliciter sufficere iubent. At enim

Est modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Nec vbiuis et inepto loco ista vocabula vsurpanda sunt, nisi risu et indignatione aliorum dignus videri velis; quidam enim paene nihil, nisi *Genie*, *Naive* etc. scire et loqui videntur. Atqui peregrina vocabula praeter necessitatem et tantum nouitatis caussa ficta in linguam vernaculam

culam recipere, id non ſolum a recentioribus hominibus peritis et ſagacibus, ſed etiam a veteribus purae linguae cuſtodibus, grauiter eſt culpatum. Notiſſimum eſt illud Caeſaris: *Tamquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens verbum.*

SECTIO II.

Verae igitur eruditionis atque humanitatis cultores et ſtatores puritatem linguae patriae omni cura diligentia ſtudioque ſeruaturos et ab ambitione hominum noua parturientium vindicaturos, ſpero et confido. Quare facile adducor, vt Cl. *Heinzio* (in epiſtola altera in adpendice ad interpretationem Ciceronis XIIII. ſelectarum orationum Ciceronis Lemgo 1767. pag. 583.) adſentiar, dum ſcribit: *Ich glaube ſelber nicht, daſs die itzige bunte Sprache der Schriftſteller* (Κοινισμὸς) *ſich lange in Anſehn erhalten werde: denn ſie wird allmählig zu gemein; und das iſt der Tod ſolcher Moden.* Atque id in vita vſu quotidie venire, intelligimus. Veſtimenta ſiue ſerica ſiue ex panno confecta et multis variisque coloribus quaſi picta homines delicatulos et puellas venuſtulas vix in admirationem rapiunt, quum Pariſienſis quidam ſartor nouum iam luxuriei et colorum mixturae genus inuenit. Tunc illa abiiciuntur ac ſordeſcunt; et nouae nec raro ridiculae conſuetudini omnes cum immani ſumtu inhiant. Contra quo maiori ſimplicitate et elegantia color veſtisque eniteſcunt, eo diutius durat, nec plane euaneſcit vſus:

Rara eſt adeo concordia formae
Atque pudicitiae.

Sic fata regunt homines, et, vt Iuuenalis in Satira X. v. 2. iam cecinit:

Pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona, atque illis multum diuerſa remota
Erroris nebula.

Hei-

Herderum hominem sagacem, at audacissimi ingenii, quamdiu nomen occultauit, quot homines laudarunt, et instar oraculi consuluerunt? Nunc vero, et gratia sit peritis hominibus, qui equis viris pro puritate dimicant linguae, et impediunt, quominus lasciuies illa orationis plures inficiat, ac malum vlterius serpat, ad vnum omnes paene clamant:

Obscurum verborum ambage nouorum
Ter nouies carmen magico de murmurat ore.

Sed mittamus hoc genus hominum, qui subacto iudicio et temperato calore ad sanam redibunt mentem; custodientibus adhuc linguae patriae sacrarium prudentibus et castis sacerdotibus.

Alius morbus occupare incipit homines nostros ingeniosos nec raro doctos. Ego vero nolim, vt ipsam artem turpet praestantissimam:

Helleborum frustra, quum iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas. Venienti occurrite morbo.

vt *Persius* (in Satyr. III. v. 63.) bene monuit. Nimia eaque crebro immatura peritiae picturae adfectatio viam quasi munire videtur ad famam hominis periti et ingeniosi consequendam. Egregia est illa ars, et multum facit non solum ad rectam veterum auctorum intelligentiam, sed etiam ad ornandam et amplificandam eruditionem, ad vim animi sentiendi nobilitandam, ad iudicium acuendum et ingenium expoliendum. At prudenter et caute est versandum, ne pretium illius artis atque aestimatio tandem vilescat.

Quid vero multi nostrorum ingeniosorum hominum faciunt? Nihil vident, potissimum in veterum poetarum reliquiis, nisi picturas et descriptiones a statuis et artificibus mutuas sumtas et imitationes alterius vtrius. Equidem probe scio, poetas et oratores tam Graecos, quam Romanos frequenter respexisse opera artificum praestantissima. Nec Graecos, praecipue Athenienses, id fecisse

ciſſe mirum eſt, quibus natura in tribuendis animi dotibus admodum fautrix fuit, qui ſub amoeniſſima aëris temperie viuentes elegantiam, humanitatem atque vrbanitatem duxerunt quaſi ſpiritu et ſpirarunt, qui omnes artes liberales atque adeo picturas in ſumma habuerunt aeſtimatione, et lege ſeruos interdixerunt ſtudio picturae et architecturae, ne artes hae minuerentur aut profanarentur. (vide *Klotzii Beytrag zur Geſchichte des Geſchmaks und der Kunſt aus Münzen.* Altenburgi 1767. pag. 106 et 114). Nec Romanos, non in vltima antiquitate, vbi adhuc rudes erant, et Graias mirari artes neſcii, (vide *Iuuenal.* Satir. XV. v. 100. ſeqq.) ſed eos, qui ſubacta Antiochia, quam Cicero pro Archia c. 3. *vrbem eruditiſſimis hominibus liberaliſſimisque ſtudiis adfluentem* dicit, et victa Corintho totaque Graecia omnes Graecorum diuitias et monumenta artificum Romam tranſtulerunt, ſuaque templa aedes et villas illis ornarunt, in ſuis ſcriptis ab artificum monumentis exempla et comparationes ſumſiſſe, eſt mirandum. Fecerit id Cicero cum ſuis popularibus, vt Klotzius libr. mem. pag. 113. ſuſpicatur, non, quia pulcritudinem artificis ſenſerit, ſed ſuperba quadam ambitione adductus, ne vel in hac litterarum parte Romanus ab aliis nationibus vincatur; qua quidem in re diſſentio a Klotzio, et loca ab eo ex Cicerone IIII. contra Verr. c. 2. et Paradox. c. 2. excitata haud multum ponderis habere mihi quidem videntur. Immo vero oratori, animum ſenſumque callide ſaepius mentienti, et moroſulo ſeni paradoxa ſcripturo aliquid concedendum cenſeo. Fac etiam, quod tamen negare audeo, Ciceronem tantum vanitate quadam temporis et arrogantia abreptum monimenta veterum artificum aeſtimaſſe, (videmus enim noſtra aetate multos colligere ingentem librorum ſupellectilem, et quae ſingularia raraque in rerum natura tam ſupra terram quam infra illam in marique reperta habentur, ad oſtentationem, et quia a multis id fieri vident,) inde tamen, conſuetudinem omnium Romanorum eam

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe vanam, concludere non poſſumus. Illa enim monimenta non ſolum propter pretium immane in dignitate fuerunt ſed etiam, quoniam domus villasque ornarunt, oculos pauerunt, ingenium ſenſumque nutriuerunt; hiſtorias et mythologicas et veras, quarum memoria dulcis eſt hominibus haud ſtolidis, pulcre ſubiecerunt oculis, et quae aliae fuerint cauſſae, fecerunt, vt Romani illis delectarentur, et erudirentur. Graecorum ſcriptorum in primis amantes, ex illis lucem atque interpretationem, praecipue poetarum ſaepe petierunt. Dein quot monumenta hiſtorica ſub ſymbolis religioſis in vaſibus, annulis gemmisque a Romanis habemus! quot artificioſe ſculpta et efficta ad delectationem animi aut ad memoriam rei poſteris tradendam! quorum multitudinem non coacernaſſent et auxiſſent Romani, niſi ipſi pulcritudinem artificis ſenſiſſent. Creſcente quidem inter Romanos luxu, illarum rerum creuiſſe amorem praeſertim ab Auguſti tempore, non nego: Antiquioribus etiam Romanis, ſpectaculis atrocibus bellisque perpetuis adſuetis, Graecia nondum cognita ſubactaque, non tantum artificum, qui tamen in Etruria iam fuerunt, amorem inſediſſe concedam eorum tamen ſeueritatem reliquiis Graecorum venerum et pulcritudinis acceptis mitigatam fuiſſe, haud ignoro. Sentire igitur et magni aeſtimare coeperunt Romani artificem eiusque artem ac pulcritudinem; atque poetae vim illorum ſenſibus oppido adcommodatam verſibus illuſtrarunt. Summi quidem poetae, Horatius et Virgilius, quando prior libr. 1. od. 2. v. 2. 3. canit

Miſit Pater, *et* rubente
Dextera *ſacras iaculatus arces*,

poſterior autem Georgic. I. 328. 329.

Ipſe pater, *media nimborum in nocte*, coruſca
Fulmina molitur dextra —

ſublimem hanc imaginem ex antiqua tabula, in qua fulminis rubor ipſam manum illuminabat, ſumſiſſe videntur.

Nam, quum aequales essent, alterum alterius fuisse imitatorem, vix crediderim. Sed haec sufficiant. Romanus saltem in conspectu semper habuit manuque versauit monumenta, et ideo, quamquam arte et scientia picturae et sculpturae Graecos, tantum absfuit, vt superaret, vt ne aequaret quidem, tamen, hos imitatus, ab illis artificum monumentis, quae oculis animoque semper cernebat, similitudines exemplaque, quibus orationem aut carmen illustraret, more Graecorum sedulo petiit. Quamuis igitur id frequenter fecerint Graeci et Romani: neque tamen, vbi similitudinem quamdam poetae et pictoris deprehenderis, statim concludendum est, vt Spence in *Polymetis* et alii fecerunt, et adhuc faciunt, poetam artificis cuiusdam monumentum in animo habuisse. Atque, qui vbique poetam artificum veterum imitatorem animaduertunt, ii a Galantismo haud procul abesse mihi quidem videntur. Hoc iam viderat elegantissimus *Lessingius* (in Laocoon. Part. I. pag. 79.) cuius verba hic repetere, ab instituto haud alienum videtur:

Wenn Dichter und Künstler dieienigen Gegenstände, die sie mit einander gemein haben, nicht selten aus dem nemlichen Gesichtspunkte betrachten müssen: so kan es nicht fehlen, daß ihre Nachahmungen nicht in vielen Stücken übereinstimmen sollten, ohne daß zwischen ihnen selbst die geringste Nachahmung oder Beeiferung gewesen. Diese Uebereinstimmungen können bey zeitverwandten Künstlern und Dichtern, über Dinge, welche nicht mehr vorhanden sind, zu wechselsweisen Erläuterungen führen; allein dergleichen Erläuterungen dadurch aufzustutzen suchen, daß man aus dem Zufalle Vorsatz macht, und besonders dem Poeten bey ieder Kleinigkeit ein Augenmerk auf diese Statue, oder auf ienes Gemählde andichtet, heißt ihm einen sehr zweydeutigen Dienst erweisen. Vnd nicht allein ihm, sondern auch dem Leser, dem man die schönste Stelle dadurch, wenn Gott will, sehr deutlich, aber auch trefflich frostig macht.

Dieser

Dieses ist die Absicht und der Fehler eines berühmten englischen Werks. Spence schrieb seinen Polymetis mit vieler klassischen Gelehrsamkeit, und in einer sehr vertrauten Bekanntschaft mit den übergebliebenen Werken der alten Kunst. Seinen Vorsatz, aus diesen die römischen Dichter zu erklären, und aus den Dichtern hinwiederum Aufschlüsse für noch unerklärte alte Kunstwerke herzuhohlen, hat er öfters glücklich erreicht. Aber demohngeachtet behaupte ich, daß sein Buch für ieden Leser von Geschmack ein ganz unerträgliches Buch seyn muß.

Illis tamen, quum multa antiqua ignoramus et coniectura tantum docta adsequimur, ignoscendum est: num vero quibusdam Anglis, Gallis horumque imitatoribus, qui vbique se picturae esse peritissimos in scriptis ostentant, eoque pluribus lectoribus artis illius non adeo gnaris multum creant obscuritatis et fastidii, aeque ignoscendum sit, dubito. Vide hominem nostrum Galantistam! Omnes veneres quasi spirare videtur. Admirare lepidum eius et amoenum ingeniolum, miram cognitionem antiquitatis aeuique recentioris! Quam belle tibi enumerat omnium pictorum familias! Quam egregie tibi enarrat, qui scriptor huic vel illi sit similis pictori. Quam scite vbique intexit formulas pictoribus aliisque artificibus sollemnes, vbi de aliis et a pictura plane diuersis rebus agit. Iurares, eum filium esse Apellis aut Raphaelis: aut omnem aetatem Florentiae et in Capitolio consumsisse. Adeo imbutus videtur picturae, vt omnes cogitationes omnesque res ad illam referat: quod quidem veteres Graeci et Romani in tanta omnis artis praesenti abundantia haud fecerunt Caylo, Mengsio, Hagedornio, Winkelmanno, tristissimo interitu Musis erepto, et paucis aliis, horum similibus id facere licet. Hi de hac arte docte scripserunt; hi multum aetatis tempus transegerunt in hoc studio, et praestantissimorum artificum monumenta non solum perite intellexerunt, sed etiam quotidie habuerunt ante oculos. Hos igitur ita scripsisse, vt men-

tem perſpiceres, et hanc artem peritiſſime callere videmus. Non alieno aut iniquo loco ſcientiam ambitione quadam cretata oſtenderunt, aut lectoribus tamquam obtruſerunt, nec in campo hoc latiſſimo errabundi vagati ſunt; vt multi noſtrorum ſcriptorum ſolent facere, qui artem hanc diuinam vix primis labiis guſtaſſe videntur.

Quaedam forte legerant de arte pictorum: aut fando acceperant illorum nomina, et varias pingendi vias aetatesque ex Hagedornii, Fueslini, Webbi aliorumque libris forte didicerant, ſtatim ſuam cognitionem vbique oſtentant, et, miſſis notioribus, obſcura tantum venantur, arbitrantes,

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter.

Quid vero, Dulciſſime! lectores immatura illa et obſcura oſtentatio iuuabit, vbi in adiuncto quodam aut epitheto aut pauciſſimis verbis ad hoc vel illud monumentum, aut pictoris cuiusdam non adeo nobilis nec omnibus cogniti nomen aut rationem pingendi reſpicis? Quis poſterorum tua ſcripta leget, aut deſtituta commentario intelliget. Perſius alter et forſan hoc obſcurior illis videberis. Elegantiae vero et nitori numquam cedat perſpicuitas, et inuerecundia quaedam eſſe videtur, ab omnibus lectoribus poſtulare, vt artem illam vniuerſam ad vnguem veluti reſecuerint, aut nomina omnium, nec adeo celebrium artificum, omnesque horum formulas non adeo frequentes teneant memoria, aut, vbi haereant, ad lexica et catalogos, vt illi forſan in concinnando ſuo libro non ſine multa fecerant moleſtia, ſemper confugiant.

O curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!
Quis leget haec?

Qui artium ſcientiam non ſine verborum ſtrepitu et rei ac ſententiae inanitate vbique oſtendit, primam elegantis ſtili virtutem, non in perſpicuitate, quod vulgare et ſtupidis hominibus relinquendum eſt, ſed in obſcuritate quadam docta, haec enim Galantiſtam noſtrum numero

mero rudium et humilium eximit ſcriptorum, in frequentiſſima laudatione hominum fama Muſices aut artium cantandi et ſaltandi vel paullulum excellentium ponere ſolet *Clairon*, *Garrik*, *Nouerre* et alios ignobiliores, quos ex libro, pleno nugarum, *Unterhaltungen*, aut ex diurnis libellis forte cognouerat, ſui ſunt heroes, quos vbique aliis comparat, laudat, aut tamquam violas et narciſſos pictae ſuae orationi intexit, quin lectores omnes, non aeque lepida et feſtiua capita illos, in ſuo genere praeſtantes homines, nouerit, aut curet, aut ſciat, vnde in ſerie orationis praeter omnem exſpectationem haec orta ſint et actutum euaneſcant phaenomena. Ha! ille ridens inquit, videte triſtem et moroſulum homunculum! Quis hodie adeo inhumanus eſt, qui illa ſidera neſciat, nec admiretur? Quis hodie adeo ſtipes eſt et Phryx Caresue, qui illas artes contemnat, nec curet homines in ſua arte diuinos, qui humano generi plus adferunt tum vtilitatis tum delectationis, quam omnes ſteriles Grammatici, Critici et Philoſophi? Cicero ſemper laudat Roſcium ſuum, et ſic alii veteres, quos te admirari video. Plenus admiratione ingenii Tui et acuminis paucis me expediam. Si quis alius, ego quidem colo homines in quocumque litterarum et artium genere praeſtantes: amo illas artes. Sed, pace tua, auribus tuis ſitientibus hoc inſuſurro. Non omnes homines, quos lectores tuorum librorum et admiratores tui ingenii eſſe cupis, ſunt Galantiſtae. Imitare Ciceronem et reliquos veteres. Sed diſtingue, more illius, tempora, loca, et ſcribendi genera, et ſcito tenuiſſe medium eſſe beatum. Culpo tantum abuſum et vanam ſcientiae oſtentationem. Nunc porrige mihi herbam aut ſcribe, quae tantum tui ſimiles legere et intelligere poſſint. Horum vero laudem ſi conſequi cupis, caue frontem ne vmquam corruges: nullum, more Gallorum, laudes auctorem, qui ante te idem ſenſerit aut dixerit, vt homines opinentur, te nihil niſi noua proferre, et ex penu tuo largiſſimo, tamquam ex cornu copiae,

omnia promsisse; vt te Apollinem esse putent. Quantus eris homo! Omnes te veluti oraculum consulent, tuasque sententias, tamquam de tripode dictas, venerabundi accipient. Alios enim, inquis, frequenter laudare, et, vel in historia quadam licet obscura conficienda, testimonia aliorum excitare, aut semper prouocare ad diplomata, hominis est, cui atra sit bilis, et allegatorum, quae vocant, nubes sapientes homines deterret a lectione. Quem Thucydides aut Xenophon aut Liuius laudauit? quem Voltarius, o admirandum ingenium, quem paene adoro! in historiis suis testem nominauit? Ah! desine, mi dulcissime: assem tibi parabo. Tu vero videbis, quae fides verbis tuis sit apud posteros, quin iam apud aequales. Mihi autem, qui simplex malo esse, quam tecum sapiens fieri, aut te imitari, multa forsan in promtu erunt, quae tibi oggeram. Sed, qui adeo callidus es, mentem facile perspicies. Si Liuius nostra scriberet aetate, qua libros typis expressos et in capita distinctos, et tabellaria in diuersis vrbibus habemus, in diuino suo opere dicta factaque aliorum fulciret testimoniis, et vero interdum fecit. Atque Thucydides res gestas memoriae prodidit, quibus ipse praefuit, aut interfuit. Verum, et ego desinam. Surdis enim narratur fabula: Tu vero declama et nugare!

SECTIO III.

Cogitanti mihi Galantismum litterarium, varia, quae adhuc restant, occurrunt vitia, quae in institutione et in libris conscribendis a multis delicatulis ingenioque intemperanter abundantibus, hoc est, a Galantistis nostris committuntur; quae tamen ne ab aliis, auctoritatem tantum hominum; non suum ipsius iudicium sectantibus, augeantur, et litteras ipsas infament, est sedulo prouidendum. In hac vero commentatione interdum exspatiari mihi liceat. Sunt igitur, qui libellum, quin orationem tum demum enitescere et delectare arbitrentur, si ex

poetis

poetis Graecis, Latinis, Anglicis, Gallicis, Germanicis et aliis ignotioribus multi versiculi tamquam flores interseruntur. Ad ostentationem quidem eruditionis elegantioris, famamque ingenii faceti splendidique venandam inter quosdam incautos homines, eosque, qui specioso et nitido scribendi genere facile decipiantur, multúm id facit. Num vero semper et vbique apto iustoque modo id fiat, valde dubito. In libris iocosis et satiricis, qui tantúm ad delectationem animi conscribi, et ab ingenio et rerum ac verborum varietate plurimum repetere solent, pretii laudisque, aut vbi Satirus ridendo verum dicit, acutae aptaeque, nec vsu nimium tritae poetarum sententiae pascunt quasi et acuunt lectoris animum. At vero plures versus, iique ex tot et diuersis ac plerumque non satis obuiis poetis anxie conquisiti, vt a multis venustulis illis et ventosis hominibus fieri solet, satietatem rei taediumque adferant necesse est. Quam lepidus, immo vero ridiculus ille tibi videtur, qui vestimento e multis pannis consuto et discolori egregie, vt sibi scilicet videtur, indutus alto supercilio et erecto pectore incedit! Aeque ridicula est venustulorum horum homuncionum compilatio, quae vel pauperiem vel nimiam abundantiam lasciuiemue ingenii prodit. Modo enim pingit ille litteras graecas, modo latinas, modo italicas, modo anglicas, modo hispanicas, vt homines sciant, se has linguas, quas tamen saepe vix potest bene legere, adprime callere. Omnesne vero etiam lectores, quos delectaturus es, intelligent illas, de quarum peritia gloririas? Inuerecundus igitur et imprudens iure multis videberis. Atque nimia dulcedo saporem cibi vel optimi perdit. Haec tamen ostentatio, si temperata est, nec centonem variarum litterarum pictum prae se fert, in libris iocosis, vti iam monui, aliquo modo tolerari potest: subridemus etiam, si homines ab Euro aut Aeolo quasi prognatos, suaque paupertate immodice superbientes audimus. In seriis autem scriptis, in quibus series veritatum iusto nexu proponi et

omnis iudicii vis intendi debet, aut in orationibus publice habendis vanus ille verſuum abuſus multo minus perferendus eſt, et omnino ridiculus. Oratio eſſe debet grauis, elegans, et conformanda non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum. At cedat oportet lepos quidem, ſubtilis venuſtas atque vrbanitas; ſed caueat ſcriptor, ne retundat iudicii aciem; ne turbet ordinem rerum, et pondus minuat argumentorum; ne auribus faciat inſidias, et dimittat lectorem aut auditorem, paullulum quidem delectatum, ſed non ſatis perſuaſum: quod omnino adcidet, crebro verſuum intextorum vſu. Ea enim eſt poeſeos natura, vt metro ſuo, forma, ſuauitate, aut audacia animos hominum mire deliniat, et a ſeueritate cogitationum ad delectationem abripiat; quod quilibet, qui ſenſu non plane caret, facile poteſt experiri. Atqui, quamquam auctoritate aliorum non mouear hac in cauſſa homines et antiqua et noſtra aetate ſagaces anteſtor. Si enim exempla veterum et recentiorum, qui in quadam ſunt aeſtimatione, conſulemus, pauciſſimos videbimus, ſua ſcripta multis populárium, nedum peregrinorum verſiculis illuminaſſe. Num Demoſthenes et Cicero ſuis orationibus ornatus et delectationis cauſſa plures eosque peregrinae linguae verſus intertexuerunt? Herodotusne, qui linguam Aegyptiacam calluit, an Xenophon, an Liuius, Salluſtius, Tacitus admiſcuerunt popularium aut Aegyptiorum aliorumque externorum poetarum ſententiolas? Iam vero, ſi veteres auctores, vt Plutarchus aliique hoc recentiores iuſto forſan frequentius fecerant, poetarum loca laudarunt, ex iis, qui tum in omnium erant manibus, exempla ſumſerunt mutua. Cicero in libris quidem philoſophicis ſaepius laudauit verſus Ennii aliorumque Latinorum, num vero plane poſſit excuſari, aut ab oſtentationis crimine vbique liberari, aut hac in cauſſa ad imitationem commendari, dubito. Saltem verecundior fuit in excitandis Graecis verſibus, vel in epiſtolis ad Atticum, graecae linguae amantiſſimum

quam

Digitized by Google

quam noſtri Galantiſtae in adcumulandis verſibus peregrinorum eſſe ſolent. Qui quidem verſus inſtar teſtium ad veritatem rei ſtabiliendam adducuntur, illi in hunc cenſum non veniunt. Aliud eſt probare; aliud delectare. Quid ſi Icti in ſuis iudiciis, aut Medici in Conſultationibus, verſibus aeque luderent, ac philologi et oratores in doctrinis firmandis argumentisque grauioribus, interdum facere ſolent? Nonne ſapientiores riderent? Nec vicini noſtri Galli et Angli, quorum vel vitia leuis ingenioſorum noſtrorum hominum turba imitatur lubentiſſime, oratione vtuntur adeo picta et diſcolori.

Aeque inſolens et ventoſa eſt illorum loquacitas, qui cum in inſtitutione, tum maxime in animaduerſionibus ad auctores veteres nihil prius et antiquius habent, quam vt omnes ſententias infinitis ſimilibus locis diuerſorum eorumque peregrinorum ſcriptorum ad nauſeam vsque illuſtrent, in eoque ſtudio miram exiſtiment poſitam eſſe elegantiam. Auctores quidem diligenter componere diuerſas virtutes dicendique et orationis commutatae rationes paucis oſtendere, praecipue autem in inſtitutionibus, nec vero ad oſtentationem ingenii, peritiaeque multarum et antiquiorum et recentiorum linguarum, et ſtupendae diligentiae, elegantia eſt, et ad acuendum ingenium, ad erudiendum, et ad delectationem quam plurimum valet: ſed id et caute atque prudenter fiat neceſſe eſt, et iis praecipue in locis, in quibus eſt quaſi fundus, aut fons, vnde plures, et alius aliter hauſerat, aut aliorum imitatio tamen aut inſignis ingenii ſententiaeue vis ac magnitudo. Omnis liberalitas, quae modum excedit et intempeſtiua eſt, vertitur in vitium. Atque ſi tirones et iuuenes inde erudiantur, aſtupebunt quidem videndo infinita e diuerſis linguis loca collecta et conflata: mirabuntur ſedulitatem doctoris, ſed ob inſcitiam tot linguarum peregrinarum, quae in illis nondum eſt culpanda, parum inde capient vtilitatis. Multum vero is iuuabit intelligentiam auctoris et interpretationem, qui ex iis ſcripto-

ribus, quos tirones vel intelligunt vel intelligere et nofcere debent, Graecis, Latinis et vernaculis, loca praeftantiora confert, ad formandum et muniendum iuuenum pectus. Neque tamen omitti debet ars critica et grammatica tam rerum quam verborum: quod quidem nonnulli facere confuefcunt. Qui vero et vfu et litteris et annis grauiores funt, vel non intelligunt tot peregrinas linguas, et frugalitatem fcriptoris ac pudorem amant, vel ipfi facile inuenire et comparare poffunt. Ego vero laudo commentarios Longopetraei et Heskinii in Bionem et Mofchum, Lambini in Horatium, et Vulpii in Catullum, Tibullum et Propertium, qui et artem criticam exercent, et loca elegantiora diligenter comparant cum veteribus et recentioribus, fed iis, qui a popularibus et lectoribus intelligi poffunt debentque, nec his infolentes funt. Quam fcite apteque loca componunt et oftendunt veneres Brokhufius, Klotzius, Heyne, Ernefti, Drakenbroch, et pauci alii horum fimiles! Excipio tamen eos, qui in fingularibus libellis virtutes vitiaque fcriptoris cuiusdam, vberius examinare et illuftrare ftuduerunt. Nec, quod in totu argumento hoc perfequendo ftatuo, vfum; fed abufum culpo.

Porro a Galantismi vitio et crimine illi, qui in auctoribus explicandis nihil nifi pulcrum et venuftum vident, fingulis vocabulis vim ineffe operofe contendunt, curam poetae aliusue fcriptoris fingularem in ftructura orationis, fono, animi paffionibus aliisque veneribus, de quibus auctor non cogitarat conquirendis, et quas forma, materia, ingeniumque rei exigunt, copiofe et vbique efferunt, et, quae vel pueri fentiunt, mira cum loquacitate explicant, cetera vero parum curant, haud immunes effe videntur. In doctrina quidem illorum copia et loquacitas quodam modo perferri poteft, quamquam etiam hic modus adhibendus eft, ne adolefcentes ludere et iocari potius, quam feria agere difcant: fed in libris, vt Sanadonus in eruendis et illuftrandis Horatii veneribus fecerat,

cerat, lectori, qui ipse sentire et impedimenta tantum remota esse cupit, creat fastidium. Paucis tantum admonendus erit lector, qui reliqua, nisi hebetis est ingenii, ipse sentire atque inuestigare cupit. Vel in societate vitaque nugax homo est molestus; modestus contra atque elegans, salibus atque facetiis moderate sparsis, reficit hospites, et laudatur. Ac alia ratione in id vitii incidunt, cuius alii aliorum librorum et disciplinarum vel sacrarum adcusantur interpretes, qui omnia dicunt, quae dici possint, et in aduersariis suis instar thesauri, quem aliis inuidere nolunt, hac de re collecta reperiantur.

Huc etiam referre licet, qui in tradendis litteris elegantioribus nimium philosophantur, vt Baumgartenius philosophus Francofurtensis, homo alioqui subtili et acri iudicio, cum suis adseclis aestheticis ipseque Homius in principiis critices, quem acutum alias philosophum, haud pauci minorum gentium dii temere imitantur, iusto liberalius fecerant. Quae quidem seruilis methodus et restinguit ac debilitat spiritum incalescentem nobilesque animi motus, et ingenium vinculis quasi constrictum retinet retrahitque ab omni audacia. Suis regulis ac limitibus omnino contineantur eloquentia et omnes artes liberales: sed vere liberae sunto a tot compedibus et anxietate. Chapelain XX. annos consumsit in fingenda puella Aureolanensi, et quae demum prodiit? Anus *). Neque enim Homerum neque Pindarum, neque Demosthenem, neque Ciceronem, neque Horatium, neque Virgilium haberemus

*) v. *Anecdoten von berümten Gelehrten.* Part I. pag. 227. vbi lepida quaedam in hunc poetam epigrammata leguntur. Vnicum huc transscribere iuuat:

Nous attendions de Chapelain
Vne pucelle
Jeune et belle
Vingt ans à la former, il perdit son latin
Et de sa main
Il sort enfin
Une vieille sempiternelle.

Digitized by Google

beremus, si lectores, cumprimis critici, tunc temporis omnes minutias et errores leues tam acerbe reprehendissent, aut Musae a tanta praeceptorum subtilissimorum caterua oppressae sub iugo gemuissent, vt Boilauius iamdiu obseruauit. Ac quamquam nec Graeci nec Romani tot praecepta, initia, compendia, et fundamenta eloquentiae, poeseos ac picturae habuerunt, quot nunc, Momo deo sit gratia, habemus: plures tamen exstiterunt, qui arte orandi aut canendi aut pingendi excellerent, et diutius superstites essent, quam nostri ephemeri: cuius rei triste, at luculentum dat exemplum Abbas *Aubignac* *) qui regulas poeseos dramaticae probe quidem tenuit, et seuerus fuit in emendanda sua tragoedia, *Zenobia*, quae tamen, quum in lucem prodiret, contemta irridebatur. Multis quoque poetis, sub aquario natis et nimium anxiis in versiculis suis corrigendis et secundum regulas in compendiis praescriptas condendis, cenotaphium, imago sui ingenii, est exstruendum cum inscriptione, quam olim in Santeuilium conscripserant:

Cy git le célebre Santeuil,
Poetes et fous prenés le deuil **).

Plura hic essent dicenda, nisi praeter ceteros, cl. *Riedelius* in *litteris*, *Veber das Publicum* pag. 8. hoc de argumento fusius disputasset, qui etiam pag. 190. criticum eiusque vitia et munera describit, cuius monita vt omnes ephemeridum et diurnorum commentariorum auctores sequantur, valde optandum est. Iam ill. *Hagedorn* in Betrachtungen über die Mahlery tom. I. pag. 57. *In den Wissenschaften*, inquit, *und in den schönen Künsten ist die gekünstelte Kritik gleich schädlich.*

Nouum vero genus Galantistarum obseruatur animo. Multi hodie reperiuntur, qui faciei litteraturae nouam formam adpingere, vel ordinem suetum permutare, vel

*) vide *Anecdoten ber. Gelehrten.* P. I. p. 241.
**) v. *Anecdoten von ber. Gelehrten.* P. II. p. 113.

Digitized by Google

vel quaſi ex orco et antris Cumaeis noua atque antea inaudita euocare dicantur, aut ſe illos fore arbitrentur, et de nulla alia re, quam de nouis inuentis et Epochis lubentius ſoleant nugari. Plaudite, ciues, hiſce Iouis incrementis. Chinenſis enim quidam in litteris Riedelianis pag. 117. veſtras enarrat querelas, idemque oſtendit campum, quem colatis, et vbi feratis poſteritati, et Baco Verulamius iam dudum deſerta, quae colenda eſſent aperte monſtrauit. Gratulamini noſtro aeuo, cui fauſta haec ſplendeſcunt ſidera: ite ad aras, et precamini, vt deus ſinat, tam diu intereſſe viuis, donec noua illa inuenta magnifice promiſſa publicam lucem adſpexerint, vt doceamini et ſaeculi fertilitati hiſque gratulemini ingeniis. Iam parturiunt montes. Concurrite et videte, quid exeat? Ridiculus mus. Qui enim fere ſunt illi, quibus cum Martiale adclamamus,

Quidquid ames, cupias non placuiſſe nimis.

Qui igitur ſunt illi, qui populares noua docere, totam humanitatis aut philoſophiae aut theologiae faciem commutare, et epochas, vti ſolent dicere, litterarum ſuſcipere iactitent? Sunt ſaepe iuuenes, qui ab ore doctoris academici adhuc pendeant; aut vix, miſſis ſcholis ſapere incipiant; aut alii expertes hiſtoriae litterarum et philoſophiae, qui, quicquid ſomniant, noua eſſe putent. Hi Suffeni, qui ſe fore iactitant Apollines, in eo forſan Deo huic ſimiles eſſe videntur, quod, ſicuti hic pingebatur olim, adhuc intonſi ſunt. Illi homines, etiam adulti, ſi aut difficultatem quamdam mente concipere nequeunt, aut famam aliquam aucupaturi ſunt, noua fingunt vocabula, quae dii neque ſuperi neque inferi intelligunt; vel, quae ipſi nondum ſatis percipiunt, in tanta verborum et ſententiarum obſcuritate proponunt, vt Oedipo egeat lector. Atque haec eadem docta obſcuritas eſt, quae ipſis famam quandam et plauſum parat, vti Pythagorae aliisque obſcuris

ſcuris luminibus olim adcidit. Multorum autem hominum, praeſertim iuniorum, ea eſt natura, vt, quae non perſpiciant, ingenioſa et erudita; atque oraculi effata ſui rata et certiſſima eſſe arbitrentur. Ἀυτὸς ἔφα illis eſt inſtar omnium argumentorum: aut diu defatigati perſcrutando ſententias doctoris ſui abdytas et myſterii plenas, Bethlemi malunt inſanire, quam cum aliis ſanis hominibus ſapere. At enim noua quaedam, eaque barbara, et quae ſenſu ſaepe carent, excogitare vocabula, aut horridae quondam et aſperae philoſophiae elegantem pictamque induere, vel potius reddere veſtem, hoc ſane nouam litteraturae nondum conſtituit epocham adeo magnificam, niſi Scholaſticos philoſophos alioſque mentis ſane corruptores, aut parentes compendiorum, bullulis ſimilium, ſummos epocharum fuiſſe dixeris auctores. Nec is magnifico et inſigni hoc nomine dignus mihi videtur, qui caſu nouum quiddam inuenit, licet id nouae epochae occaſionem dederit, aut qui vnam alteramque veritatem antea plane incognitam excogitauit, aut ex obſcuritate et obliuione reuocauit, etiamſi ingenii ſplendidi atque egregii laude floreat. Atque in inueniendis nouis omnem vim et notationem ingenii quidam poſuerunt. (vide *Geſchichte des menſchlichen Verſtandes* Sect. II.) At enim *Publici* conſenſus hos illarum epocharum patres eſſe ait. *Publici* quidem effatum ſanctum eſt et certum: ſed quodnam eſt plerumque illud, quod adpellas, *Publicum?* Amici et familiares, qui in ephemeridibus Te laudarunt. Tu vero vberius cognoſces *Publicum* Tuum ex *Riedelio,* qui in libro; *Briefe über das Publicum*, in decima epiſtola ad Perilluſtrem *Thümmelium*, ornamentum Muſarum ac Gratiarum, a quibus enutritus videtur, illud bene deſcripſit. Ego autem cenſeo; qui noſtra aetate epocham tam litteris quam ciuitati ſalutarem inſtituat, hominem eſſe debere a magno et ſubtili ingenio, a ſubacto iudicio, ab haud vulgari eruditione atque perſpicacia inſtru-

ſtructum, eumque, qui prudenter nec temere audeat valeatque errores communes et inueteratos profligare, tenebras, quae hucusque magnam orbis litterarii partem oppreſſerant, fortiter diſcutere, et noua docere, quae litteratae reipublicae faciem feliciter immutent: paucis; talem eſſe debere cenſeo, qualis is eſt, quem ad *Primates litterarios*, quos *Heumannus* in via ad hiſtor. litterar. cap. VII. §. X. rel. deſcribit et nominat, aut ad *Primanos*, vti hos *Heumannus* libr. mem. cap. IIII. §. 70. adpellat, iure queas referre. Noſtrum quidem ſaeculum eiusmodi ſummos viros tulit; neque tamen natura adeo prodiga aut fertilis eſſe videtur ſummorum ingeniorum, (quae quidem illiberali inſtitutione et educatione interdum deprimuntur et delentur,) neque illa tam cito matureſcunt *), ac tam cito haec ſibi litterarum praeſidia comparare poſſunt, vt epocham litterarum firmam certamque queant inſtituere. Verum prima ſequentem in ſecundis et tertiis conſiſtere, iam honeſtum eſt. Si vero hiſtoriam artium litterarumque conſulemus, veros, vtiles et immortales epocharum auctores non ſolum adcuratius noſcemus, ſed ſingulis quoque ſaeculis vix vnum alterumque in ſuo quemque genere fuiſſe videbimus. Sic Homerus, Socrates eiusque praecipue ſectatores, Ariſtoteles, Horatius, et recentiori aetate, Lutherus, Petrarcha, Erasmus, Reuchlinus, Carteſius, Leibnitius, Neutonius paucique alii veri epocharum in philologiae aut philoſophiae ſtudio fuerunt auctores.

Vltimum Galantiſtarum genus non dicam fuſe percenſebo, ſed nominabo, quoniam hos cl. *Ebert* in libro ludicro, *Fidibus* inſcripto, Faſciculo II. Nr. 19. iam ſatis iocoſe exagitauit. Multi nimirum adeo aeſthetici ſunt, vt ſententiarum ſubtiliſſimarum pleni velint videri, et in ſingu-

*) Vide cl. *Purmanni* proluſ. *Grundſätze zur Beurtheilung des Genies der Gelehrten;* praecipue proluſ. I. Francof. ad Moen. 1764. pag. 12. ſq.

ſingulis verſibus in animis lectorum aculeos ſtudeant relinquere. Ac, quo lector aciem ingenii videat, totam plagellam lineolis tranſuerſis, quas *lineolas ſententiarum* alii vocant, immoderate complent. Erigunt quaſi ſigna, hisque adclamant: Sta lector et admirare meam perſpicaciam, meum iudicium limatum: cogita mirabundus vim ſenſus et verborum pondera! quantum comprehendit haec ſententiae breuitas! Mirare, lector, meoque ingenio plaude: quam ſapiens! At quid prudens lector ſaepe cogitat? Te hominem eſſe nimis delicatulum et nugacem, aut mentis deſipere.

Denn pflegt ein Scribler mich mit Strichen — zu beſchenken,
So nehm ich gleich dabey die Regel wohl in Acht —
Hier hat der Autor nichts gedacht —
Hier braucht der Leſer nichts zu denken. —

v. *Fidibus* loco memorato!



III. DE

III.
DE ORIGINATIONE VOCABVLI NVRENBERG *).

In quantis tenebris inexplicabilibus ii ſaepius verſentur et palpitent, qui in inquirenda vrbium, regnorum, regionum populorumque origine nominisque notatione ad vltimam aetatem, plerumque tamen incertam multisque fabulis inuolutam, redeunt, et quam ſaepe viri alioqui doctiſſimi, ingenio *Prooemium.*

*) Me Gottingae litterarum cauſſa commorantem defunctus Groſſius, auctor ephemeridum politicarum Erlangenſium, in patriam reuocauit, meque per aliquot menſes liberaliter ſuſtentauit, et praeter alias lautas promiſſas, non ſeruatas, conditiones ſpem mihi fecit certam muneris publici hiſtoriae patriae in Vniuerſitate Erlangenſi docendae: ad quod rite capeſſendum aliquot menſes adcuratae illius hiſtoriae cognitioni dedi, a pueritia hiſtoriae ſtudio delectatus et hanc de Noribergae originatione coniecturam, cuius auctor ille fuit, vberius firmare et probare ſtudui. Quamquam ſpe mox excidi, ab eo, id, quot multis ante me factum eſt, deſtiſtutus atque illuſus, diſputationem tamen conſcriptam pro loco in ordine philoſophorum obtinendo, menſe Iulio cIↄIↄCCLXIIII. publice defendi: eamque, paucis tantum voculis mutatis, typis repetendum curo. Etiamſi coniectura, non omnibus placeret, maiorique egere videretur argumentorum copia et pondere, illi tamen tantum tribuendum puto, quantum coniecturis non admodum improbabilibus tribui ſolet.

genio nimium indulgendo, nubem pro Iunone amplectantur, dum imaginem ipſam et certam opinionem deprehendiſſe ſibi videntur: alii vero in indagandis originibus, dilucidis planeque euidentibus, vt noui aliquid proferant, mire alucinentur inque deuia deflectant, ex omni antiquitate atque hiſtoria cum Graeca Romanaque, tum maxime Germanica ſatis conſtat. In re tam clara, omnibusque, qui hiſtoriam vel primis labiis guſtarunt, nota ſi verboſus forem, argumentum multis exemplis illuſtrando, variasque obſeruationes intexendo, more quidem multorum, onerarem potius quam ornarem hanc diſputationem. Mihi vero ſufficiat, ea, quae a me dicta ſunt; nouo tamquam exemplo, comprobare. Nurenberg nimirum vocabulo, in cuius expiſcanda notatione multi quidem iam verſati ſunt homines doctiſſimi, varia augurati et coniectati: quum tamen ipſum iugum ante oculos nobis poſitum iſtam ſatis euidenter ſubminiſtrat; quod non ſolum principatui Burggrauiali, ſed etiam celeberrimae vrbi Noribergae, quae ob amplitudinem, ſplendorem et dignitatem non minus quam artificum famam: prae multis aliis eminet, nomen dediſſe ſum commonſtraturus. Iuuat tamen praecipuas aliorum prius proponere coniecturas, quam quae mea ſit ſententia, dicere.

Diuerſorum iudicia de notatione Nurenberg.

Sunt nonnulli hiſtorici Noribergenſes, qui nimio patriae amore decepti atque offuſcati arbitrentur, ab imperatore Nerone caſtrum exſtructum eſſe, qui ei nomen impoſuerit. At, quam hercle, eleganter, quam venuſte! Atqui Romani etiam nouerunt linguam Teutonicam, vt nominarent Neronsberg, ſiue Neronsburg! Heu! abeant elegantes illi homunciones ad lexica, et vocabulum *Burgum* apud Latinos veteres vſitatum mihi quaerant, et cum nominibus aliarum vrbium ſiue caſtrorum

ſtrorum a Romanis in Germania exſtructorum comparent. Illis tamen ſuccurram: Forte nomen accepit Νεϱωπυϱγος (Neronis turris)! Hem, quam ingenioſe! Nonne mereor coronam ciuicam? ſcilicet! Detur vero haec venia patriae amori et credulitati, vt miſcendo antiqua nouis, primordia vrbis auguſtiora faciant. Quare anilem iſtam opinionem aliasque huic ſimiles, vtcuncque animaduerſae aut exiſtimatae fuerunt, poeticis magis decoras fabellis, quam quae incorruptis rerum geſtarum monimentis tradantur, nec ſub examen vocare, nec refellere in animo eſt: quum maxime a viris cordatis hiſtoriaeque peritiſſimis a *Sagittario* in *hiſtoria antiqua liberae atque imperialis ciuitatis Norimbergae.* Altorf. 1679. pag. 12. ab *Ioan. ab Indagine* (ſub qua perſona *Falkenſteinius* latet) in *der wahren und Grundhaltenden Beſchreibung der Stadt Nürnberg.* pag. 63. pluribusque aliis vel Norimbergenſibus prudentioribus iam diu exagitatae ſint atque exſibilitatae. At enim quum nonnulli Noribergenſes ſcriptores in defendendâ vrbis ſuae antiquitate ingenio ſaepe abundarent, nemini, miror, in mentem veniſſe, primam vrbis caſtriue appellationem fuiſſe *Neu-Romberg* propter ſimilitudinem huius vrbis cum antiqua Roma. Eruditiſſimi vero nobilis ab *Ekhard* coniecturam, ſub Ptolomaei *Bremberga* intelligendam eſſe Noribergam, iocum potius puto, quam verum et probabile fuiſſe iudicium. Alii vero cenſent multaque doctrina inſtructi contendunt, a *Noricis*, qui imperantibus Henrico I. et Conrado I. in hoc iugum, hasque ſiluas receſſerint, vt a caede et perſequutionibus Hunnorum tuti eſſent et ſecuri, quibuscum poſtea paſtores ſiluae Hercyniae ſe coniunxerint, nomen monti eſſe inditum. Atque ego in vulgari hac nec adeo, vt ſuperiores fuerant, abſona ſententia diiu-

Num a Noricis nomen acceperit?

dicanda paullo diutius verſabor, vireſque experiar. Eam vero tuentur *Conradus Celtes* in deſcriptione vrbis Noribergae cap. II. *Wagenſeilius* in commentatione de ciuitate Noribergenſi. pag. 12. *Sagittarius* in laud. diſp. pag. 10. *Falkenſtein* in Analectis Nordgau. P. II. pag. 154. aliisque locis: *Ioan. ab Indagine* loc. mem. pag. 65. cum aliis, quos illi excitarunt. At enim quantam etiam probabilitatis ſpeciem haec habere videatur opinio, ea tamen non adeo valida eſt firmaque, vt nihil contra dici queat, vt potius fabellis veterum Monachorum ſit ſimillima. Nam veterum teſtimonia quum deſiderentur, Celtae auctoritas maior quidem eſt, quam Meiſterlini, impoſtoris illius famoſi, ſed non tanta, vt in eius ſententia tamquam edicto praetorio poſſit aliquis adquieſcere, aut in verba eius veluti Iouis lapidem iurare. Atqui grauiſſimos id auctores prodere addit: Quinam vero ſunt illi? Iſtane chronica Noribergenſia Mſta, quibus bonus Magiſtellus (Meiſterlin) ſe vſum eſſe adfirmat? Si res ita ſe habet, vt *Falkenſtein* de hoc ſatis docuit, ſubleſtae omnino eſt fidei et Celtes et Meiſterlinus, et hiſtoricus ſubacti iudicii ſe pia neutrius fraude illudi et decipi patietur. Quod dicit, et cum eo alii adfirmant, Noricos eo confugiſſe propter loci ſecuritatem, non plane euictum eſt nec veluti Apollinis Pythii oraculum. Iam vero a quorum incurſionibus locus erat tutus? Ab Hunnorum ſcilicet. Quod ſi Norici huc ſe contulerunt, vt ſaeuitiam, caedem iugumque Hunnorum effugerent, vel ſaeculo quinto, vel imperante Henrico Aucupe circa annum viceſimum et triceſimum ſaeculi decimi factum eſſe videtur: quo tempore crudeliſſime ſaeuierunt Hunni in finitimas pariter atque remotiſſimas regiones. Vir quidem conſummatiſſimus *Schwarzius*, ornamentum Franconiae meae, in additamentis

Quod negatur?

Digitized by Google

mentis ad *Waldstromeri* orationem de Curiis regiis Noribergae habitis pag. 109: „Postquam Hunni, inquit, gens atrox et fera, vt aliis populis ita et Noricis perquam magna intulerunt damna, Henrici Aucipis circiter temporibus quosdam ex illis ipsis Noricis vicinisque populis, coepisse de securo sibi prospicere loco, atque huc, vbi nunc Noriberga floret, confluxisse, ibidemque primum muniuisse castellum." Hactenus ille. Enimuero Hunnos saeculo quinto huc venisse, plane non constat: sed potius a Thuringiis loca, quae flumina Naab et Rednitz praeterfluunt, inhabitata esse, monimenta tradunt. Vid. virum de historia patriae optime meritum, *Io. Basil. Seidel* in *Versuch einer kurzgefaßten doch gründlichen Abhandlung von dem Burggrafthum Nürnberg etc.* Isenaci 1751. pag. 66. Saeculo autem decimo, quo Norici nomine tantum adhuc cogniti erant, iugum hoc locus illis securus esse non potuit, quoniam Hunni praedati sunt atque euerterunt Wulzburgum. vid. *Falkenstein* in antiqq. Eichstadiensibus P. II. Hoc autem coenobium non ita multum abest a castro Norico, quod quidem si eo tempore exstitisset (vid. tamen *ab Indagine* pag. 85.) Hunni praedae sanguinisque sitientes procul dubio eo etiam venissent id destructuri; saltim Norici, si castellum munire coepissent, hoste adpropinquante non fuissent tutissimi. Imperante quidem Ottone M. Hunni ab eius filio maximo natu, Ludolfo, genero Conrado, duce Lotharingiae, filiisque Arnulphi, excitati atque impulsi medio decimo seculo vires collegerunt, et Germaniam vastare tentarunt. At vix isti arma contra imperatorem ferre coeperunt, quum iam debellati, illis positis, ad potestatem redigerentur. Quare Norici non habuerunt, quod terras valde remotas peterent, vbi praesidium quoddam iuuenirent.

nirent. Regni vero Norici antiqui fines itaque describit *P. Diaconus* apud *Raderum* in Bauaria p. 3. (cuius verba refert ab Indagine. pag. 80. libr. excit.) „Noricorum siquidem prouincia, quam Baiorum populus inhabitat, habet ab Oriente Panoniam; ab Occidente Suauiam, a Meridie Italiam, ab Aquilonis vero parte Danubii fluenta.„ Ex his iam satis adparet, quam valde illi quoque errent, qui castrum Noricum in terris Noricorum fuisse arbitrentur. vid. *Falkenstein* in Analectis Nordgauiens. Part. II. pag. 149. et *Conringium* apud *Sagittarium* loc. mem. pag. 11. Denique ex quonam fonte hausit *Celtes*, Noricos ad amnis ripas, liquatorias et ferrarias elaborandi et molliendi ferri caussa officinas exstruxisse, quod mihi quidem, quum testimonia desint antiquiora, leuius videtur, quam vt aliquid conferat ad sententiam de Noricis Castelli conditoribus quam tutissime stabiliendam? Iam argumentum de officinis illis desumtum, quam ridiculum sit, ingeniose docuit cel. *Seidelius* secundus a tabulis secretis in castro Plassenburgensi. libr. dicto pag. 66. Atque etiam si quidam Norici hic praesidii aliquid quaesiuissent (coloniam deduxisse non aiunt scriptores) quid inde potest elici? Num probabile est, paucos homines dispersos et in siluis vagantes, vt tuti essent, nomen dedisse collo? Equidem exemplum, ad quod Falkenstein, ad explanandam suam coniecturam, crebro prouocat, Salisburgensium, quorum magna multitudo, patria bonisque relictis, in alienis terris praesidium et quietem quaesiuit, huc aliquid facere, non perspicio. Denique ortus Noribergensium a Noricis, qui huc confugerint, vt exstructo castro, eoque vallo murisque cincto, tuti essent, praedando autem alios vexarint et more bestiarum ferarum vitam transegerint, valde ignobilis est. Quare, in tanta con-

iectura-

iecturarum multitudine, ea illorum mihi probabilior esse videtur, qui censeant, Nariscis montis nomen magis conuenire: Hunc enim populum nostrae regioni fuisse finitimum, ex *Taciti* Germania cap. 42. patet. Ita vero ille: *Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomanni et Quadi agunt.* Atque *Conringius* apud *Sagittarium* in eius historia antiqua aliquoties laudata pag. 11. „Nisi et apud alios veteres illius aeui eadem vox occurreret, dixerim, Tacitum scripsisse Norisci. Et vero plane iisdem sedibus, qui ex eo vsque degerunt, populi dicuntur vulgo Norigoui. „ Ego autem in Tacito nihil mutandum censeo. *Conringius* eodem loco: „Ex Tacito nouimus, terras illas quondam tenuisse eos, qui Narisci adpellantur, forte fuerunt autem dicti Norisci: Ab iis arbitror conditam ibi arcem, quae a conditoribus acceperit nomen. „ Denique ille ibidem addidit: „Iam tum de Norimbergae nomine scripsi sententiam meam: montem scilicet illum, a quo vrbi est appellatio, ab antiqua Noriscorum Germaniae gente dictum. „ Cum Conringio idem statuere videtur *Spenerus*, in notitia Germaniae antiquae: Libr. V. cap. VI. p. 130. qui: „Testatur, inquit, nobilissima vrbs Nurenberg de priscis conditoribus Nariscis, qui primam fortasse ibi contra Slauorum impetum fecerant munitionem. „ Quam opinionem licet reiiceret *ab Indagine* pag. 37. postea tamen, vbi nostram coniecturam de origine cognominis montis, qui succedente tempore castro vrbique cognomen fecit, propositam muniuerimus, eam, videbimus, multam prae se ferre speciem veri saltem probabilitatis.

Alia proponitur coniectura.

Mirum vero est, a nemine, quantum equidem scio, nisi veram saltem reliquis probabiliorem huius cognominis esse inuentam et prolatam sententiam, quae tamen situ montis considerato ex

ipsa rei natura existit. Reiectis igitur aliorum etymologiis, vt meam explanem; de pago Nordgauiensi primum pauca dicenda sunt; deinde de situ iugi nostri eiusque notatione.

De pago Nordgau. Ab antiquissimis Germaniae populis terras in pagos vicosque distributas fuisse, quorum tamen nomina partim obliuione sepulta, partim non satis adhuc cognita certaque sunt, a viris doctis iam dudum ostensum est et copiose illustratum. De Caroli vero M. instituto plura scimus. Ille enim in capitulis apud *Falkenstein* antiqq. et memorab. Nord. P. II. pag. 116. (quem in notis additis conferas) *et marcam*, inquit, *nostram*, *secundum quod ordinatum et scaritum* (h. e. in partes diuisum) *habemus*, *custodiant vna cum missis nostris*. Idem vero ille *Falkenstein*, cuius diligentissimi historici testimonia in praesenti sufficiant, in anal. Nordgau. P. II. pag. 151. et *Auentinus* apud eumdem in antiqq. et mem. Nordgau. P. I. pag. 137. bene apteque obseruarunt: ducem Bauaricum Theodonem Tetrarcham, qui Ratisbonnae habitabat, ducatum suum in duo pagos et inter duo filios diuisisse, pagum illum, qui Meridiem spectasset, filioque maiori natu obtigisset, vocatum fuisse *SudGau*, illum vero, qui trans Danubium et aquilonem vergeret, *NordGau* adpellatum, et in regni diuisione alteri filio Theodebaldo cessisse. Hinc Ratisbonna Metropolis Norici ducatus vocatur ab *Ottone Frisingensi* Chronic. libr. VII. cap. 8. A plaga coeli igitur sicuti hic pagus, qui in sensu latiori Bauariam quoque septentrionalem olim comprehendebat, in strictiori autem pars maioris pagi fuit, (id quod vrbs Weissenburg in Nordgau adpellata testatur) pari quoque modo mons siue iugum ab eo habuit cognomen, quod Sueuia Bauariaque proficiscentibus, id quod statim pluribus docebo, septentriones

nes ſpectaret, quam me quidem coniecturam, ill. *Groſſio*, primum debere, gratus agnoſco et profiteor.

Mons autem noſter non procul ab eo loco, vbi Pegneſus et Regneſus amnes confluunt, in antiquitate pars fuit Hermunduriae et ſiluae Hercyniae, quae hanc regionem noſtramque Franconiam, a terris, quae hodie vocantur Bauaria et Sueuia, diuidens ad nigram vsque ſiluam ſiue Marcianam pertigit, illudque *montium iugum eſt, quod* teſte *Tacito* Germ. cap. 43. *dirimit ſcinditque Sueuiam, vltra quod plurimae gentes agunt.* Has verſus regiones mons ille, qui nunc vocatur Noricus, exiſtit, tamquam culmen lucidum, in quo caſtrum poſtea aedificatum eſt, et Sueuis Bauarisque ſiue per Hereſtallium Furthum etc. ſiue per Hereſprucum, Brembergam, Forachium, proficiſcentibus Thuringiam et Saxoniam ſeptentriones ſpectat, dieque hodierno principatum Burggrauiatus Noribergenſis in ſuperiorem atque inferiorem diuidit. Aucta vero ſobole Germanorum, atque inuadentibus Germaniam peregrinis populis quum praeſertim ſub imperatoribus Carolingicis eorumque ſucceſſoribus ſiluae denſiſſimae paullatim exſcinderentur, incolis in ſocietatem coeuntibus ſiluae quoque Hercyniae in hac parte id accidit, atque loca excelſiora ſunt turribus communita. Vti vero reliqui montes eminentiores in his terris ſuum quisque cognomen habuerunt, Frankenberg, Speckberg, Fichtelberg, ita etiam huic iugo nomen quoddam eſt inditum ab ipſo montis ſitu, non ab vrbe deſumtum. Latinis verbis in antiquioribus diplomatibus quoniam legimus caſtrum noſtrum apud Nuremberc, ex eo quoque efficitur, montem, non caſtrum, nec caſas aedesque, quae ſubinde non ita multis abhinc ſaeculis exſtructae formam oppidi acceperunt, Nurenberg eſſe adpellatum. Vrbis vero primam iniici mentionem

De ſitu montis noſtri.

A ſitu nomen accepit mons.

tionem a Ch. demum 1070. in Chronico Auguſtenſi, adfirmat *Falkenſteinius* in analectis Nordgau. P. I. conf. idem (ſiue ab Indagine) *in der wahren und grundhaltenden Beſchreibung der Stadt Nürnberg*. pag. 52; atque cl. Seidelius libr. mem. p. 86. et 90. originem primorum accolarum et conditorum vrbis ingenioſa coniectura docet. Ex his quomodo adpellatio Noriſcorum, vt Coringii ſententiam aliquantulum vindicare queamus, orta fuerit, coniectura adſequi liceat. Germani antiqui, vti etiam apud nos in vita quotidiana euenire ſolet, quum verborum contractionem valde amarent, latinum vocabulum Nordgauiſci reddiderunt Norgauiſci: ex his enati ſunt Noriſci et denique Norici. Noricos enim apud ſcriptores medii aeui etiam ſignificare populos ſeptentriones verſus habitantes, non deſunt exempla. Sic in antiquo diplomate apud *Ludewig* in reliquiis Mſtis pag. 175. (vid. Falkenſtein anal. Nordgau. P. II. pag. 157). „Eodem tempore dux Aluecus de Norwegia multas naues cepit cum aliis Noricis, et multas villas in Dania ſpoliauit et fuit Guerra inter Noricos et Lubecenſes.„ Hinc etiam factum eſt, vt Boii ſaepe audirent Norici (nubem teſtium excitauit ab Indagine pag. 77.) Nec rarum fuit, vt Norigoui dicerentur. vid. *Conring*. apud Sagittar. loc. mem. pag. 11. et *Falkenſtein* in antiqq. et mem. Nordgau. Atque idem libr. laud. Part. II. pag. 186. Norrogo et Nordgau eumdem eſſe pagum autumat. Quae quum ita ſint, facile videmus, vnde et mons et caſtrum nomen duxerit: quae ad pagum Nordgauienſem pertinuiſſe vel ex *Ottone Friſigenſi* conſtat, cuius verba ſupra dedimus, et qui Ratisbonam Metropolin huius pagi nominat. Iam vero Nordlingen in Nordgauia fuiſſe, ex diplomate Arnulphi Imperatoris A. 1418. patet. conf. *Falkenſtein* mem. Nordg.

Conringii coniectura ſub examen vocatur.

Quid Noricus etiam ſignificarit, oſtenditur.

Quomodo ſitus monti nomen mederit, inquiritur.

Nordg. P. II. pag. 155. Furthum vero primo a Noriberga lapide ſitum in diplomate Henrici II. Imperatoris A. MVII. dato ad pagum noſtrum refertur. v. *Paullinum* in comment. de pagis Germanorum pag. 155. et apud auctorem hiſtor. Norib. diplomaticae in prol. pag. 320. et apud eumdem pag. 321. in diplomate Henrici II. Anni 1062. *Furthum dictum in pago Norigoae ſitum.* vid. quoque *Falkenſtein* in cod. diplom. Nordg. ad A. 1158. etc. vbi *Heersbruk* et *Furth* loca in pago Nordgau ſita nominantur. Atqui quoniam hoc iugum verſus Bauariam partemque Sueuiae culmen efficit, quod inde iter facientibus ſeptentriones verſus ſpectet, primum adpellitatum fuiſſe videtur *Nordenberg*, ex hoc orta eſt adpellatio Norenberg, Nornberg et Norimberg, quae quidem mutatio et contractio litterarum apud nos vulgaris neminem, credo, offendet. Poſtea, quoniam huius terrae incolarum, vt aetate quoque noſtra multitudinis, ratio loquendi hiulca fuit atque aſpera: nominarunt hunc montem noricum *Nurenberg*, vti iam in diplomate Frider. II. in hiſt. diplom. Noriberg. pag. 113. et alibi: deinde *Nurnberg*, quod nomen exc. loc. pag. 112. in diplomate regis Conradi A. 1420. et frequentius occurrit. Quemadmodum enim, vt exempla demus hiulci et contracti loquendi generis, quod adhuc inter eos obtinet, qui e multis ſunt, quotidie audimus, *Sun* et *Suun* pro *Sohn; Stuck-Narr* pro *Stock-Narr;* ita etiam Norden detorſerunt in Nurden; et Nordenberg aſpere contraxerunt in Nurnberg. Mons vero vrbi et toti ciuitati nomen dedit, vt ab Indagine erudite atque abunde oſtendit. Quae quidem et loci adpellitatio et nominis origo non adeo inſolens eſt, vt hiſtoriae peritos fugiat. Atqui, vnicum vt proferam exemplum, a monte Henneberg et locus et comitatus nomen deducit.

Illam

Illam de nomine coniecturam quum litteris iam mandassem, vidi, *Paullinum* in comment. de pagis antiquae praesertim Germaniae, ab hac sententia non abesse videri: Nam *Nordgoa*, sub h. v. ait, *Nordogoue*, *Noricum*, *in quo et burgum Residentia Comitis; vnde Noricus mons*, *Noricum castrum*, *et Noriberga dicta*, *Burggrauii olim sedes*. Parem adpellationis originem habent Nordlingen, (de cuius origine et nomine vide *Falkenstein* antiqq. Nordg. P. II. pag. 443.) et Nordheim. Neque vero antiquitas castri, multo minus vrbis, quam primum fuisse gentilicium oppidum et municipium Bauaricorum et Sueuicorum ducum, *Falkenstein* pluribus locis docuit, ea est, quae ab aliquot scriptoribus Noribergensibus, praeeunte eorum patre patrato Meisterlino, putatur et acriter defenditur. Cel. vero *Seidelius* castrum eiusque ditionem fuisse a primo ortu fundum imperii, fundum fisci regii, libr. exc. pag. 79. contendit. Quidquid est, ex horum clariss. virorum argumentis prolatis videmus, Noribergam non omni tempore fuisse ciuitatem S. R. I. liberam. *Spenerus* loc. mem. arbitratur, castrum exstructum esse, vt Slauorum impetus repellerentur. Atque cum huius viri docti opinione illorum consonat sententia, qui dicant, Wendos in Nordgauia sedem figentes (quos in diplomatibus *Radanzwinidos* et *Moinwinidos* adpellatos legimus) a Francorum autem regibus deuictos in siluis habitare et delitescere, indeque, sociis adsumtis pastoribus siluae Hercyniae, terras finitimas vexare et praedari consueuisse. Quare, haec ditio quoniam veluti silua perpetua barbara olim fuit atque horrida, ad illos obseruandos eorumque rapinas inhibendas turris forsan illa 5 angulis constans, et quae Celtae rudis operae castellum esse videtur, more istius aeui primum exstructum est; dein-


De antiquitate castri et vrbis.

Origo castri.

Digitized by Google

deinde vero ſobole hominum aucta feraque gente e ſiluis vicinas prouincias infeſtante (vid. Sagittar. loc. exc. pag. 15.) caſtrum a monte adpellitatum, cuius vero ante ſaeculum vndecimum mentio nulla iniicitur, cepit initium. vid. de his docte et copioſe diſputantem cl. Seidelium libr. mem. pag. 68. ſqq. Idemque cel. *Seidelius* libr. laudato pag. 66. iam in meam dixit ſententiam: *Man thut inzwiſchen eben ſo wohl, wenn man glaubt, der Berg oder Hügel, worauf das Schloß gebauet worden, habe ſchon vor deſſen Anbau der Nürnberg geheiſſen, und daß ſowohl das Schloß, als die daran gebaute Stadt, ihren Namen davon bekommen haben* rel. Notationem tamen eius nominis incertam eſſe arbitratur.

A monte igitur, Nordenberg primum nuncupato, caſtrum et vrbem nomen accepiſſe, hanc coniecturam, quam aliorum iudicio limaeque lubenter ſubiiciam, copioſe quidem arbitror, quantum in re incerta fieri potuit, prolatam eſſe, neque tamen arroganter dictam volo. *Epilogus.*



III. QVAE-



IV.

QVAESTIO NVM IN CONDENDIS CONSERVANDISVE LITTERARVM VNIVERSITATIBVS VTILITATIS PRIVATAE QVAM MAXIME HABENDA SIT RATIO.

Vtilitatem pariter atque auctoritatem Vniuersitatum esse quam maxime insignem, quarum ope, tenebris barbariei dissipatis, lux purioris doctrinae magnam orbis partem collustrauit, atque humanitatis et litterarum amor incensus et ciuium salus mire aucta fuit, nemo adeo ferus erit atque inhumanus, qui neget. De prima autem academiarum origine earumque constitutione nihil differemus, quod argumentum praeter alios iam persequutus est Conringius *), nec de Maximiliano imperatore, qui auctor, saltem suasor fuisse dicitur Septemuiris, vt sua quisque in prouincia litterarum conderet vniuersitatem **), sed pauca disputabimus de caussis, quae principes ciuitatesue mouerent et adhuc moueant, ad fundamenta academiarum ponenda, aut eas, quae iniquitate temporis incuriaue collapsae fuerunt, restaurandas. Sunt autem, qui arbitrentur, rei domesticae potius, quam publi-

*) De Antiquit. academicis differt. III. pag. 65 seqq. ed. Heumanni.

**) Conf. Heumanni Viam ad histor. litterar. cap. IV. §. 52. not. *i*, vbi, quae hac de narratione variae variorum fuerint sententiae, presse recensentur ac diiudicantur, ac Ven. Frommanni disp. de Maximiliani I. in rem litterariam meritis §§. 10, 11, 12. in eius opusculis philolog. pag. 662.

Digitized by Google

publicae rationem esse habendam, et vt plurimum habitam: quae vero opinio tam historiae litterarum, quam dignitati principis et vtilitati publicae repugnat. Nullum sane, praecipue a renatis litteris fuit saeculum, quo non exstiterint Musagetae et liberales Musarum nutritores, qui amore litterarum ac doctrinae purioris aut aemulatione aliorum commoti sapientiae domicilia in suis terris magnis sumtibus collocarent, vt eorum opera et errores profligarentur, et in luce litterarum ciues cernerent verum. Hinc Saxoniae Elector Fridericus Sapiens, quum videret florem atque vtilitatem academiae Viennensis suis terris eamdem paraturus felicitatem, academiam Vittebergensem, 1502. condidit *). Pari ratione adductus Ioachimus Nestor, Elector Brandenburgicus, Academiam instituit Francofurti ad Viadrum **), patre Ioanne, qui ob eloquentiam Cicero Germanorum adpellabatur, de illa iam in animo cogitante. Deinceps saeculo eodem decimo sexto, quod eruditissimorum hominum et piorum doctorumque principum horumue amicorum fuerat feracissimum, doctrina sacra ab erroribus et superstitionibus opera Lutheri aliorumque purgata, plurimae litterarum Vniuersitates ad religionem vel Lutheranam vel Reformatam, coenobiis haud paucis, quae a principibus, puriori religioni addictis, in scholas prudenter mutabantur, caussas et sumtus abunde praebentibus ***), vel ad religionem Pontificiam stabiliendam sunt institutae ****). Pio illi

*) Vid. *Friderici Lucae* Europaeischen Helicon part. IV. cap. VI. pag. 564.

**) Vid. libr. mem. pag. 569. et Gundlingii Vollstaendige Historie der Gelahrheit tom. III. §. 6. pag. 3069. seqq.

***) Vid. Lucae Helicon part. IV. cap. V. pag. 344. *Palmii* Historie der deutschen Bibel-Uebersetzung D. Martini Lutheri von dem Iahr 1517. an bis 1534. cura cel. I. Melch. Goetzii Halae Magd. 1772. pag. 10. vbi recte monetur, multitudine academiarum mire adiutum fuisse doctrinae incrementum purioris.

****) Conf. Heumann. loc. mem. cap. IV. §. 54. not. *)

Digitized by Google

illi feruori debent natales ſuos academiae Marburgenſis, Regiomontana, Ienenſis aliaeque, de quibus Lucas in *Europaeiſchen Helicon*, part. III. et Gundling loco infra memorato §. 7. 8. ſeqq. egerunt. Bataui quoque proceres, vt primum iugum Hiſpaniarum ſeruile a ceruicibus deiecerant, ad hydram errorum Pontificiorum debellandam ſacraque pura ſeruanda tuendaque, inter armorum ſtrepitum, cum fame inopiaque paene colluctantes, de condendis academiis cogitarunt. De Lugdunenſi vide *Cunaei* orat. I. pag. 4. ſeqq. (a Cellario edit. Lipſiae 1735.) de Franequerana *Vriemoet* Athenas Friſiacas Leoward. 1758. p. IV. ſqq. Nulla auaritia, nulla redituum ſuorum augendorum cupido, ſed cura tantummodo puri cultus diuini et ſalus ciuium optimos impulerunt principes, vt in ſuis terris illa reipublicae litteratae et religionis fulcra, illos barbariei ac ſuperſtitionis hoſtes et debellatores eſſe iuberent, nec vllis parcerent ſumtibus. Alii deinceps principes, qui vel ipſi litteras aeſtimare potuerunt, vel conſiliis prudentum et eruditorum hominum vſi ſunt, et ciuitatum praeſules arſerunt cupiditate incredibili, nomen vt ſuum ſcriptis illuſtraretur et celebraretur clariſſimorum virorum. Atque laudabili hac ambitione incenſi academias vel inſtituerunt nouas, vel diu florentes amplius ornarunt, vel collapſis priſtinum maiusue robur atque auctoritatem reſtituerunt *). Praeclaros hinc vndique homines immani interdum ſumtu conuocarunt, vt cum horum laude fama gloriaque ſuum nomen traderetur immortalitati. Nec arbitror, quemquam fore, qui horum culpet conſilium, ac prouida dei cura illorum laudis ſtudio ad ornamentum litterarum tam diuinarum quam humanarum et ad infinitorum hominum ſalutem ſapienter vſa

*) De *Auguſti* Saxoniae ducis, S. R. I. ſingulari in litterarum et artium ſtudia amore; et de *Mauricii*, Ducis Electoris Saxoniae in Academiam Lipſicam inſigni fauore, elegantes conſcripſit et foras dedit orationes cel. *Io. Gottl. Boehmius*, acad. Lipſ. P. P. O.

vſa eſt. Laetiſſima inde enata eſt ſeges, quae cito effloruit ac maturuit poſteritati vtiliſſima. Vbertas ſubinde facta eſt ingeniorum, quae vniuerſae ciuitati mirificum adtulerunt commodum et praeſidium. Vbi enim litterae ſordeſcunt, ibi videmus barbariem quamdam, matrem multorum malorum, litium atrociſſimarum, morum maxime rudium, omniumque vitiorum ac ſcelerum, quaſi triumphantem. Roſtra ſacra profanantur clamore hominum imperitiſſimorum, qui nec docendo nec perſuadendo apti, muniunt viam ad aeternum interitum. Tribunalia, iudicibus impiis inſciisque cognoſcentibus et de iure reſpondentibus, voce reſonant rauca cauſſidicorum et rabularum, iuſti aequique oſorum. Vita huiusque conſeruatio, quae tamen ſumma principis cura ſit neceſſe eſt, ponitur in poteſtate hominum, qui vita hominis tamquam talis ludunt, et, vt Mureto *) in itinere quodam eueniſſe dicitur, cum hominibus facere ſolent experimentum. Innumera vis hominum Boeotica illorum ſtultitia et Punica fide praeda fit orci rapacis praematura. Quare princeps, munifica illa ambitione et praeclariſſimo immortalitatis ardore licet inflammatus, ſi academiam in ſuis terris inſtituit aut alit, huiusque beneficio deteſtabilia illa humani generis monſtra delet peſtesque abigit, ciuibus ſuis et aliis maius adfert emolumentum, quam ſi redituum ſuorum augmentum ſolummodo curaturus vidiſſet, num ratio conſtaret. Omnino quidem cauendum eſt, ne impenſae nimis ſuperent reditus, ideoque, vt alias praetermittam rationes, ab aliis iam expenſas **), dubito an ſua-

*) v. Anecdoten zur Lebensgeſchichte berühmter Gelehrten part. I Lipſ. 1762. pag. 29.

**) In aliquot proluſionibus (Coburgi 1766 ſcriptis: *Prüfung der Gedanken, ob es vortheilhaft ſey, mehrere Vniuerſitaeten zu errichten*, oſtendere tentaui, plures in Germania nunc condere Vniuerſitates, et litteris et ciuitatis reditibus eſſe haud vtile, multo minus eam opportunitatem atque vtilitatem, quam nonnulli opinionis errore ſibi finxerunt, eſſe ſperandam.

Digitized by Google

suadendum sit, vt in omnibus ciuitatibus haud amplis condantur academiae, et harum numerus, Germania illis iam abundante, adhuc augeatur. Quaedam Vniuersitates e Gymnasiis, confluxu iuuenum celebratis, vt Iulia Helmstadiensis, Altorfina *) Ienensis **), aliaeque, aut quando tempestate aliqua insignis eruditione quidam doctor magnusue ciuium academicorum numerus locum quemdam quaererent tutiorem, vt Lipsiensis atque Halensis, ortae sunt, quarum tamen initio litterarum amor multum adtulit praesidii. Neque vero in animo est, omnium Vniuersitatum originem inuestigare, quamuis haud difficulter possim omnem suspicionem sordidae auaritiae et lucri libidinis a conditoribus aut restauratoribus academiarum sapientibus amoliri.

Iam principum gloriae atque nomini magnam inureret maculam vnica ista priuatae vtilitatis cura. Nulla enim re, quam beneficiis et prudenti munificentia ad diuinitatem famaeque aeternae spem propius adcedunt vt omnes homines, ita in primis principes, quorum splendor et locus excelsus, in quo prouida dei cura et natalibus collocati sunt, omnium oculos, et, si Musas patrocinio suo amplectuntur, omnium, quin extremae posteritatis admirationem in ipsos conuertit. Tum publica ciuium salus non minus, quam litterarum honor magnam faceret iacturam, si nihil praeter vtilitatem priuatam et oeconomicas, quas dicunt, rationes commoueret principes ad domicilia litterarum vel collocanda vel ornanda atque amplificanda. Tot enim forte constituerentur doctores, quot vel consuetudo quaedam vel opiniuncula lucri cupiditate decepta atque praeoccupata flagitaret: nec vero,

*) v. Gundling loc. mem. §. 11. 12. pag. 3098. seqq. Lucae Europaeischen Helicon pag. 439. de Altorfina cel. Willii Nürnbergische Münzbelustigungen P. II. plag. 21. et 52.

**) Conf. cl. *Ludou. Guill. Ballbornii* orat. de Iena litterarum sede, ante conditam ibi academiam. Ienae cIↃIↃCCLIII.

ro, num fama nominis floreant illi, et reliquos ingenio ac doctrina praeſtent, ſed an exigua ſalarii annui parte ſint contenti, curabit iſte intempeſtiue parcus. Enimuero hac ratione rara erit iuuentus praecipue peregrinorum; rara erit nobilis aemulatio eorum, qui et docent et diſcunt, haud amplis ingenio et ſingulari eruditioni praemiis propoſitis; rara doctrina. Omnis humanitatis flos peribit, et plerique panis lucrandi cauſſa horulas quasdam litteris conſecraturi et Muſis litaturi, Stupori, Arrogantiae, Superbiaeque, coniunctiſſimis ignorantiae comitibus, et atrociſſimis verecundiae, quae viros doctos inprimis ornat et commendat, hoſtibus offerent ſacrificia. Cum Muſis fugient Gratiae, amabiliſſimae litterarum elegantiorum deae, ſuis aris a barbarie occupatis et deſtructis. Deinde pauperes atque egeni, quos, ab ingenii et doctrinarum praeſidiis inſtructos, a litterarum commercio arcere inhumanum eſt ac barbarum, reique publicae quam maxime perniciosum, nec publice ſuſtentabuntur, nec aliis commodis ad vitam victumque neceſſariis facile fruentur. Si opulenti tantum homines et magnorum hominum filii (heroum tamen filios ſaepe eſſe noxas in prouerbio eſt), ſe litteris vel potius deſidiae et luxuriei dicarent, omnino periculum eſt, ne nulla ſpe pauperioribus facta, grauiſſima in re publica munera, et ſalus ciuium in manibus ſint imperitorum, qui turbas excitent. Certa enim in paucitate eruditorum et diligentiorum ipſis munerum publicorum ſpes foret: nec verum eſt, in academiis ab inopibus tragoedias et tumultus ſemper excitatos fuiſſe. Optima denique inſtituta, quae ſi ſpei atque exſpectationi ex aſſe non reſpondiſſe videntur, cum ignominia quadam deſerentur, atque proſtrata dirutaque iacebunt.

Hae ſunt cauſſae, quae nos adducunt, vt credamus, rationes oeconomicas, litterarum amore curaque ciuium nobili munificaque non ſuffultas, in condenda conſeruandaue litterarum ſede leuiſſimas eſſe, atque, ſi dice-

re fas eſt, inhoneſtas, et menti ac maieſtati principum hiſtoriaeque litterarum plane repugnare. Noſtra vero Friderico Alexandrina de ortu ſplendido *) et eximia Nutritorum ſuorum liberalitate, quae nulla lucri priuati et principibus indecori labe commaculabatur, poteſt gloriari. A munifico et liberaliſſimo principe, cuius animum excelſum et praeclaras virtutes ſordida lucri cupido turpiter infeſtare non potuit, magno ſumtu et ſplendore fuit condita et liberaliter ſuſtentata. Atque domui Auguſtae Brandenburgicae innatus eſſe videtur praecipuus litterarum amor et tutela. Quatuor enim florent vniuerſitates in terris, quae imperio potentiſſimi Regis Boruſſiae ſunt ſubiectae, et noſtri Muſarum ſacrarii auctor fuit Princeps Brandenburgicus. Noſtis, ſaltim audiuiſtis, Optimi Ciues! diuum *Fridericum* litteras hisque amicos tutela ſua excepiſſe, magnaque fide et honore aluiſſe, fouiſſe, ornaſſe. Haec animi nobilitas et Muſarum amor compulerunt eum ad facinus illud egregium et nominis immortalitatem. Quam liberalis et munificus ſucceſſor eius, diuus *Chriſtianus Fridericus*, erga noſtram fuerit Fridericianam, qui ſuam bibliothecam Vniuerſitati viuus donauit, in recentiori eſt memoria, quam vt pluribus perſequamur. Horum vero clementiam longe ſuperat noſtri ALEXANDRI, Palladii nobis a deo dati, munificentia, qui optimus Princeps tanto amore noſtrae Muſarum ſedis flagrat, quanto vix vllum principem in condendo quodam litterarum ſacrario flagraſſe, publica narrant monimenta. Scitis, Ciues ſuauiſſimi, et nobiscum Clementiſſimo Patri patriae gratias agitis deuotiſſimas, noſtrum ALEXANDRVM *Benignum*, huic litterarum Vniuerſitati omnia, quae ad gloriam famamque doctrinarum, ad vtilitatem communem, ad tranquillitatem ac ſecuritatem conducant, nullis parcentem ſumtibus, conferre munificentiſſime. Augentur liberaliſſime reditus academiae, et doctoribus

larga

*) vide Hiſtoriam academiae Fridericianae Erlangenſis a cIↄIↄCCXXXXIV.

larga decernantur ſtipendia, vt ſemper honor decusque conſtent, nec tempeſtas quaedam, quam perpetuo ab vrbe atque Vniuerſitate noſtra abeſſe, optimus quisque optabit, calamitatem et iniuriam inferat. Plures doctores vocantur huc et ornantur, quo veſtrae ſaluti litterarumque ſplendori melius conſulatur. Reliqua pars bibliothecae Heilbronnenſis, multis MSS. et rarioribus libris referta, donatur, vt ex antiquis non minus, quam recentioribus libris more apium ſedularum eruditionem ac ſapientiam colligatis. Iuſtiſſimae ſanciuntur leges, vincula ſocietatis humanae, vt vitam ſecuram et tranquillam Muſis in primis neceſſariam ac ſalutarem, degere, et Vos veſtrae patriae ciues verecundos ac modeſtos non magis quam doctos formare poſſitis, vt alia inſtituta cum patriae tum in primis Vniuerſitati quam maxime ſalutaria, quae ſpem atque opinionem vincent, nunc omittamus *). Sidus benignum Franconiae litteratae hoc anno, hac ipſa ſollemnitate exoritur.

Magnus ab integro ſaeclorum naſcitur ordo
Iam redit et virgo et redeunt Saturnia regna.
- - - *Toto ſurget gens aurea mundo*
- - - - *Iam regnat Apollo.*

Veneramini igitur nobiscum numen noſtrum tutelare, Sereniſſimum ALEXANDRVM. Colite etiam Viros ſummos, natalibus, ingenio atque eruditione florentiſſimos, quorum fidei Sapientiſſimus noſter Princeps curam Friderico Alexandrinae demandauerat, quorumque nomina ob inſignia erga Muſas noſtras merita digna ſunt, quae aureis litteris in faſtis litterariis ſcribantur. Hoc autem ſplendidum collegium moderatur Vir perilluſtris *Fridericus Carolus* L. B. *de Seckendorf*, Sereniſſimo Principi a conſiliis intimis, familiae ſuae illuſtriſſimae decus ſingulare atque


H 3 orna-

*) Plura academiae noſtrae commoda pulcre recenſet auctor elegantiſſimus: Schreiben an einen Freund von dem gegenwärtigen Zuſtand der Hochfürſtl. Friedrichs-Alexanders Vniuerſität zu Erlangen Anſpach 1770.

ornamentum, verus Franconiae litteratae Maecenas. Tres additi ſunt viri eruditionis, ingenii, atque humanitatis fama celeberrimi, qui Maecenatis noſtri curam onusque ſubleuarent. Atque praeſtantiſſimum hoc collegium ſua prudentia, ſua auctoritate, ſuo litterarum amore, ſua ſedulitate effecit, vt optima inſtituta Principi munifico commendata ſuſciperentur, nec conditio vmquam metueretur deterior.

Veſter autem, Optimi Ciues! litterarum amor, veſtrum verecundiae et pudoris ſtudium, veſtra legum reuerentia, quas virtutes non ſine inſigni veſtra laude optimo cuique adhuc probaſtis, ſpem nobis faciunt gratiſſimam, fore vt nouo veſtro magiſtratui, cui craſtina luce ſceptra tradentur academica, eamdem praeſtetis fidem atque obſeruantiam, nec vlla legum violentia moleſtiam quamdam taediumque adferatis. Illa veſtra morum vrbanitate, illo litterarum ardore tantam Vobis parabitis vtilitatem ac voluptatem, quanta Academiae, vnicae Principis noſtri indulgentiſſimi curae, enaſcetur inde gloria et honor et augmentum. Suffragiis autem Senatus academici et auctoritate Principis noſtri Sereniſſimi, Illuſtris atque Experientiſſimus, *Iacobus Fridericus Iſenflamm* Medicinae Doctor et Profeſſor P. O. longe celeberrimus, ac Sereniſſimo noſtro Principi a conſiliis aulicis, Collega nobis coniunctiſſimus, delectus Prorectoris prouinciam per hoc ſemeſtre adminiſtrabit; et hanc ſollemni conſuetoque modo cras auſpicabitur, oratione poſt horam X. antemeridianam in aedibus academicis habita, ad quam audiendam Comitem S. R. I. Illuſtriſſimum, et reliquos ciues Generoſiſſimos ac Nobiliſſimos inuitamus humaniſſime.

P. P. ſub ſigillo academico die III. menſis Maii
A. cIↃIↃCCLXX.



V. ME-

Digitized by Google



V.

MEMORIA IOANNIS GEORGII KRAFFTII S. S. THEOLOGIAE D. ET P. P. O. ANTISTITIS TEMPLI ACADEMICI ET COLLEGAE HONORARII SOCIETATIS LATINAE CARLSRVHENSIS ETC. NOMINE VNIVERSITATIS ERLANGENSIS SCRIPTA.

Heu triſtiſſimum officium! heu lacrumabilis pietas, qua memoriam KRAFFTII noſtri cum iis, qui poſt nos erunt, tum in primis *Vobis*, *Ciues cariſſimi*, non commendare, (virtus enim et eruditio commendatione non egent) ſed conſeruare debemus. Ingentem iacturam fecit noſtra litterarum vniuerſitas in anima viri munere atque ingenio conſpicui non minus, quam comitate, humanitate, atque vrbanitate maxime amabilis, IOANNIS GEORGII KRAFFTII. Fuit! heu, fuit KRAFFTIVS! Is deceſſit florente aetate, qui optimam ſui ſpem fecerat, et a quo litterae multum decoris atque incrementi iure exſpectare poterant; quippe in eo omnia erant coniuncta, quae magnum et, cuius rei inſignis hodie eſt raritas, perfectum Theologum effingerent, ſplendidum, docile et ad optimas artes aptum ingenium, acre iudicium vſu philoſophiae probe ſubactum, omnia animi et corporis praeſidia ad bene eleganterque dicendum, litterarum, quae ab humanitate nomen habent, copia, amor veri et doctrinae chriſtianae, non illius a vitiis argutiisque recentiorum quorumdam noua parturientium commaculatae et deprauatae, ſed purae ac genuinae, ingens ſtudium hiſtoriae eccleſiaſticae, pietas denique aduerſus Deum haud fucata.

Has igitur praeclaras animi virtutes ipsi, *Ciues*, mente comprehendite, et cogitate, qualem virum academia nostra amiserit, quem lugeatis! Amisistis fidum doctorem, indefessum magistrum, in scholis facilem, expeditum atque subtilem; vestrum Oratorem, vestrum verbi diuini praeconem, vestrum amicum. O quanta, quanta est iactura in tanta hominum eruditorum non minus, quam bonorum et iucundorum penuria! Trepidante igitur manu, lacrumis manantibus vltimum KRAFFTIO nostro praestamus officium, atque vt habeatis exemplum, quod in vita et litterarum studiis imitemini, atque intelligatis, qua via ad honorem Theologi periti et laudem fidi verbi diuini praeconis consequendam Vobis eundum sit, et quam ipse beate defunctus in theologia pastorali diui Pauli Apostoli primis lineis designata et docuit Vos, et ipse ingressus est, summas modo vitae et consuetudinis ipsius rationes hic cognoscite!

Natus est vir, dum viueret, optimus Baiersdorffii, quod oppidulum haud procul Erlanga distat, die VIII. Iunii anno huius saeculi XXXX, parentibus nunc inter coelites triumphantibus, CONRADO ADAMO KRAFFTIO Serenissimi Marggrauii Brandenburgo Culmbacensis redituum prouincialium vltra sex lustra Quaestore et praefecturae maioris Baiersdorffensis Actuario, qui exeunte anno cIↃIↃCCLXIX in amplexibus et inter preces filii sui IOANNIS GEORGII animam efflauit, atque AGNETE CATHARINA ab Azbergerorum stirpe oriunda. Hanc piam matrem puerulus quadriennis morte praematura iam amisit; sed nouercam, quam vero non talem, quales plurimae esse solent, sed vere matrem, priuignos tamquam suos curantem atque amantem expertus semper laudauit, ex Barthiorum genere natam, cuius amorem comitate et obsequio sibi quam maxime conciliauit triennio post nactus est. Domesticorum praeceptorum disciplinae mature traditus fuit, sed vel propter nimiam animi alacritatem, indeque ortam leuitatem, vel propter magistrorum insci-

inſcitiam, animique puerilis viuidi formandi imperitiam ab litterarum ſtudio ita abhorruit, vt illis diſcendis ineptus videretur. At mox igniculi ingenii excellentis in eo ab natura poſiti exarſerunt, quum maxime dexteritas ac prudentia admodum Reuerendi et cl. IO. IAC. SARTORII ad praeſens Diaconi ad aedem palaeopolitanam et ill. Gymnaſii Erlangenſis Conrectoris optime meriti, priuata pueri cura ſuſcepta illos igniculos excitare atque inflammare ſcite ſtuduiſſet. Atque hanc Sartorii ſui diligentiam numquam non praedicauit, gratamque huius beneficii ac felicitatis (dextros enim ac prudentes in prima aetate habere magiſtros, optimo iure in ſumma ponitur humana felicitate) ſemper ſeruauit memoriam. Ab eo autem tempore animum litteris adcommodauit, earum ſuauitate adeo captus, vt iam non calcaribus, ſed frenis opus eſſet. Tantum igitur intereſt, ad fingendum liberorum ingenium ab ineunte aetate ſagaces peritosque deligere magiſtros. Anno aetatis ſuae XII. vna cum fratre dulciſſimo SEBASTIANO ADAMO KRAFFTIO, nunc Sereniſſimo Principi noſtro a Conſiliis iuſtitiae et Vniuerſitatis noſtrae Syndico digniſſimo, homine antiquae fidei, et cuius candorem, adſiduitatem, fidem ac diligentiam nemo non laudabit, Gymnaſii Erlangenſis ciuibus adſcriptus eſt Rectore b. Deubnero, qui quidem homo probus honeſtusque fuit, ſed fingendis puerorum ingeniis munerique ſcholaſtico minus aptus. Quare adplicauit ſe in primis ad diſciplinam doctiſſimorum virorum, qui tunc in ludo illo litterario cum laude fructuque docuerunt, Ampliſſimi *Wieſneri* tum Conrectoris, nunc Collegae nobis coniunctiſſimi, et *Beſenbeccii* tunc Collaboratoris, quorum poſterior, ipſe graece doctus, KRAFFTIO noſtro cum graecas litteras perite tradidit, tum princeps exſtitit ad amandas illas et ita colendas, vt, dulcedine graecarum venerum percepta, illis numquam ſatiari poſſet. Atque quam neceſſaria ſit futuro Theologo adcurata litterarum graecarum peritia, poſtea in interpretando codice ſacro N. T.

Digitized by Google

tum ipſe intellexit, tum docendo ſcribendoque ſatis teſtatus eſt. Quamdiu ſubſellia preſſerat ſcholaſtica, ingenio, diligentia et reliquis virtutibus omnes ſuperauit commilitones, et vt luna inter minores ſtellas nituit. Iam tum eloquentiae ac poëſeos teutonicae mirum cepit amorem. Scholaſticis enim laboribus perſunctus reliquas bonas horas non otio rebusque ludicris perdidit, ſed praeter auctores, quos vocamus claſſicos, optimos, qui inter Germanos famam nomenque obtinuerunt, poëtas et libellos menſtruos, qui tunc temporis e prelo exierunt, adſidue verſauit.

Hunc amorem excitauit magis atque incendit cognata quaedam, in cuius aedibus habitabat, quae et ipſa amauit libros haud publici ſaporis, et eum praelegentem libenter audiuit. Quod quidem ſtudium ei poſtea valde vtile fuit: Illarum enim litterarum amorem atque vſum quum in noſtram adtuliſſet vniuerſitatem, quod Prorectore b. *Chladenio* factum eſt die XII. Maii anno cIↄIↄ CC LVI. vbi annum decimum ſextum nondum ingreſſus erat, tanto feliciorem et faciliorem ſeueriorum doctrinarum habuit curſum. Nec KRAFFTIVS ea laude ad populum bene promteque dicendi deinde floruiſſet, nec tantam ſibi paraſſet orationis copiam, niſi a lectione veterum auctorum et praeſtantiſſimorum librorum germanice conſcriptorum, in primis a poëtica exercitatione, quae ipſi haud raro mire fructuoſa fuit, et copiam inſignem retuliſſet verborum, et orationem figurare, ſenſum pulcri acuere, animi motus excitare, mores obſeruare, quid ſublime ſit et iuſto loco dicendum ſtatim videre, animosque auditorum flectere, ac quocumque voluerit, ſecum rapere, viuidas concipere imagines et picturas rerum viuas lucidasque deſcriptiones formare conſueuiſſet. Haec enim vis eſt poëſeos, hoc efficit ſtudium artis oratoriae maturum, ſi docilitas ingeniique bonitas adceſſerint. Praeterea lectio poëtarum ſtudiumque poëſeos interpretem pandectarum ſacrarum mirifice iuuat, eumque a grege vulgarium exegeta-

getarum valde eximit. Namque imagines, ſimilitudines, comparationes troposque, qui in S. S. frequentes ſunt, facile perſpiciet is, verumque et menti ſcriptoris ſacri, ingenio linguae locique aptum eruet ſenſum, quum alius, ab artiori cum Muſis commercio alienus, nec vim poëticam vmquam ſentiens, neſcio quid horride docti ope compendioli ſui aut antiquitatis male intellectae fronte corrugata enixus fuerit. Hunc vero linguae germanicae et poëſeos amorem in KRAFFTIO mirifice confirmauit aluitque ordinis noſtri Theologici quondam decus b. *Huthius*, qui noſtrum impenſe amauit, et non ſolum ipſe probabilis Orator atque Poëta fuit, ſed in explicando quoque codice ſacro praeſtantiam atque vtilitatem artis poëticae vſu probe cognouerat, ſuisque auditoribus vehementer commendauerat. Neque vero KRAFFTIVS noſter eum, quem pro dolor! iuuenes noſtri interdum ſectari ſolent, morem ſeruauit, vt, neglectis diſciplinis ſeuerioribus, omne tempus in legendis libellis ingenioſis male conſumeret; ſed hos tantum verſarat ad ingenium poliendum, ad orationis vbertatem et ad animi recreationem, quando horis diurnis, ſcholis doctorum audiendis, quas non, vt deſidioſi ventrique et otio dediti facere ſolent, negligenter, ſed continuo ac diligenter adire ſolebat, aut quando repetendis, quae audiuerat, aut legendis libris ſubtilioribus animum laſſum ac fatigatum, tempore praeſertim veſpertino reficere ſtuduit. Ita ſapienter temperauit ſtudium; ita prudenter diſtribuit tempus irreparabile, nec rebus ludicris aut flagitiis aut aliis ineptiis perire paſſus eſt. Seria honeſtis miſcens iocis ſibi et litteris vixit. Illuſtris quidem *Reinhardus* habuit eum ſedulum atque adſiduum auditorem, quum ſcholis eius intereſſet hiſtoricis. Illuſtrem *Succouium* in diſciplinis philoſophicis diligenter ſectatus eſt. In perdiſcendis litteris, quae ab Oriente nomen habent, vſus eſt praeceptore Ampliſſimo *Wieſnero*, tunc temporis Ordini philoſophorum adiuncto. Sanctiorum autem diſciplinarum quidquid in ipſo fuit ſcientiae,

gratiſſi-

gratissima mente acceptum tulit Venerandorum *Pfeifferi* atque *Huthii* scholis, quorum praeceptis salubribus conformata est eius sacrarum litterarum cognitio, ab omni superstitione pariter atque falsis recentiorum quorumdam opiniunculis et corruptelis longe remota. *Huthium* quoque non tantum in dicendo, quem imitaretur, sibi proposuit, verum etiam eius exercitiis catecheticis diligenter interfuit; ipseque aliquamdiu in numero eorum fuit, qui moderante *Huthio* catechumenos praepararent, atque doctrina christiana instituerent. Propter humanitatem atque modestiam omnibus commilitonibus fuit iucundus et apud omnes exsistimatione quadam. Virtus enim vt est vnica nobilitas, ita et vnice commendat, amoremque hominum constantem parat. Animum quidem quamquam semper intenderat in munus sacrum capessendum; tamen dolo malo, aut, vt tunc moris fuit, pecunia danda, in vllam sacram prouinciam irrumpere noluit, immo vero iuuentus pudorque ab accipiendis, quae bis oblata fuerunt, muneribus eum retinuerunt. Integrum enim quadriennium vitae academicae se consecrare, ac dein, donec honesto legitimoque modo munus sacrum adipisceretur, locum vbi paedagogi priuati munere fungatur, ad vitam sustentandam, quaerere in animo fuit. Secus vero visum est supremo Numini, rerum humanarum arbitro. Quamquam enim animus eius a scholastici doctoris conditione semper abhorruerat, adcidit tamen, vt, mortuo Deubnero, prouinciam Collaboratoris II. in Gymnasio nostro illustri postridie Calend. Ian. a. cIↃ IↃ CCLIX, commendante inprimis ven. *Pfeiffero* nostro, susciperet; eoque minus renuit, quod et constitutio scholae ipsi cognita fuit, et amor litterarum elegantiorum pristinus reuocatus habuit, quo aleretur. Adde, quod socios laboris et collegas nactus est, quos partim olim praeceptores, partim vinculo necessitudinis secum coniunctos habuerat. Acroasibus quidem academicis adhuc interesse constituerat secum, sed hac spe et opinione se statim deiectum viderat,

rat, quod et nouus Conrector *Besenbeccius*, idemque Diaconus coetus sacri palaeopolitani fuit, (vtrumque enim officium apud nos coniunctum est) orationibus sacris saepius habendis a muniis scholasticis crebro detinebatur; et I. designatus Collaborator cl. Sartorius, quod absens fuit, nouum munus iusto tempore inire non poterat. Vtriusque igitur vices etiam subire, et, missis scholis academicis, plurimum temporis laboribus scholasticis impendere coactus est. *Huthio* mox defuncto, et frequentibus orationibus sacris et nouis scholasticis laboribus valde occupatus fuit. Non ita multo post Besenbeccius e vita decessit, cui cum cl. Sartorius succederet, I. Collaborator euasit. Atque vltra fere sexennium quam iucunde vixisset in hac statione, et ad ornamentum ingenii, ad meliorem veterum auctorum non minus quam sacrae scripturae intelligentiam, ad acuendum iudicium quam vtilis sibi fuisset haec prouincia, saepius postea commemorauit. Docendo enim didicit, et logicam, poësin, oratoriam, et vtramque linguam disciplinae suae alumnis, qui eum valde amarunt et honorarunt, sedulo tradidit. Interpretando veteres auctores veram rationem codicis sacri ope grammatices intelligenter explicandi percepit. Is enim demum bonus interpres librorum sacrorum exsistet, id quod etiam historia litterarum confirmat, qui diu versatus in legendis atque explicandis auctoribus classicis vim et potestatem verborum indagare, opera critices verum a falso discernere, de veritate rei subtiliter iudicare, ritus veterum cognitos sibi reddere sensaque animi bene apteque exprimere didicit. Qui enim sine vlla artis poëticae, critices et grammatices peritia ad interpretationem litterarum sacrarum adcesserit, et beneficio tantummodo compendioli sui dogmatici, et regularum quarumdam philosophicarum sensum scriptorum sanctorum reperire studuerit, is vel coecutiens aliorum tantum mente oculisque vti poterit, vel, si sibi sapere velit, ad deuia et anfractus facile delabetur, et nescimus quid portenti monstrique effinget, vt alia vitia reticeamus.

Di-

Digitized by Google

Diſcite etiam exemplo KRAFFTII Veſtri, *Ciues cariſſimi*, qui Theologi futuri eſtis, vtilitatem vſumque philologiae antiquae profanae, eiusque imitamini exemplum! Diſcite graeca et latina, et praecepta bene cogitandi pulcreque ſcribendi!

Inter ea, vt ſacro Senatui Baruthino innoteſceret, publico Candidatorum examini menſe Auguſto cIɔIɔccLXII. inſtituto ſe ſubiecit, in eoque adeo bene ſtetit, vt omne ferret punctum, et inter IX. Candidatos primum obtineret locum. Omnibus iucundus laudibusque ornatus Erlangam rediit; quo facto, anno ſequenti die III. Febr. Vicarius Reuerendi Miniſterii Eccleſiaſtici Erlangenſis vocatus, Baruthique ſacro Ordini adſcriptus eſt. Non ita multo poſt nouum campum, vbi eruditionis ingeniique diuitias luculentius oſtenderet, et ſortem obtineret meliorem, prouida Dei cura aperuit illi. Honores enim Magiſtri, Decano Ordinis philoſophici *Succouio*, Viro illuſtri, die V. Nov. anno cIɔIɔccLXIV. adeptus, impetrata etiam docendi facultate, ciuibus academicis ſui copiam fecit, et praelectiones academicas ſemeſtri aeſtiuo a. cIɔIɔccLXV. auſpicatus eſt. Ex vmbra in lucem eductus academiam quaſi theatrum ſui ingenii atque eruditionis inuenit. Quum vtiles eſſent et frequentes eius ſcholae, ampliora mox conſequutus eſt praemia diligentiae atque doctrinae. Eodem enim anno ordini philoſophico adſcriptus, et menſe Ian. anni ſequentis Profeſſor philoſophiae extra ordinem dictus eſt. Inſtituit autem praelectiones in N. T., docuit dicendi ad populum artem, qua ipſe inclaruit, et, permittente ordine theologico, qui eum et cupiditate ſacrarum diſciplinarum docendarum flagrantem viderat et laudarat, theologiam dogmaticam, moralem et antideiſticam aliquoties tradidit. Ter autem paene factum fuiſſet, vt ſedi muſarum noſtrarum eriperetur. Primum ſub finem a. LXVI. Senatus eccleſiaſticus Baruthinus eum Principi ad obeundam Theologiae et hiſtoriarum in Collegio Chriſtian-Erneſtino docendarum ſpartam commendauit, noſterque bis coram Principe verba

ba fecit; at quum Senatus academicus inter candidatos ad occupandum b. Windhemii locum commendandos laudasſet eum, animo clementiſſimis promiſſis confirmato, ad labores Erlangenſes redire iuſſus eſt. Anno autem ineunte cIↄ Iↄ cc LXVIII. eodem paene tempore Coburgum vocatus eſt, vt cel. *Federo* Goettingam euocato, ſuccederet, et Rintelium, vt in locum, cel. *Chryſandri* Kilonium abeuntis, in ordine Theologorum cooptaretur: bis vero, quam ſupplicibus litteris et coram petierat, dimiſſionem denegauit Princeps, qui hunc virum ingenio litterisque conſpicuum ſuae academiae et patriae ſeruare voluit. Quare in eum menſe April. eiusdem anni munere theologiae ordinarii et Paſtoris academici collato artiori vinculo ſuae litterarum ſedi deuinxit KRAFFTIVM. More autem laudabili academico, eodem anno honores in Theologia ſupremos, diſputatione comite Ven. *Kieslingio* habita, impetrauit. Ita feliciter rem gesserat votique compos erat factus. Maior tamen adceſſio fiebat, quum Princeps noſter Sereniſſimus ALEXANDER, Muſarum noſtrarum Palladium, regimine vtriusque Principatus ſuſcepto, noſtrae Academiae paene collapſae nouam daret formam, et priſtinum ſplendorem non modo reſtitueret, ſed etiam maiorem adferret, et res academicas amplificaret munificentiſſime. Per hanc enim occaſionem ſalarium KRAFFTII annuum egregie auctum eſt. Ita vniuerſitati noſtrae perpetuo addictus videbatur, praeſertim quum magnus huius vrbis et patriae in eo eſſet amor: Ita feliciter iucundeque vixit. Atque eius felicitatis magnus cumulus fuit in matrimonio, quod d. XXVI. Sept. cIↄIↄccLXX. inierat cum KVNIGVNDA ELEONORA lectiſſima atque vnica filia Praenobiliſſimi *Ruprechti Welſii*, curſui publico praefecti, viri et annis et praeclaris animi virtutibus grauiſſimi. Cum ea, quam ſola animi et virtutis praeſtantia incenſus duxerat, vitam egit ſuauiſſimam, ſuaque *Eleonora* nihil ipſi dulcius, nihil amabilius fuit: cui vnicum amoris pignus viuum, *Carolum Auguſtum Henricum*

Digitized by Google

ricum d. V. Aug. cIↄ Iↄ CCLXXI. natum reliquit, alterum post patris funus lucem adſpiciet. At quam cito a fatis triſtibus intercepta ſunt haec gaudia, quum praeter omnium bonorum opinionem optimae coniugi nunc moeſtiſſimae, nobis, noſtro Muſarum domicilio, litterisque beata morte eriperetur noſter KRAFFTIVS! valuit quidem alioqui corpore, nec vmquam periculoſe aegrotauit. Firmiſſima tamen et numquam plane concuſſa non vſus eſt valetudine. Adoleſcens enim aliquoties a mente et a ſemet ipſo diſceſſit, et eo maxime tempore adcidiſſe in commentariis de vita ſua ab ipſo ſcriptis relatum legimus, quum fratrem aliquando inter legendas Hollbergii vitas parallelas in vita Caeſaris vltima Caeſaris fata Brutique crudelitatem recitantem intente audiens ſubiecisset verba, *καὶ σὺ τέκνον, καὶ σὺ ἐκείνων*, vt animo linqueretur, ſed ſemper mox ad ſe rediit. Febri, in quam admodum adoleſcentulus inciderat, a. cIↄ Iↄ CCLXI. iterum correptus eſt: at die decimo iam conualuit, atque cauſſa profligati hoſtis omnino memoratu digna videtur. Quum Baiersdorfii lecto adfixus cum morbo aduentante conflictaretur, *Poezingerus*, qui coetui ſacro Baiersdorfenſi praefuit, morti vicinus noſtrum arceſſi iubet, qui ſibi moribundo adſit. KRAFFTIVS, licet ipſe valde infirmus, ei deeſſe noluit, et, ſua valetudine neglecta, actutum inuiſit *Poezingerum*, cum eo precatus eſt, et vltimum humanitatis pietatisque officium praeſtitit mortuo. His vero curis, et corporis motu, fatigatione et terrore factum eſt, vt, quod inſtar praemii eſſet, febris aufugeret. Ab eo tamen tempore, quo munere publico fungi coepit, raro perceperat morbi vel leuioris dolores, et corpus robuſtum, plena facies, animi corporisque vigor, qui in ſtatura iuſta et decora plurimum dignitatis atque exiſtimationis ipſi parauit, longam vitam augurari videbantur. Medicamentis, quamdiu fieri poterat, abſtinuit, corporis viribus fretus. Melius autem forſan feciſſet, ſi hac tempeſtate, monentibus amicis, citius vſus eſſet illis;

nam

nam ab aliquo tempore infirmitatem corporis quamdam ſenſerat, quam vero imprudentius ſpreuerat, donec proſtratis omnibus corporis viribus morbi venenum omnia membra ſubito infeſtaret, mortemque die ſecundo Iulii adceleraret heu! praematuram.

Vidiſtis igitur, *Ciues cariſſimi*, qua ratione KRAFFTIVS noſter educatus atque inſtitutus fuerit, et qua via ad ſummos honores litterarumque multarum peritiam peruenerit, eiusque ingenii, animi morumque imaginem leuiter adumbrauimus. Vt tamen KRAFFTIVM plane perſpiciatis, et iacturam, quam fecimus, plenius intelligatis, paullo adcuratius, quamquam breuiter, illam perſequemur adumbrationem. Atque initium faciamus a religionis reuerentia, et aduerſus Deum pietate, qua in primis Theologus excellere debet. A prima pueritia Deum ſincere coluit, quem pietatis ſenſum exemplum et ſcholae pii noſtri Theologi *Pfeifferi* V. Ven. in primis poſtea acuerunt. Pietas in Deum erat integra, nulla oſtentatione, nulla pompa Phariſaica fucata, eamque factis magis, quam ſimulata ſpecie et perpetua illius iactatione prae ſe ferre ſtudebat. Qui quidem ſummam adfectant pietatem, eamque in omni vita vultui lacrimis et ſermone ſpirare et redolere aliis videri volunt, plerumque homines ſunt fallaces, lucri laudisque cupidiſſimi atque periculoſi. Larilam induunt, ſub qua fraus dolusque malus alios incautos decipiunt: prudentiores vero, eos homines non angelos eſſe ſciunt, eorumque fugiunt ſocietatem ac fallacias. Iſtos homines qui penitius intueri cupiat, is *Wielandi* legat librum, *der goldene Spiegel*, inſcriptum, praef. pag. X. *) Non enim virtute et morum ſanctitate, vt habeantur pii homi-

*) Ibi inter alia, quae vere dixit; Der feine Betrüger, inquit, das ſchädlichſte unter allen ſchädlichen Geſchöpfen, weiſs das äuſſerliche Anſehen geſunder Grundſätze und untadelicher Sitten gemeiniglich beſſer zu behaupten, als der redliche Mann etc.

homines laborant, ſed vultum et triſtitiam et diſſentientem a ceteris habitum, peſſimis moribus ſaepe praetendunt. Laetitiam vero temperatam, a perſonaque Chriſtiani hominis non prorſus alienam Theologo non vetitam eſſe, arbitratus noſter inter amicos hilaris erat et interdum iocoſus. Nihil tamen flagitii probrique, cuius eum aliquando poenituiſſet, vmquam in ſe admittebat. In ſumma enim caſtitate totiusque vitae moderatione atque aequitate viuebat; omnibus vitiis et peccatis, in quae aetas iuuenilis incidere ſolet, quam maxime inimicus. In primis hoſtes religionis chriſtianae, cuius veritatem ſenſu atque experientia non magis, quam ſubtilitate demonſtrandi, maxime hiſtoriae exemplorumque fide cognouerat, odio proſequutus, qui illius dignitatem vita ſcriptisue labefactare conarentur, eos tamquam hoſtes communes tam publice quam priuatim adgrediebatur. Vera in Deum pietas muniuit animum aduerſus ſenſus acerbitatem, effecitque, vt neque in rebus ſecundis efferretur, neque in aduerſis plane deprimeretur. Vtramque fortunam aequo ferebat animo, ſuoque ſe Deo ſemper committebat. Spem enim confiſam Deo, nunquam recedere confuſam vſu didicit ſaepius. Liberalis erat et munificus erga pauperes atque egenos, nec tamen laudem gloriamque venabatur. Nemini inuidebat fortunam, laudem gloriamque; ſed verum ſe et philoſophum eſſe, et theologum, rebus quoque fluctuantibus, ſua ſorte contentus praeclare oſtendebat. Ingeniis contra fauebat, et quouis modo ea conabatur iuuare atque incendere. Nullius doli ſed recti tantum conſcius peccatis et erroribus fraudique ignoſcebat, et vero tegebat et diſſimulabat. Externis quidem rebus acrique ſenſu iniuriarum facile moueri poterat, atque vi illata vehementius exacerbari, natura enim teneritas et mollitudo animi inerat: tunc incaluit, et, quae ſentiret, aperte, neque vero ruſtice aut ignominioſe dixit vel ſcripſit, confeſtim vero vim motumque omnem ad moderationem compoſuit, ſic vt ratio praeeſſet adpetitumque

ac

ac aestum refrenaret. Sedato tamen primae irae impetu statim colligebat se, atque nemine vllo ad ignoscendum erat paratior: hoc enim quemlibet christianum, cum primis theologum, quam maxime decere, et publice aiebat et suo docebat exemplo: res autem clam exulcerare aut palam exagitare, in summamque adducere inuidiam, nefandum et flagitium ipsi videbatur. Nec rerum, quae odiosae adciderunt, memoriam retinere, sed eam exstinguere omnique ope sorbere dolorem solebat: numquam tristis, semper hilaris. Inter viros graues et seueros nemo illo seuerior erat, neque tamen austerus: inter familiares vero et ipse iocis mouebatur, et, quum ingenio valeret, multosque libros legisset ingeniosos, genere iocandi liberali, faceto venustoque, ab omnibus tamen sordibus maxime alieno, valde delectabatur aliosque exhilarabat, grauitate tamen illa hilaritas temperabatur. Atque haec alacritas vigorque animi etiam in moribundo conspiciebantur. Fastum atque arrogantiam quam maxime fastidiebat. Quamuis honoris laudisque cupidus esset, et obtrectationes dolenter ferret, iisque primum commoueretur, tamen, quia secum habitabat, numquam alios fiducia sui elatus irridebat: numquam de aliorum fama atque ingenio inuidiose detrahebat, sed laudabat potius, et vitia, non hominem oderat. Cuilibet erat obuius et expositus, plenusque comitate atque humanitate, quibus virtutibus quemlibet adliciebat ad se, et colloquentes sermonum copia atque varietate mire capiebat. Ad amicitiam cum hominibus bonis probisque iungendam quam maxime pronus atque aptus, omniumque hominum erat: in colenda autem amicitia erat sanctus et constans, et quos penitius inspexerat, eos integritate, fide, iuuandique studio magis vincere studebat, quam vt se ab illis superari pateretur. Si quem amicorum suorum laesum aut iniuriis lacessitum esse cognouerat, vehementius quam iniuria sibi ipsi illata mouebatur KRAFFTIVS homo alioqui pacis et concordiae amantissimus. Pro his familia-

miliaribus vel inuidiam odiumque ſuſcipere, reique ſuae familiaris iacturam facere non detrectabat: omnis enim auaritiae aeque ac ſuperbiae priuataeque vtilitatis ſtudii ſuſpicio ab eo aberat longiſſime. Erga omnes erat officioſus ſine vlla vſurae praemiique ſpe atque exſpectatione. Amorem vero erga vxorem atque puerulum et conſanguineos in hoc homine, qui adeo natura, ingenio, moribusque ad amicitiam natus et formatus fuit, pluribus laudare, piaculum foret. Quam tamen pius et conſtans in amicitia cum fratre germano, homine probo fratrisque ſimili colenda fuerit, vel id ſatis erit teſtimonii, quod, quamuis vltra XII. annos contubernio, victu lectoque eodem vterentur, numquam tamen cum eo in gratiam rediit, et vnus animus in duobus corporibus eſſe videbatur. Bonus erat paterfamilias, ſincerus, apertus et lenis erga fidos amicos, vrbanus et lepidus inter familiares, grauis et decori amans in obeundo munere. Quam amabilis erat in vita, tam laudandus eſt ab ingenio, eruditione ac doctrina. Viuidum et ſplendidum inerat in eo ingenium, quod, quae legeret, aut audiret, celeriter arripuit, et, quum tenaciſſima adiuuaret memoria, firmiter retinuit. Hinc quando ad ſuſcipiendum quemdam laborem aut ſcribendum ſe dederat, impetu animi in id incumbebat, et, quae moliebatur, breui tempore profligabat. Hinc floridum dicendi ſcribendique genus et crebro adſperſos orationis flores amabat. Neque illum nitorem, illa orationis lumina ſtudioſe quaerebat, ſed propter ingenii excellentiam et propter maturam poëſeos atque eloquentiae exercitationem ſponte naſcebantur. Atque niſi poſtea multis occupationibus et ſeuerioribus litteris a ſtudio poëtico auulſus fuiſſet, hac in arte magnam conſequuturus fuiſſet gloriam. Pulcri autem verique ſenſus, et acre iudicium vſu philoſophiae recto ſubactum omnem tumorem ac luxuriem abſcindebant. In orationibus ſacris primum quidem iuueniliter exſultabat, et inſtar torrentis redundabat, at aetate maturiore naturalem

et

Digitized by Google

et gratam simplicitatem amabat, et picturas culpabat iuueniles. Orator enim sacer auditores, quorum plurimi sunt imperiti et sortis tenuioris, docere debet sanctam doctrinam, eosque veritatibus, quae ad salutem aeternam muniant viam, instituere, non auribus insidias facere, easque titillare, aut animi motus tantummodo semper perturbare. Imber enim subitus mox defluit, nec terram reddit fertilem; pluuia vero tenuis et calida terram fouet, alitque fruges. Abiectum vero et humile et ornatu destitutum dicendi genus aeque ac verborum rerumque inanitatem atque ieiunitatem nugasque ferre non poterat. Pectus eum fecerat disertum, et quum animum deo consecratum adferret, aliena auxilia atque ornamenta ad decipiendum quaerere, aut natura aduersante et sine veri sensu cum magno clamore blaterare, ipsi non opus fuit. Primum plane explicare sensum verborum et totam orationis seriem, dein perite probare, scite dispescere atque amplificare, vtilitatem apte ostendere, atque in primis in peroratione commouendo aculeos in auditorum animis relinquere consueuerat. Omnis autem oratio cum ad delectandum, tum maxime ad mouendum atque intelligendum adcommodata fuit. Dicendi genere vtebatur licet ornato, populari tamen, puro varioque, quod satietati occurreret similitudinis. Ea argumenta, quae ab imperitia vulgi capi non possent, aut dubia viderentur, et de quibus viri docti vel in scholis vel in scriptis disputarent, iure optimo non sumebat sibi tractanda, quum multa superessent scitu magis necessaria atque vtiliora. Ingenii enim praestantiam aut abundantiam doctrinae ostentare non debet orator sacer, quamquam omnino doctior sit, quam vulgo fieri solet, multas litteras teneat, omniaque eloquentiae atque eruditionis praesidia paret sibi necesse est, vt nihil falsi absurdiue, sed semper vere, apte, ornate copioseque dicat. Pariter in suggestu sacro prudenter abhorrebat a controuersiis inter diuersas Christianorum partes vehementius agitatis: quarum in tempesti-

Digitized by Google

ua et immoderata commemoratio tantum abeſt, vt auditores confirmet, aut ad veritatem acrius amplectendam incitet, vt potius corrumpat, ad iramque et turbas inflammet. Praecepta tamen verae noſtrae religionis ſedulo inculcabat et iuſto loco moderate vindicabat ab obtrectationibus falſisque interpretationibus. Quum plena et iuſta corporis ſtatura, perſpicua et ſonora vox, firmi lacerti, oculi, manus et omnis corporis eloquentia, non ſcenica, ſed decora, eum dicentem iuuarent, maiorem inde tulit plauſum. Tantum autem in eo orationis erat flumen, tanta copia atque vbertas, vt ne in ſermone quidem familiari vnquam haeſitaret, nec facile ſe corrigeret, nec in orationibus ſacris, ad quarum meditationem, paucis in ſchedulam quamdam coniectis, haud raro paucas horas ſibi ſumebat, de verbis multum cogitaret: et tamen eleganter copioſeque, plaudentibus auditoribus, quorum magnus ſemper fuit confluxus, diceret: quod fieri non potuiſſet, niſi ingenii felicitati adiunctum fuiſſet maturum et crebrum linguae patriae ſtudium, de quo iam ſupra ſcripſimus. Neque tamen ſtatim, quum ad populum dicere inciperet, illos mores, ad corrumpendam eloquentiam faciles, induebat, ſed adcedente demum vſu, exemplo praeceptoris ſui Huthii incitatus, quum parum temporis ad meditandum ſaepe ſupereſſet, illam conſuetudinem ex tempore dicendi, ordine tantum dicendorum in ſchedula notato, ſectatus eſt: quod vero exemplum vt nemo iuuenum theologorum facile imitetur, ſuadebimus niſi eadem mentis alacritate, ingenii felicitate orationisque vrbanitate pariter atque vbertate ſe valere, certum perſpectumque habeat. Adcedere etiam debet eadem doctrinae theologicae copia, eademque adcurata vtriusque foederis diuini, praeſertim noui, intelligentia, quae in KRAFFTIO inſignis erat. Quum in perdiſcenda ſacra doctrina magiſtris vſus eſſet, quibus puritate et veritate placitorum chriſtianorum nihil prius, nihil antiquius eſſet, et qui pandectas ſacras adcurate interpretarentur,

non

non ſolum a labe multorum recentiorum ſe ſaluum praeſtitit, nec erroribus animum imbuit, ſed veſtigia quoque iſtorum ſolerter preſſit. Theologiam e fontibus ſacris ducebat, et vt ſubtilitatem metaphyſicorum nimiam, ita etiam ſpinas captioſasque quaeſtiones ſcholaſticorum ac recentiorum quorumdam aſpernabatur. Qui in libros ſymbolicos iuraſſet, theologiae doctorem, immo vero bonum virum, vt ne ab eorum norma recederet, omnino decere arbitrabatur. Incrementa humanae cognitionis ſciebat fieri, et vero ipſe venabatur: vltra plebem enim non ſapere, nec in litteris vlterius progredi, homine docto indignum putabat; hinc multas nouas ſacrorum dictorum interpretationes ab ingenio aut veritate laudandas excogitarat: ſed in rebus diuinis nimis ſapere velle, deſipientis eſſe credebat. Recentiores theologos legebat ſedulo, et quod rectum verumque ſibi videretur, aut doctrinae ſacrae ſcientiam magis, augeret, probabat, in vſumque conuertebat, neque vero veteres noſtros fidei diuinae defenſores, vt multi eorum vel compilatores vel iniqui vitioque creati cenſores facere ſolent, fungos ſtipitesque cenſebat, ſed diligenter commendabat. Doctrinam de Chriſto, quam vel ipſi quidam e noſtris theologis incaute impugnant, ſaluam atque inconcuſſam et putabat et ſtrenue tuebatur. In primis ſedulus ac diligens lector atque interpres N. T. erat. Hinc etiam in concionibus ſacris dicta ſacra interpretanda, eorumque veritatem inculcandam quam argumenta e doctrina morum tractanda, crebrius ſibi ſumebat. Illa vero non ſubtiliter et docte, ſed ad omnium ſenſum atque intelligentiam explicabat, vim in populari, at ſuaui oratione, exponebat ſedulo, et quae praecepta ad beate pieque viuendum, ad vitae emendationem atque tranquillitatem, ad vitae aeternae fiduciam conducerent, ea, praecipue in peroratione, diligenter inde deducere atque animos auditorum ſolebat commouere. Vnicum praeſidium ad conſummatiſſimum theologum deerat illi, adcurata et pleniſſima linguarum Orien-

Digitized by Google

talium, quarum tamen non rudis fuit, cognitio. Aliquot vero abhinc annis totum ſe tradidit hiſtoriae et antiquitatis eccleſiaſticae ſtudio: fontes ipſos adiit, atque, quum ab inſigni commilitonum corona cinctus eam doceret, ſaepe ad multam noctem inuigilauit libris, vt omnia adcurate, nec e riuulis tantum hauſta traderet. Quae quidem nimia induſtria, praeſertim ſuperiore hieme, vires corporis valde labefactauit et fregit, et, adcedente ſedulitate in aegrotis quibusdam inuiſendis, mortem forte adcelerauit. Non autem ſolum docere illam, ſed etiam ſyſtema totius hiſtoriae eccleſiaſticae, praeſertim ad excitandum pietatis ſenſum, ſcribere in animo habuit. Ideo omnia ſolerter inueſtigauit, diligenterque perſcrutatus eſt. Ad reliquas ſcholas meditandas tantum ſibi temporis non ſumebat, et ob vigorem ingenii memoriaeque fiduciam pauca ſibi notabat. Hanc autem conſuetudinem laudabilem, quam commendabat quoque amicis, bene ſeruabat, vt, in quae vel commentando vel aliorum ſcripta legendo incideret, et de quibus diſputari poſſe arbitraretur, ſua animi ſenſa chartae ſingulari committeret, ſenſim augeret, aut, ſi ab aliis iam explicita deprehendiſſet, deleret. Hinc ingentem e diuerſis diſciplinis ſiluam materiarum, quas vel in libris vel diſputationibus aliquando pertractaret, colligebat ſibi. Atque ſi vel quadrageſimum attigiſſet annum, tot et tam doctos eum, perſuaſum habemus, publicaturum fuiſſe libros, vt luce ſua et hanc Muſarum ſedem et orbem litterarium colluſtraſſet, multisque rebus nouum adcendiſſet lumen: nouum enim, ſi a placitis theologicis principibus diſceſſeris, valde amabat. Ita ſcimus, eum multorum compendiorum, vt alia minora maioraque reticeamus ſcripta, primas lineas duxiſſe, et incepiſſe hiſtoriam dogmatum; introductionem in L. L. ſymbolicos; Paſtoralem biblicam; Introductionem ad lectionem N. T. curſoriam; dicta claſſica moralia; hiſtoriam theologiae litterariam (quam nouiſſime inprimis coluit, et tria volumina elaboraturus

erat);

Digitized by Google

erat); theologiam recentiſſime controuerſam; collegium Antiſocinianum; compendium Antiſeparatiſticum: quae quidem quum omnia conquireret ſubſidia, et acutus eſſet philoſophus, caute, ſolerter et ſubtiliter ſcripſiſſet *).

*) Subiungemus ſtatim indicem librorum, quibus b. defunctus iucundam ſui ingenii atque eruditionis memoriam poſteris reliquit, et in quibus praeter copiam litterarum, noua interdum protulit.

1) Diſp. inaug. *de duplici oratoris et rhetoris cura* ad Matth. X. 19. Erl. 1764. ſine Praeſide.

2. 3) Diſp. pro facultate docendi, *de Paradoxo morali* Matth. V. 38-41. Sect. I. Reſpondente Gorraiskyo. Sect. II. Reſpondente Langio Erl. 1765.

4) Schediaſma *de Oratore timido*, 1765.

5) Diatribe *de regno Optimo maximo* ad Luc. I. 33. 1765.

6) Diſp. pro loco *de libertate lamentabili* ad Rom. VI, 20.

7) Progr. inaug. *Chamos a Iephta deriſus* Iud. XI, 24.

8) *Moſes und Paulus, eine bibliſche Vergleichung*, Nürnb. 1767. 8.

9) *Der wahre Werth der Schönheit an einer Geliebten*, Erlang. 1767.

10) *Abh. von dem Redner aus dem Steegreiſe*, Schwab. 1768. 8.

11) *Die Religion des Krankenbettes*, eine Predigt, Schwab. 1768. 8.

12) *Der Mangel der Frommen ein mächtiger Beweis der göttlichen Vorſehung*, eine Allmoſenpredigt Schwab. 1768. 8.

13) *Die Pflicht des Redners ſich nach der verſchiedenen Beſchaffenheit ſeiner Zuhörer zu richten*, Schwab. 1768. 8.

14) *Vorrede zu D. Huths geſammleten Sonn- und Feſttagspredigten 2te* Aufl. *Von der zweyfachen Wohlthat Gottes in Einſetzung des Amtes, das die Verſöhnung prediget.*

15) Progr. inuit. *de Dauidis in aula Getheorum anguſtiis*, ad Sam. XXI, 13. 14.

16) Orat. inaug. *de nobiliſſimo ſcientiarum genere, vt maxime arduo, ita inprimis populari.*

17) Diſſ. inaug. *De Chriſto calicem deprecato*, quae Nr. 15-17. indicauimus, ſub inſcriptione generali: *Primitiae muneris theologici*, Sylloge Prior 1769. prodierunt coniuncta.

Digitized by Google

Philoſophiam enim, non ſterilem, ſed fructuoſam vehementer coluit, in primis Dialecticam: cuius ſtudio id conſequutus eſt, vt omnia facile perſpiceret, originem veritatum rimaretur, quae dubia fluxaque viderentur, ſtatim diuideret, et hac ratione rei veritatem expiſcaretur ac ſtabiliret. Hinc etiam diſputator fuit ſubtilis atque expeditus: Hinc in omnibus, quae dixit aut ſcripſit, ordinem certum tenuit. Quam perſpicuum et adcuratum, quanta ſuauitate ingenii atque orationis temperatum ſine oſtentatione eruditionis et multae lectionis vel potius compilationis eius fuerit docendi genus, *Vos* ipſi, *Ciues!* optime noſtis. Hunc vero fidum doctorem, hunc humanum piumque magiſtrum, hunc tantum virum Vos amiſiſtis; et vero nos amiſimus. Lugete et plangite! Recolite eius memoriam eumque imitamini, vt Vos aliquando in gaudiis coeleſtibus, ſpretis omnibus rebus humanis, denuo videat, et Vobiscum deum in aeternum laudet etc.

18) Diſſ. pro loco: *Diui Paulli Apoſtoli Theologia Paſtoralis* primis lineis deſignata 1769.

19) De vno Spiritu ſancto communi omnium duce ad Patrem, medit. pentecoſt. ad Epheſ. II, 18. 1770.

20) *Geſammlete Feyertagspredigten,* Schwab. 1771. 4.

21) *Schreiben an einen Freund von dem gegenwärtigen Zuſtande der Hochfürſtl. Friedrichs-Alexanders Vniuerſität zu Erlangen*, Anſpach 1770. 4.

22) *De vno Spiritu ſancto communi omnium duce ad patrem*, Progr. Erlang. 1770.

23) *Oratio in natal. Marggrauiae Fridericae Carolinae habita*, Suab. 1770.

24) *De naſcente Chriſti eccleſia ſectae iudaicae nomine tuta*, Progr. Erl. 1771.

25) *De viuentis Domini eccleſiae ſectae iudaicae nomine tuta*, Progr. Erl. 1772. Vt omittamus multa carmina quae vel ſeparatim typis exſcripta, vel libello menſtruo *der neue Sammler zum Vergnügen und Nutzen der Teutſchen* inſcripto inſerta ſunt. Multi etiam recenſus librorum varii argumenti praeſertim theologici in Actis noſtris Litterariis, quorum ſummam curam a. 1765-68. ſuſceperat, ab eo ſunt profecti.

VI. ME-



VI.

MEMORIA MATRONAE PRAENOBILISSIMAE CLARAE IVLIANAE, GENTIS GEYERIAE, CONIVGIS DESIDERATISSIMAE ILLVSTRIS ET CONSVLTISSIMI IOANNIS CHRISTOPHORI RVDOLPHI, IC. I. V. DOCTORIS ET PROF. P. O. ACADEMIAE TVNC TEMPORIS PROCANCELLARII ETC.

PRAEMITTVNTVR PHILOLOGVMENA ET PHILOSOPHVMENA. QVAEDAM DE OPINIONE VETERVM DE ANIMO HVIVSQVE POST MORTEM FATIS.

Defunctis hominibus, qui in flore aetatis animam efflarunt, nobisque fuerunt cogniti; in luctu planctuque eorum, quibuscum coniuncti viuimus, quae cogitatio in animis nostris solet oriri? Nonne haec? Qui nos sumus homunculi? Caduci, fragiles, quos nullus splendor, nulla dignitas, nulla ars, nihil, nihil in hac rerum vniuersitate aeque ac vanitate a communi mortis lege liberat.

Diuesne prisco natus ab Inacho
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub diuo moreris.
Victima nil miserantis Orci.

Omnes

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur vrna ſerius ocius
Sors exitura, et nos in aeternum
Exſilium impoſitura cymbae *).

Lugemus, animum colligimus et comparare incipimus cum Sulpicio **) rerum viciſſitudines, et circum circa regiones proſpicere. Videmus, quae quodam tempore florentiſſima fuerant, nunc proſtrata et diruta iacere. Videmus interitum tot ciuitatum et regnorum. Deprehendimus ſtragem virorum domi militiaeque clariſſimorum. Prata, quae veris tempore floribus veſtita amoeniſſimis, ridere, oculosque ambulantium paſcere ſolent, hieme faciem offerunt triſtiſſimam. Omnia, quae terra fert alitque, mutationibus ſubiecta cernimus.

Καὶ τὸ ῥόδον καλόν ἐστι, καὶ ὁ χρόνος αὐτὸ μαραίνει.
Καὶ τὸ ἴον καλόν ἐστι ἐν εἴαρι, καὶ ταχὺ γηρᾷ·
Λευκὸν τὸ κρίνον ἐστι, μαραίνεται δ' ἁνίκα πίπτῃ,
Ἁ δὲ χιὼν λευκά, καὶ τάκεται δ' ἁνίκα πάχθῃ·
Καὶ καλὸς καλόν ἐστι τὸ παιδικὸν, ἀλλ' ὀλίγον ζῇ.

Et roſa pulcra eſt, et tempus eam contabefacit:
Et viola pulcra eſt in vere, et ſtatim ſeneſcit.
Candidum eſt lilium, tabeſcit vero, cum decidit.
Et nix candida eſt, et liquitur, cum concreuerit.
Et forma puerilis pulcra eſt, ſed breui tempore durat.

Vt ſuauiſſimus THEOCRITVS Idyll. 23. v. 28 ſqq. iam cecinit. Hominum vero mortalitas nos de animorum immortalitate iubet cogitare. Nam quantis cruciatibus dilacerarentur homines, et hodie anguntur ſobriae Chriſtianorum doctrinae hoſtes, qui in hac vita fluctibus miſeriarum iactati vix habuerunt, vnde viuerent; aut qui a frigore fameque atque iniuria aliorum opprobriisque vix, aut, victi et oppreſſi, plane non potuerunt ſe defendere, aut,

*) HORAT. II. od. 3. vers. 21 ſq
**) in elegantiſſima epiſtola ad Ciceronem, quae in huius epiſtolis ad Diuerſos eſt V. libr. IIII.

Digitized by Google

aut, licet multis honoribus ſuperbientes, et otio omnibusque deliciis diffluentes, cum inuidia odioque, aut ſumma perpetuaue valetudinis imbecillitate confliƈtari debuerunt, ſi, ſolutis corporis vinculis, ſuum animum, ſcirent, inſtar pulueris diſſipatum iri atque interiturum, et niſi ſpes melioris vitae, ſuperatis omnibus calamitatibus, illos erigeret. Portum vident, quo, naufragio quaſi erepti, confugiant, et tranquillitate fruantur aeterna. Hac ſpe immortalitatis nutriti atque firmati ſuſtinent mala, quae temporis iniuria, aut corporis infirmitas, aut ſeneƈtutis moleſtia aliaeque tempeſtates adferant. Enimuero hanc conſtantiam, hanc fiduciam religio tantum, a doƈtrina Chriſti ſoteros noſtri eiusque apoſtolorum commendata, ſummum illud, quod hominibus contingere fas eſt, bonum, hominibus vero profanis ignotum, parare poteſt. Homo tamen, ſenſuum illecebris nimium captus atque illuſus, ope rationis, quamuis acutiſſimae, niſi a deo edoƈtus fuiſſet, animi immortalitatem neque certiſſime cognoſcere potuiſſet, et multo minus rite demonſtrare. Neque vero religionibus addiƈti doƈtrinae immortalitatis animi plane ignari fuerunt. Conf. ANDR. CHRISTI. ESCHENBACH. EPIGENES Norib. 1702. p. 185 ſqq. Cudworthi ſyſtema intelleƈtuale p. 26 ſqq. ſecundum interpretationem Moshemii, vbi a duumuiris his doƈtiſſimis multa diſputantur de opinionibus veterum philoſophorum de animo eiusque perennitate. Hiſtoriam litterariam et criticam de hoc argumento texere coepit cl. Schmidius ordini philoſophorum Ienenſi adſcriptus, in aliquot diſputationibus diligenter ſcriptis. Quare plura addere et ſupervacaneum foret et ab inſtituto meo alienum. At quo propius aberant mortales a prima hominum origine aut a diluuio, eo certior et purior mihi quidem fuiſſe videtur illius notitia, a deo ipſo hominibus primum tradita. Poſtea vero quam homines diſperſi, a veroque Dei cultu magis magisque alienati ſapientiam et doƈtrinam ſub ſignis

qui-

Digitized by Google

quibusdam hieroglyphicis *) tradere, et ſapientes ſapientiae arcanae cultoribus haec explicare coeperunt, multis fabellis admixtis, ipſa haec doctrina inter homines vacillare coepit inque dubitationem adduci, atque ſubinde a plurimis ignorari. Prudentiores tamen, quum de natura animi humani eiusque ſorte futura cogitarent, et reliquias purioris doctrinae paucas noſcerent, in denſiſſima caligine lucis aliquid cernebant, neque tamen certi aliquid definire poterant. Fluctuantes animis incertique ſperabant, aut ſi demonſtrare conati ſunt, maxime infirmis vtebantur argumentis. Quae Socrates apud Platonem **) et Xenophontem, et Cyrus moribundus in Cyropaedia Xenophontis libr. VIII. c. 7. de animi immortalitate diſputarunt, notiora ſunt, quam vt pluribus repetamus, eorumque argumenta a viris doctis haud paucis iam vocata ſunt ſub examen. Illis quidem temporibus Philoſophi iam multitudine hieroglyphicorum et myſteriorum obruti ab via regia multum aberrarunt, et e tricis eo difficilius ſe expedire poterant, quo pluribus impediti fuerant allegoriis, atque opinionibus ab infantia lacte quaſi matris hauſtis, et a pura doctrina aliena, ea tantum, quae beneficio ingenii atque iudicii, quod quidem in multis fuerat acutiſſimum, cognouerant, inueſtigare poterant. Sentiebant tamen et cognoſcebant in ipſorum corporibus eſſe quemdam rectorem, a corpore diuerſum, et hoc praeſtantiorem, meditando adſequuti ſunt, ab antiquioribus per nebulas ducti, hunc animum a deo ortum ad illum rediturum eſſe. Niſi vero a maioribus edocti fuiſſent, ſolutis corporis vinculis, animum ſuperſtitem nouam inchoare vitam cuius ſpes vitae humanae moleſtias leniret, eos ope tantum rationis huma-

*) Conf. M. I. HENR. SCHVMACHER *Verſuch – die Geheimniſſe in den Hieroglyphiſchen Denkbildern – näher aufzuklären. Wolfenb.* 1754. et ſi tanti tibi videbitur, comment. meam VI. de interpretatione Homeri.

**) v. *Grauii* hiſtoriam Philoſoph. Franek. 1674. lib. III. cap. 22.

Digitized by Google

humanae, neque formam animi et spectrorum mente concipere, neque, animum haud interiturum esse, excogitare et persuaderi potuisse, facile adducor, vt credam. Vnde vero maiores isti illam acceperunt notitiam? Ab homine quodam non potuerunt: atqui a deo ipso: quum doctrina ista omnem ingenii humani subtilitatem vimque longe superare videatur. Primam igitur de perenni animorum natura eorumque post mortem conditione persuasionem ac doctrinam deus ipse hominibus indidit et palam fecit, nec deorum cultores, quantum ex scriptoribus humanis intelligi potest, eam demum, quod quidem haud pauci viri docti censent, e Mosis scriptis, aut Mosaicis traditionibus, quae multo serius forte innotuerunt hominibus, haustam habuerunt; siquidem apud Aegyptios gens Iudaica propter pecorum culturam erat in summo contemtu; sed ex Aegypto, aut litteris Aegyptiorum hausisse, et Aegyptii illam a maioribus, aut Chaldaeis, inter quos et pii patriarchae pleniorem numinis summi, eamque veram notitiam de animique conditione doctrinam seruare poterant, et siderum amor, qui animum ad rerum coelestium cognitionem ortumque rapit, inprimis floruit, et a primis terrae incolis traditam, sed subinde valde depravatam corruptamque accepisse, nouisque commaculasse commentis, mihi quidem videntur. Aegyptios saltem docuisse, deum summum esse naturam, siue supremum Aetherem, totius mundi animam, ex qua animi in corpora demittantur, et in quam, absoluto toto Metempsychoseos curriculo, tandem redeant et veluti refundantur, ostendit IABLONSKY in Pantheo Aegyptiorum libr. I. cap. II. pag. 31 sqq. Ab Aegyptiis igitur, aut, si mauis, a primis terrae incolis, quibus deus et sui et humani animi notitiam reddidit cognitam, ad alias gentes doctrina ista fluxisse videtur. conf. eumdem IABLONSKY in prolegomenis ad Pantheon cap. I. PAVSANIAS quidem in Messenic. s. libr. IIII. cap. 32. pag. 360. Ἐγω δὲ, inquit, χαλδαίυς καὶ Ινδῶν τὺς μάγους πρώτυς οἶδα εἰπόντας,

τας, ὡς ἀθάνατός ἐςιν ἀνθρώπȣ ψυχή. καὶ σφισι καὶ Ἑλλήνων ἄλλοι τε ἐπείσθησαν, καὶ ȣ̓χ ἥκιςα Πλάτων ὁ Ἀρίςωνος. *Enimuero primos omnium, Chaldaeos et Indorum magos memoriae prodidisse noui, esse hominum animos immortales. Adsensi deinde sunt eis tum alii Graecorum, tum omnium maxime Aristonis filius Plato,* quod vero nostrae sententiae non aduersatur. A Mercurio animas duci et reduci, credidit superstitiosa antiquitas. *Montfaucon* in l'Antiqu. expliq. tom. I. pl. XXXVII. egregiam atque insignem dedit imaginem, in cuius descriptione vtar viri illius doctissimi verbis pag. 77. „Pluto in inferis solium occupans regium, sceptrumque gestans, Proserpina a sinistris sedente, Mercurium aduentantem conspicit, caduceo petasoque alato instructum, offerentemque iuuenculae animam. Hoc quippe erat quotidianum Mercurii officium. Matrona a tergo puellae stans, mater esse illius putatur." Adde PETRON. Satyr. cap. 140. ibique interpretes in edit. Burm., idem *Montfaucon* in l'Antiq. expliq. tom. I. plag. 75. dedit Mercurium, brachio puerum gestantem, quem vel puerum Bacchum, vel animam pueri cuiusdam putat, a Mercurio ad inferos seu ad campos elysios deducendam. Deus igitur curam habuisse credebatur defunctorum. Vide etiam *Mariette* mox laudandum. Enimuero mirum non est, veteres in doctrina de animo eiusque fatis adeo dissensisse et plurima ignorasse. Nam quum deinceps omnibus rebus, quae quidem cogitari poterant, prisca aetas attribueret ea, quae in sensus caderent, quae ipsi essent cognita, et iucunda aut iniucunda viderentur, omniaque humanae et diuinae sapientiae praecepta mythis ac mysteriis velare soleret, adcidit, vt de natura et origine animi huiusque futura conditione varias mente conciperent formas, quum maxime primi orientales, vnde doctrina ista ad ceteras gentes fluxit *), ingenio abundantes, figuris hieroglyphi-

*) Confer. *Godofr. Ephraim Mülleri* Otium philolog. Dresdae et Lipsiae 1737. nr. V. pag. 52 sqq. DU LIGNON in

Digitized by Google

glyphicis, fundamento mythologiae, occultis verbis atque imaginibus vterentur, et similitudinem a rebus sibi cognitis sumerent; vt mox pluribus ostendam. Nec adeo mirum hoc videbitur, si infantiam generis et ingenii humani consideremus, et cum ingenio incrementoque cognitionis, quam in libris reperimus nostris, comparemus. Nam subinde quoque, id, quod fata artium et doctrinarum abunde docere possunt, creuit et mutata est cognitio hominum. Atque, id quod et ego alibi et alii viri iam monuerunt, ipse deus imbecillitati hominum in S. S. accommodauit stilum suique notitiam. Sume vero infantem fere quinquennem curiosum, nec hebetis ingenii: quamquam diuersitatem coeli, ingeniorum atque educationis in censum venire haud negamus: ex qua tamen diuersitate etiam puriorem aut rudiorem rerum humanarum non minus quam diuinarum intelligentiam, quae apud priscas gentes fuit diuersa, possumus cognoscere. Disputa, vt equidem feceram, qui infanti cuidam curioso ad omnes pueriles quaestiunculas responsurus, quam sibi fingeret futurae vitae conditionem, expiscari volui, ex quo colloquio non solum gradus cognitionis humanae, sed etiam qua ratione priores homines a vera dei notitia lapsi ad intelligentiam illius animique redire studuerint, paucis verae religionis scintillis adhuc residuis, vidisse mihi videor, disputa igitur cum illo de animo huiusque post corporis interitum futura conditione. Dic, deum esse, ad quem defunctorum hominum piorum animi veniant: statim quaeret, quum nihil cogitare possit, quod sit simplex et corpusculo destitutum, cuius auxilio animus sublimis abit?

in histoire de l'idolatrie Payenne (Amstelod. 1753.) libr. II: pag. 70. *L'Egypte*, inquit, *étoit le principe, et la Mére de la sagesse des Grecs, elle étoit renommée par toutes sortes d'Arts et de sciences.* Interdum vero tempora confundit. Nec omni tempore Aegyptii aeque superstitiosi fuerunt, ac vbi Romanis innotuerunt: nec reliqui Orientis populi omni doctrina caruisse videntur.

Digitized by Google

abit? habetne animus alas, quibus ſuffultus ad deum advolet? Videt enim, volucres ſuperius volitantes, alas mouere: nec igitur motum vllum verſus coelum ſine alis intelligere poteſt. Diſputa deinde, homines pios poſt mortem in ſocietate cum deo viuere, ſummaque frui voluptate: impios vero ad inferos ſummosque cruciatus detrudi: ſtatim interrogabit, poſſumus ne ambulare cum deo? habetne hic oculos, manus, pedes? Ibine reperiuntur roſae floresque, cupediae ciborum, veſtes elegantes aliaque crepundia, quibus fere pro diuerſa educationis primaeque conſuetudinis ratione, vtitur aetas puerilis hisque ſolis vnice delectari ſolet? abſuntne ibi virga aliaque, quibus eadem terretur? Adultior in ſedibus beatorum quaeret ſui ſimiles, quibuscum loqui et iucunde viuere poſſit. Qui inter opacas veluti ſiluas in perpetua veris ſuauitate, voluptate luxuque educatus fuit, has quoque delicias et amoenitates in ſedibus quaeret beatorum. Alii alias; vt nos videbimus. Paruuli quum nihil magis, quam angues, canes ignemque metuant, hos quoque in ſedibus inferorum quaerent. Quaenam vero prudentia et cautio in reſpondendo ſit adhibenda, in praeſenti nec lubet, nec vacat inueſtigare. Nonne quaeſtionibus hisce puerili ingenio aptis veterum deſcriptiones, imagines et comparationes animi, ſedis beatorum et tartari ſimiles ſunt? Paucis id inueſtigabimus: quamuis quidem a poëtis et artificibus, qui illam animi et futurae ſortis notitiam nonniſi deſcriptionibus figurisque in ſenſum incurrentibus docere poterant, multas, concedamus, eſſe factas adceſſiones, quae deinde a ſacrificulis plebeque adoptatae, aut ad commotionem et delectationem animi et ad multitudinem, quae omnia iura humana parum curaſſet, a ſceleribus flagitiisque arcendam et ad officia humanitatis bonique ciuis magis incitandam, etiam a prudentioribus et legislatoribus amplificatae, veſtigia verae doctrinae plane deleuerunt, et philoſophis, quorum quidem opiniones adhuc nouimus, priſcis multas crearunt difficultates non ſuperandas:

randas:

randas: illae tamen fictiones, etiam vltimis superstitionum temporibus, fuerunt reliquiae pnerilis aetatis. In infantia igitur vixerunt primi homines, etiam diu adhuc post eluuionem terrae, et vt infantes pueriue cogitarunt, et loquuti sunt de animo eiusque post mortem sorte. Quare animas humanas papilionum specie vel certe papilionum alis instructas repraesentarunt veteres. In monumentis enim Psyche nunc alas habet papilionis, nunc papilionis forma e corpore supino euolat, nunc circa sceleton volitat, nunc aduritur face Cupedinis, nunc ab eodem clauo figitur ad arbusculam, vt verbis vtar I. M. GESNERI, qui id copiosius eleganterque explicuit in prolusione de animae in antiquis monumentis symbolo, papilione: (in *Gesneri Biographia academica Göttingensi* a cl. Eyringio edita tom. II. pag. 54 sqq.) conf. eiusdem breuis disput. *de Melissis, animarum symbolis.* ibid. pag. 115 sqq. Apud *Mariette* in Traité de pierres gravées tom. II. (Paris 1750) nr. LXII. est mortis emblema: quod ille ita explicat: „On y remarque un Papillon qui s'envole, c'est l'image de l'Ami détachée du corps. Le pied ailé exprime la vitesse avec laquelle se fait le passage de la vie à la mort, et semble en même tems promettre à l'Ame une entrée heureuse dans l'Elysée, sous la conduite de Mercure, dont on voit le Caducée audessous de ce pied.„ Adde *Museum Florentin.* tom. I. tab. 80. n. 5. *Lipperti* Dactyliothec. (1767.) tom. I. n. 783. 823 830. 838. *Klotz* Veber den Nutzen und Gebrauch der alten geschnittenen Steine und ihrer Abdrüke (Altenb. 1768.) pag. 230 sqq. vbi multa ingeniose docteque explicita reperies. SPANHEM. in Obss. ad les Cesars de l'Empereur Iulien pag. 14. etc. Huc etiam referri potest illud Euripidis apud *Clem. Alexandrinum* Stromat. libr. IIII. fin. ὁ μὲν οὖν Εὐριπίδης, χρύσεαι δή μοι πτέρυγες περὶ νώτω, φησὶ, καὶ τὰ Σειρήνων ἐρόεντα πέδιλα ἁρμόζεται· βάσομαί τ᾽ ἐς αἰθέρα πολὺν ἀερθεὶς, Ζηνὶ προσμίξων. *Euripides itaque, in meo,* inquit, *tergo sunt pennae aureae, et aptantur grata Sire-*

num talaria, iboque in immensum sublatus aethera, Iouem conuenturus. Bene autem, et vt Christianum decet, addit Clemens Alexandrinus Ἐγὼ δὲ ἂν εὐξαίμην τὸ πνεῦμα τȣ̃ χριςȣ̃ πτερῶσαί με εἰς τὴν Ἱερȣσαλὴμ τὴν ἐμήν. *Ego autem Christi spiritum orauerim, vt me in meam sustollat Hierusalem.* Apud Aegyptios vt anima indicaretur, pingebatur accipiter, docente HORAPOLLINE in Hieroglyphicis I. 7. pag. 10. edit. de Paw, et vt θύμος, animi praestantia, innueretur, fingebatur leo, eodem monente I. 17. pag. 32. Animi igitur virtutes sub variis figuris fuisse declaratas a veteribus, ex hisce videmus.

Sedes autem beatorum describuntur vt loca amoenissima, omni voluptatis genere abundantia. Fundus huius opinionis est apud HOMERVM Odyss. δ. 563-569.

Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψȣσιν, (ὅθι ξάνθος Ῥαδάμανθυς,
Τῇ περ ῥηΐςη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
Οὐ νιφητὸς, ȣ̓́τ' ἂρ χείμων πολὺς, ȣ̓́τε πότ' ὄμβρος,
Ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπȣς.)

Sed te in Elysium campum, et fines terrae
Immortales mittent: vbi flauus Rhadamanthus est,
Vbi vtique facillima viuendi ratio est hominibus:
Non nix, neque hiems multa, neque vmquam imber,
Sed semper Zephyri argute-spirantes auras
Oceanus emittit, ad refrigerandum homines.

Ad quem locum vide *Clarkium*, et *Duport*, qui eum in Homeri Gnomologia pag. 170 sqq. copiosissime illustrauit, et cum aliis composuit. Quin *Ger. Croesius* in Homero Hebraeo, et ante eum *Iustinus Martyr* in Paraenet. p. 27. temere putarunt, Homerum in describendis Alcinoi hortis Odyss. VII. 115 sqq. ad hortum Edenis, siue Paradisum a Mose Genes. II. 8, 9, 10. descriptum respexisse. Hortos tamen Adonidos prouerbii vim habuisse, maxime si et de rebus immaturis ac breui interituris sermo fuit,

post

Digitized by Google

poſt Eraſmum docuerunt *C. Gottl. Schwarz* in diſſ. de Lapſu primorum humani generis parentum a paganis adumbrato. Altdorf. 1730. pagg. 16. 17. et cl. *Wyttenbach* in Animaduerſ. in Plutarchi librum de ſera numinis vindicta. Lugd. Batav. 1772. pag. 79. At enim mittamus haec. Empedocles eorum, qui ſancte et iuſte vixerunt, perpetuam a morte quietem ac tranquilitatem indicaturus, eos in ſocietate cum Diis fore, canit apud *Clementem Alexandrinum* Stromat. V. pag. 607. edit. Colon. 1688.

Ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι, ἔν τε τραπέταις
Ἐόντες ἀνδρείων ἀχαιῶν ἀπόκληροι ἀπηρεῖς.

Vna cum ſuperis habitantes: menſa in eadem
Qua fortes Danai, communi et ſorte fruentes.

Luſerunt quidem, vt verbis Senecae in Conſol. ad Marciam c. 13. vtar, *iſta* (apud inferos mala) *poetae et vanis nos agitauere terroribus:* at religio erat, praeſertim apud plebem ſacrorum vinculis conſtrictam et ductam, illas plane abiicere aut mutare opiniones: hinc etiam philoſophi (vide *Varronem* apud Auguſtin. de C. D. cap. 31.) illam popularem ſententiam ſectati ſunt confer cl. *Wyttenbach* ad Plutarchi libellum de fera numinis vindicta. Lugd. Batau. 1772. pag. 114 ſq. In AESCHINIS Socratici dialogo tertio, AXIOCHVS, inſcripto pag. 45. edit. cl. Fiſcheri (Lipſiae 1766.) quae ſuauis, quae ingenio infantiae adoleſcentiaeque apta eſt deſcriptio! In regno Plutonis iudices ſedere dicit, qui cuiuscumque e vita migrantis mores examinant; quos in vita humana bonus rexerit daemon, transferri ad ſedes beatorum: ibi tempeſtates abunde ferre fructus omnis generis, fontes fluere liquidos, prata eſſe floribus variis vernantia, conuentus philoſophorum et poetarum, pueros et puellas manus conſerere et ſaltare in orbem canentes, muſicos eſſe concentus, bene adparata conuiuia, epulas ſponte inſtructas, incorruptam voluptatem, ſuauem viuendi rationem, neque frigoris neque aeſtus vehementiam, ſed ſuauiſſimam äeris tem-

Digitized by Google

temperiem *). Idem describit poenas, quibus mali improbique adficiuntur homines, a serpentibus et Furiis, facibus ardentibus, vexari, et aeternis torqueri suppliciis. Confer cum his elegantissimas descriptiones TIBVLLI I. eleg. 3. v. 59 sqq. vbi vide Broukh. et quas collegit SCALIGER poetic. libr. V. pag. 733 sqq. Diuersam atque immanem et horridam beatorum sedem, in qua nulla fere deliciarum vestigia amoenitatumque, quas Romani Graecique finxerunt sibi, deprehendantur, in Valhalla somniarunt incolae Septentrionis antiquissimi, asperae vitae, bellis caedibusque a pueritia adsueti. Emortuorum animos putarunt statim vel ad Odinum vel ad Helam esse abituros: in Valhalla Odinum bellatorem deum adesse, ad eum venire, qui in bello fortiter occubuerunt, (quantam vim haec opinio ad virtutem bellicam, ad audaciam mortisque amorem inertiaeque fugam habuerit, facile intelligi poterit,) et cum eo defunctos in bello viuere; ibi ludere, poculis indulgere, palaestram exercere, iisque, quibus in

*) Conf. GESNERI Prolusſ. I. qua ostenditur, dogma de perenni animorum natura per Eleusinia praecipue sacra propagatum libr. mem. pag. 83 sq. sed vide IABLONSKIVM in prolegom. ad Pantheon pag. 30. II. Philologumena de animorum immortalitate ibid. pag. 143 sq. III de Elysio et insulis beatorum ibid. pag. 197 sqq. eiusdemque praelect. II. de veterum navigationibus extra columnas Herculis: additam edit. Orphei pag. 455 Plures Orphei, Pindari, Virgilii, Horatii aliorumque poetarum picturas et descriptiones vitae aeternae tam beatae quam infelicissimae harum deliciarum cupido dabit cl. *Mangelsdorf* in vita et memoria Christi. Adolphi Klotzii. Halae 1772. pag. 12 sqq. adde cel. *Zeibich* in Bescheidener Prüfung der in - Biblioth. des Herrn Prof. Schmidts wider seine Schrift von der Verehrung und Bildung des Todes gemachten Zweifel. Lips. 1771. pag. 65. 66. *Spanhem.* in Obss. ad les Cesars de l'Empereur Iulien. Amsterd. 1728. pag. 48. 49. *Wyttenbach* ad Plutarchum de sera numinis vindicta pagg. 96 sqq. vbi multa veterum loca collegit.

Digitized by Google

in vita delectabantur, voluptatibus exſatiari, et quae alia fuerint figmenta. vide *Brulleri* Hiſtoriam criticam philoſophiae tom. I. edit. ſecundae pag. 339 ſqq. et cl. *Mangelsdorf* in vita et memoria Klotzii pag. 20 ſqq. et pag. 30. apte monet, diuerſas illas de futurae vitae felicitate multum debere variis coeli regionibus locorumque diuerſae indoli. Et recte quidem, Graeci enim ſuas plerumque ſumſerunt formas ac religiones ab Aegyptiis et Phoenicibus, populis mollibus et luxurioſis et ſub amoena coeli temperie habitantibus. Homerus illas exornauit, Ionum luxurie et terrae fertilitate atque amoenitate captus: Illum ſequuti ſunt graeci poetae, quibus amoeniſſima naturae ſuaeque patriae facies multas alias inſpirauit delicias. Graecos imitati ſunt Romani, qui, quae iucundiſſima viderent ante oculos, etiam ad Elyſios campos transtulerunt. Videmus igitur, qui factum fuerit, vt Graeci et Itali in amoenitatibus Elyſiorum camporum deſcribendis adeo conſpirarent, et tamen interdum differrent: at ab opinionibus Celtarum ſub aſpera coeli plaga natorum, qui cereuiſiae erant et bellis et venationibus addictis diſſentirent. Sic totus fabularum habitus pro diuerſitate coeli terraeque diuerſus fuit, (vide *Klotzii* praef. ad Aeſopi fabulas Iſenaci 1771.): ſic eam mente conceperunt formam, quam ſenſibus perceperunt, vitae rationi et cultui et conſuetudini ſuae adcommodatam. Praeter ea vide *Spanhem.* in obſſ. ad les Ceſars de l'Empereur Iulien p. 215. Iam vero veteribus dii deaeque eſſent homines, qui propter merita in coelo aſtrisue collocati longe maiore dignitate atque auctoritate, quam reliqui mortales, valerent, horum felicitatem ſempiternam in omnium rerum et voluptatum adfluentia poſitam, quae vlli contingere poſſent, ideoque, crediderunt, *κατ᾽ ἐξοχὴν* vocatos eſſe *μάκαρες*. vide CALLIMACHI H. in Iouem v. 72. H. in Apoll. v. 25. 26. et alibi. Hinc legimus deorum epulas et conuiuia et matrimonia et iocos et alia, quae hominibus videntur iucundiſſima. Lepida quidem et ridicula nobis Chriſti no-

Digitized by Google

men profitentibus et meliora edoctis videntur figmenta haec et alia multa, quae apud auctores vtriusque linguae reperiuntur. Sed nobis videntur ridicula, qui beneficio codicis ſacri res a ſenſu atque intelligentia noſtra longiſſime remota melius poſſimus cognoſcere, quam iſti, qui illo beneficio carentes non niſi ſenſu rebusque, quae in ſenſus incurrere ſolent, decepti atque agitati ſpe quadam melioris vitae moleſtias huius vitae leuare ſtudebant, et verae doctrinae cernebant reliquias tamquam per nebulam. Quum infantes et puerilem aetatem, videmus, felicitatem futurae vitae iis metiri, quae ſibi fauſta videantur atque exoptata, quid mirum erit, veteres quoque in cognitione rerum futurarum atque diuinarum more paruulorum verſatos aeque cogitaſſe, et ad multos ad emendatam vitae rationem incitandos aeque pueriliter, ſed amoene docuiſſe, et, vt fieri ſolet ab hominibus ingenio abundantibus, ſubinde amplificaſſe. Quas ridiculas fouent ſententias Iudaei, qui tamen doctrinam de eo animoque et futura vita incorruptam in T. V. a deo traditam acceperunt? Quas fabellas narrant ſectae Mahometicae adſeclae, quibus cognitio purior ineſſe potuit, quam quae veteribus fuit idolorum cultoribus? Quin immo in ipſa S. S. deus litteris conſignari fecit deſcriptiones illius poſt mortem beatae non minus quam infeliciſſimae conditionis, quae parum abeſſent a picturis profanorum. e. g. vt multa loca V. et N. T. lubentes omittamus, Apocal. cap. XX. XXI. XXII. (vbi quidem ſtilus poëticus, ſaltem quam maxime propheticus eſt,) e quibus efficimus, deum imbecillitati ingenioque et ſenſibus hominum indulſiſſe. Adultiores vero, quum in ſocietate aequalium et ſapienti tranquillitate maximam felicitatis partem ponere, et rem paullo curatius conſiderare haud raro ſoleant, opiniones aetati voluntatique conuenientes mente complexi ſunt. Hinc Socrates, e vita migraturus, apud CICERONEM Tuſcull. quaeſt. I. cap. 41. (qui Platonis verba in linguam eleganter tranſtulit latinam.). *Sin vera ſunt*, inquit, *quae dicuntur,*

Digitized by Google

cuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas; qui e vita excesserunt, incolunt: id multo iam beatius est, te, cum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoem Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum: conuenireque eos, qui iuste et cum fide vixerint, haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? vt vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, vt ea, quae dico, mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem adficerer, cum Palamedem, cum Aiacem, cum alios, iudicio iniquorum circumuentos, conuenirem? tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Vlyssis Sisyphique prudentiam. Multa quoque in hanc rem egregie disputata reperimus apud *Ciceronem de senectute*, praecipue cap. 20. 21. 22. 23. At enim ῥησεις sunt longiores, quam quae huc possint commode transferri.

Quanta igitur dulcedo et voluptas permulsit animos veterum cultui deorum addictorum, quum de immortalitate animi dissererent. Quod orationis flumen! Qui flos eloquentiae, quae, animo non commoto, non adeo efflorescere potuerat! Et nos, qui Christi sanguine redemti, puram nouimus doctrinam, qui maiora et certiora exspectare possumus post mortem praemia aut supplicia, nos igitur insanies ambitionis inanis, immensa iniuriae vel leuissimae vindicta, insatiabilis et perfida auri argentique libido, lasciuies morum et ἀσωτια vinculis adeo constrictos saepe tenet, vt obliuiscamur, nos esse mortales, et impios post obitum aeternis suppliciis adfici. O terque quaterque beati, qui in hac vita suae sortis et religionis memores de immortalitate animi numquam non cogitant, et in omnibus actionibus ac negotiis ad vltimam vitae humanae metam respiciunt! Quam tranquilla in omni tempestate illorum est vita! quam constans animus in morbi vehementia! quam quietus et serenus est horum vultus vel

Digitized by Google

in ipfis mortis doloribus, quum, fe, fciant, ex hac turba et colluuione difceffuros et ad diuinum animorum piorum concilium coetumque angelorum effe profecturos. Horum exempla intueamur atque imitemur! Atque tale exemplum fuit matrona honefta piaque CLARA IVLIANA, nata GEYERIN, vxor cariffima ILLVSTRIS et CONSVLTISSIMI IOAN. CHRISTOPH. RVDOLPHI, Iuris vtriusque Doctoris et Profefforis P. O. et praefenti tempore Procancellarii in alma noftra Friderico-Alexandrina longe celeberrimi, decoris atque ornamenti infignis noftrae Mufarum fedis. In focietatem luctus, Commilitones Ornatiffimi, ire Vos, vefter erga Virum hunc eximium amor confidere iubet. Atque qui trifti experientia doctus probe fcit, quanta fit iactura fociam omnium, quae nobis adcidere poffint, rerum fidam atque amabilem, vxorem, quae domum mariti elegantia, ordine et prudenti rei familiaris adminiftratione moderata fuit, amittere, is ipfe damnum fentit aliorum et calamitatem. Talis focia fuit noftra beata; fed ea vxor digna quoque eft, cuius memoria commendetur pofteritati. Officio igitur hoc, licet acerbo, defungemur. Nata autem eft CLARA IVLIANA Baiersdorfi die XVIII. Aug. CIↃ IↃ CCXXXX patre Matthaeo Erdmanno Geyero, Ser. Marggrauio Brandenburgo-Culmbacenfi a Commiffionibus bellicis et Praetore in illo oppido, matre autem Dorothea Eleonora, nata Roeslerin, quae viua adhuc cum genero fuo dilectiffimo praematurum filiae fuae obitum luget. Patre mature d. VI. Ian. CIↃ IↃ CCXXXXII. decedente, curam huius filiae et reliquorum liberorum fufcepit mater, quae etiam omnem diligentiam ftudiumque in eo collocauit, vt filiola euaderet virgo honefta et olim fedula prudensque mater familias. Quaecumque igitur ad religionem, fine qua vxor et peftis domus et onus mariti, ad cultum et commendationem fexus muliebris conducerent, iis vel ipfa vel ope aliorum erudiuit, fuoque prae-

iuit

Digitized by Google

iuit exemplo, praestantissimo ad pietatem et laborem incitamento, Nec desuit praemium et constantia grati animi, quem beata nostra etiam paucis diebus ante mortem matri coram pluribus declarauit. Haec enim vis est honestae et christianae educationis. Virtus autem quaeuis instar auri renitet, nec diu potest latere in obscuro. Atque hae virtutes, quae in GEYERIA eluxerunt, ceperunt atque incitarunt Collegam nostrum nobis coniunctissimum, nunc moestissimum, vt sollemni et sacra caerimonia peracta eam d. XIII. Iulii a CIƆIƆCCLVIIII. domum duceret. A quo autem tempore in manum domumque mariti sui conuenerat, nihil intermisit, quod ad ornandam nouam conditionem et rem familiarem sibi vni traditam conferret. Nullam molestiam, nullum laborem subterfugit. Omnia curauit ipsa: non mollis fuit; non delicatula, et quae bonae matris familias sunt officia, religio erga deum, pietas constans erga maritum, amor liberorum et cura rei familiaris, ea omnia non nouit solum, sed etiam sedulo praestitit. Deum caste pureque coluit et domi et in templo: amauit morum vitaeque grauitatem suique similes, et longissime absuit a vanitate, quae a multis habetur saeculi elegantia. Munditiei tamen, ordinis et verae elegantiae maximam habuit rationem. Maritum, multis molestiis et laboribus academicis obrutum, comitate attentaque domus administratione subleuauit atque erexit. Praecipuam vero curam impendit in educationem liberorum. Septem autem peperit, quinque filiolos et duas filias: quatuor tamen liberorum funera ipsa curauit; superstites autem sunt filia maxima natu, in qua patri dulcissimae vxoris imago obuersatur, DOROTHEA FRIDERICA, X. annos nata, et duo optimae spei filioli, IOANNES ACHATIVS et IO. PHILIPPVS IVLIVS, quorum prior sex et posterior tres annos natus est. Haec carissima amoris pignora in mente oculisque semper habuit, a quibus et a marito paene numquam abesse potuit. Hinc

domi

Digitized by Google

domi se continuit semper, et si quando corpus reficere animumque recreare debuit, id rarius, et non nisi in societate cum marito liberisque fecit. Aliorum fidei committere liberos, dum ipsa potuit eos curare, nefas esse censuit. Haec cura liberorum, rei familiaris et mariti amor summae ipsi fuerunt deliciae et vnica voluptas: reliqua, quae amoena videantur ad tempus ludendum vel potius perdendum, et homines quosdam irretire queant, aequo animo spreuit; nec iis capi potuit. In consuetudine cum aliis fuit candida et officiosa: prudenter parca, et caute atque honeste liberalis; pauperibus tamen atque egenis lubentissime succurrere consueuit. Sed eheu! fuit: moestam reliquit domum suam: abiit autem ad concilium beatissimorum: nec censebit lugendam esse mortem, quam immortalitas consequuta est. Adclamantem quasi audimus:

Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletu
Faxit.

Beata est, qui enim ista aeterna felicitate frui nequit, quae, dum vixit, bene pieque mori didicit? Huius vero morte praematura, quantum vulnus acceperit viduus, Vos ipsi, Commilitones Suauissimi, intelligere poteritis. Firma quidem et vt plurimum constanti valetudine vsa est: sed exeunte anno CIↃ IↃ CCLXVIII. corporis vires debilitari coeperunt. Vltimum puerperium mense April. anni insequentis et morbus vehemens duorum filiorum magis comminuerant vires: siquidem terror et metus maioris periculi, (miram enim curam liberorum in illa fuisse iam commemorauimus,) auxerunt infirmitatem. A morte denique recens nati filioli occupauit animum tristitia quaedam mortem sibi praesagiens, et languor ac tussis corpus infestarunt.

Mortem sentiens, abiecta omni cura domestica hoc vnice egit, vt ad iter sibi instans se adcingeret. Suspiria sancta precesque ad Deum misit, et in frequentibus sermoni-

monibus cum S. V. *Krafftio*, qui ipsi fuit a confessionibus, et de cuius manibus sanctum illud viaticum, cibum illum immortalitatis, cum summa animi deuotione accepit, et cum S. V. *Pfeiffero* de religione et spe Christianorum, de beneficiis soteros nostri Iesu Christi aeternis suam religionem et animum Deo deditum testata est. Vsque ad vltima suspiria mentis compos fuit, atque inter preces die II. Iulii hora X. antem. in summa tranquillitate animam efflauit. Quod mortale fuit, die a morte quarto illatum est cryptae templi academici. Iusti vero honores persoluentur crastino die Solis h. II. pom. in templo academico, laudesque eius ornabit e suggestu sacro oratione funebri S. V. KRAFFTIVS S. S. Theol. D. et P. P. O. parentabit autem pie defunctae Exc. atque Amplissimus MVELLERVS, Philosophiae naturalis et linguae teutonicae P. P. O. ad quas orationes audiendas *Illustrissimum S. R. I. Comitem, Generosissimos ac Nobilissimos Ciues* decenter inuitamus. Vos vero, CARISSIMI, discite, quam parum sit praesidii aduersus mortis aculeos in ipsa corporis firmitate et iuuentute etiam florentissima. Mature in hac vita cogitate, vt Christianos et sapientiae cultores decet, de animorum vestrorum immortalitate.

Mach deinen Raupenstand, vnd einen Tropfen Zeit
Den nicht zu deinem Zweck, die nicht zur Ewigkeit.



VII.



VII.

Quum ſuperiorem conſcripſiſſem proluſionem: doctus quidam homo mihique amicus contendit, primos homines *per ſomnia* ſomniorumque interpretationes eo deductos fuiſſe, vt crederent, animos hominum eſſe immortales. Quam ſententiam ingenioſe atque probabiliter propoſitam, a meo vero plane diuerſam, paullo poſt, quum funus nobilis cuiusdam Tranſylphani *ab Hannenheim* publice indicendum eſſet, in proluſione quadam paucis examinaui, et meas dubitatiunculas, nunc paullo copioſius explicitas, illis, quae lectorum parum intereſt ſcire, omiſſis, ſicilimenti inſtar, ſuperiori commentationi ſubiungendas hic repetam. Penes prudentes lectores erit iudicium.

Quum de natura et conſtitutione animi alii aliam religionibus addicti fouerent ſententiam *), ſubinde factum eſſe videtur, vt alii non naſci animas, ſed inſinuari in corpora, et de aliis in alia migrare dicerent: alii labantes, animum cum corpore interiturum eſſe, ſuſpicari et de perennitate animi dubitare; alii deinde, vt noui aliquid dixiſſe viderentur, aut, gulae ventrique inſeruientes, quod ſcelerum quaſi mancipia poenam metuerent futuram, eam plane negare inciperent. Ex hac ſuſpicione, in quam in tanta veri dei eiusque patefactae voluntatis ac doctrinae ignorantia facile incidere poterant homines de natura animi ſollicite cogitantes, ſaltem videre licet, vnde inſignis ea opinionum diuerſitas exſiſtere potuerit. Qui vero immortalitatem animi crediderunt, illam ex traditionibus acce-

*) Confer. *Lactantium* de Opificio dei cap. XVI. pag. 1203. edit. Bünemann. eumdem in inſtitutt. libr III cap. 17. 18. *Saligii* philoſophum, de anima et eius immortalitate. Halae 1714. vt Cudworth, Bruker, Grauium, Schmidt, in ſuperiore comment. laudatos, praetermittam.

accepisse; non ex somniis coniecisse mihi quidem videntur. Ingeniosa quidem est suspicio, veteres, dum per quietem defuncti necessarii amiciue imaginem corpusue vidisse sibi visi sunt, adductos fuisse, vt crederent, animum defuncti a corpore seiunctum adhuc in alia quadam parte existere ac viuere. Enimuero si homines de aeternitate animorum antea nihil plane sciuerunt, nec, per tenebras licet densissimas, lucis aliquid viderunt, nos non perspicimus. qui fieri potuerit, vt ex his somniis animi immortalitas colligi potuerit, cum primis si ruditatem ingenii morumque antiquissimam perpendimus. Deum quemdam, in ipsisque hominibus aliquid esse, quod ipsos regat, et a reliquis bestiis pecoribusque discernat reddatque nobiliores, facile cognoscere poterant, quamquam a vera puraque cognitione ad multas falsas ineptasque suspiciones abducerentur. Ipsa vero idea immortalitatis et seiunctionis animi a corpore, quod putrescere cernebant, subtilior est, quam quae ab imperitis hominibus, rebus, quae sensus mouent, tantummodo adsuetis, capi atque intelligi possit. Num infans, etiam adultus, qui ne fando quidem de animi perennitate aliquid vmquam audierat, illam cogitationem meditando vspiam adsequetur? Et infantia dicendi pariter atque cogitandi primis attribui debet hominibus. Qui postea inter Indos aliosque populos extremos de aeternitate animi philosophati sunt, quando hi vixerint, et num forsan ab Abrahami posteris et Iudaeis in Persia et Assyria dissipatis per traditionem accipere potuerint, nec ne? definiendum erit. Tempora enim omnino sunt discernenda, ne cogitationes et argumenta diuersarum aetatum misceamus, et peruersa feramus iudicia. Atqui quum Noacho, quin immo piis ante hunc hominibus illa doctrina a deo ipso patefacta, atque haud ignota fuisse videretur, nonne filii Noachi eorumque posteri filiis nepotibusque ad cultum dei seruandum illam doctrinam tradidisse, eosque, ad spem melioris vitae faciendam, docuisse videntur? Probabilior quidem haec opinio esse videtur,

detur, quam illa, quae originem a ſomniis petit: In qua nec iuſtam cogitationum coniunctionem et opiniunculae illius praeſidium perſpicimus. Per quietem videre nobis ſaepe videmur diruta caſtella oppidaque, bruta, quae dileximus, aliaue nobis cara, ſed erepta; angimur et interdum die noctuque de illis cogitamus: numquam vero deprehendimus veſtigia, ex hiſce ſomniis a veteribus illorum immortalitatem fuiſſe probatam. Homines, inquies, eorumque manes cogita: quantum eſt diſcrimen! Audio: at, natura animi humani ignota, par erit concludendi ratio, ſi priſcos homines ex ſomniis auguratos eſſe, immo vero cum fiducia quadam immortalitatem animorum probaſſe dixeris. Vnica vera cauſſa atque origo illius doctrinae a prima traditione fluxiſſe videntur, vt ſupra iam monui. At enim, vt in infantibus fieri videmus, ab iis res a ſenſu amotas, ſiue vt cum philoſophis noſtris loquamur, ideas abſtractas non niſi rebus ſenſibilibus quaſi inuolutas cogitari poſſe; ita etiam primos homines, quo longius aberant ab eluuione, illam ſubtilem opinionem mente concipere non poterant: ſed animum, huiusque poſt fata conditionem corporibus rebusque humanis, quas ante oculos habuerunt, metiri, et ita ſibi formare ſolebant. Tum, ſi iſtam doctrinam habuerunt et crediderunt, a maioribus primisque terrarum incolis hereditate quaſi acceptam cuſtodiuerunt: at pro diuerſo coeli terraeque ingenio, habitu vitaeque ratione ſubinde mutatam, aut amplificatam aut mutilatam tradiderunt ſuis. Chaldaeos primos fuiſſe, qui docerent animi immortalitatem, Pauſaniam teſtem in antecedente proluſione excitauimus. *Herodotus* autem II. pag. 154. edit. alt. Stephani primae originis honorem attribuit Aegyptiis. Vterque, quantum quisque compererat aut coniecerat, a vero non multum aberrat: nam apud Chaldaeos atque Aegyptios pii viri, qui deum verum religioſe necdum corrupte coluerunt, atque adeo ſpem immortalitatis animi habuerunt certiſſimam, quam maxime fixerunt domici-

micilium. Ab his iſta doctrina manauit ad alias gentes, ſiue illarum colonias, ſiue quae vel litterarum vel mercium mutandarum cauſſa cum Chaldaeam tum inprimis Aegyptum, ſapientiae ſedem, veniebant. Sicuti enim cultus Mercurii, mutato licet nomine, ad Gallos Germanosque peruenire poterat, (vide *Caeſarem* de B. G. VI. 17. ibique Voſſium pag. 305. edit. Oudendorpii, *Tacitum* de moribus Germ. cap. 9. ibique Lipſium et Erneſti, *Schoepflin* in Alſatia Illuſtrata tom. I. pag. 72 ſqq. et pag. 324.) in Aegypto ortus; ita etiam memoriam ac doctrinam de animi immortalitate, licet ſubinde commutatam, per traditionem ad Indos reliquasque nationes diſperſam atque diſſeminatam fuiſſe coniectu facile eſt, nec a ſumma abeſt veriſimilitudine. Namque vt in vita quotidie videmus, non ſolum loci mutatione linguam, mores ingeniumque ſaepe mutari, ſed quoque homines iuniores, eosque viuidos ad amorem rerum, quae in ſenſus incurrunt, et peregrinarum ac ad luxuriem citius delabi; tardius vero ad ſeueritatem et diſciplinae et vitae redire: ita etiam paria doctrinae de animae aeternitate fata fuerunt. In infantia quidem generis humani multis fabulis mox admixtis, quae ſubinde ſymbolicis augebantur inſtitutis, diuerſae diuerſorum populorum non minus quam ſaeculorum ortae ſunt opiniones: quae vero, quantum ſcimus, in ſumma diuerſitate, Orientalium ingenium, atque adeo originem ſuam redolent. Deum vero ipſum homines primum docuiſſe, vel ex eo coniicere licet, etiam ſi ab effatis S. S. diſceſſeris, quod dei benignitati et clementiae ſapientiaeque contrarium fuiſſe videtur, a ſpe melioris aeternaeque ſortis, aut a metu aeternorum ſuppliciorum homines dubios, anxios incertosque retinuiſſe. Si ſceleſtus homo ſciret, ſuum animum cum corpore interiturum, nec eum manere grauiſſima ſupplicia, quae leges et naturae et hominum eum arcerent? Probus contra piusque quod lenimen ac ſolatium in moleſtiis,

quam spem in miseria haberet, dum, animum dissipatum iri, certum habet et compertum? Homo ipse sentit immortalitatis amorem, quem quidem, nisi aliqualem illius haberet doctrinam, vanum, valde finitum, fluxum atque imbecillem fore arbitramur: eum tamen, adcedente vel leuissima atque obscurissima institutione certum fieri et ardentiorem, quotidiana docemur experientia. At nullum animal rationis expers illius amoris capax est: a deo igitur innatum fere esse suspicamur, sed doctrina excitandum. Quin ex hoc amore nonnulli immortalitatem animi demonstraturi erant, quod vero argumentum nec sufficiens, et lubricum esse videtur. Quae quum ita sint valde liberales erimus, et concedemus, homines antiquissimos, si vel vmbram doctrinae de animi immortalitate per traditionem a maioribus relictam habuerunt, ex somniis, dum effigies defunctorum ipsis per quietem adstitit, animos esse immortales, maiore cum fiducia coniecisse et credidisse. Antiquissima quidem est sententia, animas defunctorum in somniis videri. Sic Patrocli anima monuit Achillem, vt corpori iusta solueret, apud *Homerum* Iliad. ψ. vers. 69 sqq.



XI. Pe-

Digitized by Google

VIII.
MEMORIA MAGDALENAE CHARLOTTAE CHRISTIANAE SCHMIDLIN.

PRAEMITTITVR DISPVTATIVNCVLA DE ANIMIS PIORVM AD COELESTEM MVSICAM REDEVNTIBVS SECVNDVM PLACITA QVORVMDAM VETERVM PHILOSOPHORVM.

Animi immortalitatem a plerisque veterum philosophorum creditam, et a Platone inprimis acriter, ac quantum ab homine diuinae institutionis experte fieri poterat, subtiliter esse defensam, ex lectione veterum scriptorum et philosophiae historia neminem fere praeteribit. Quamquam igitur modo vario et sensibus humanis adcommodato et poetae et reliqui scriptores conditionem animi post mortem futuram descripserunt: impiorum tamen animos ad perpetuos cruciatus perferendos amandarunt ad inferos; pios autem, vt beati aeuo fruerentur sempiterno, ad deum, vnde originem traxerint, ad coetum de hominibus patriaque bene meritorum et ad locum omnibus rebus, quae beatam felicemque reddant vitam, adfluentibus, et cuius suauitatem vt laetissimis pingerent coloribus, omnis ingenii vi abusi videntur poetae, peruenturos arbitrati sunt. In illo autem Elysio praeter alias

res deliciasque cantum quoque et choreas opinionis errore decepti finxerunt sibi. Aeschinis Socratici locum iam laudauimus in philogum. et philosoph. de immortalitate animi etc. Virgil. Aen. VI. in elegantissima descriptione Elysii, v. 637. etc. vbi vide cel. Heyne, praecipue v. 664.

Pars pedibus plaudunt choreas et carmina dicunt.

Tibull. 1. 3. 58. sqq. vbi v. Broukhus.

Ipsa Venus campos ducet in Elysios,
Hic choreae, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aues. - -
Hic iuuenum series teneris immixta puellis
Ludit, et adsidue proelia miscet amor.

Valerius Flaccus denique, vt alios omittam, Argonaut. libr. I. v. 843. sqq. de eodem illo loco amoeno:

donec siluas et amoena piorum
Deueniant, camposque, vbi sol, totumque per annum
Durat aprica dies, thiasique, chorique virorum,
Carminaque, *et quorum populis iam nulla cupido.*

Ex oriente autem orta est haec de animi immortalitate doctrina figmentis poëtarum et graecorum philosophorum dein amplificata, ornata atque immutata. Quidquid autem in sensus cadere non potuit, aut a cogitatione scientiaque imperitorum et profanorum remotum visum fuit, illud primos homines figuris symbolisque inuolutum tradidisse, iam alio loco commonstratum est. Musica vero non solum salubre est praesidium ad animi recreationem atque delectationem, quin ad morbos curandos daemonasque in fugam vertendos veteribus vtilis videbatur (vide *Ricci* diss. Homericas Florent. 1740. dissert. XXIIII. et XXV. *Moshemium* ad Cudworthi systema intellectuale pag. 854. sqq.) sed etiam propter concentum atque diuinam harmoniam iucundissima perpetuae felicitatis visa fuit imago. Quare cum dii illa mire delectari fingebantur, tum in primis Apollo, quando ad suos Hyperboreos venit,

nit, sua felicitate laetus psallere et saltare pernox credebatur *). Quin ipsa Musica sphaericae figurae coeli et terrae symbolum fuit Pythagorae, quem a Pherecyde primum institutum; ab Aegyptiis Geometriam, Astronomiam arcanaque, quae de diis essari non licuit, a Phoenicibus Arithmeticam, a Magis Arithmeticam et Musicam, a Persis siderum motum cursusque stellarum, et, vti quibusdam placuit, a Iudaeis, qui tunc inter Persas captiui degebant, varia docili animo hausisse, et diligenter didicisse, Porphyrius, Iamblichus, Diogenes Laertius aliique memorarunt **). Philosophia igitur sua ab his aliisque gentibus translata ad Graecos, quum Musicam atque Geometriam, quas artes nouis inuentis auxit, (v. Grauium infra memor. pag. 185. sqq.) impense amasset, et in docendo suis praemisisset sacris, facile inde fieri potuit, vt et ipse et discipuli eius a musica numerisque tam verba, quibus occulta significarent, quam similitudines sumerent, aut pluribus exornarent augerentque idearum illecebris, quum praesertim Pythagoras in Aegypto symbolico dicendi generi adsuefactus esset. Tetractys illa, cuius interpretatio multos torsit doctos homines ***), est decantatissima, atque *ad harmoniam etiam canere mundum, esse Pythagorae inuentum*, ait Cicero de Natura deorum III. cap. 27. de qua opinione copiosius disputat Grauius in historia philosoph. II. capp. 14. 15. Eamdem sententiam explicat Cicero, dum in Somnio Scipionis cap. 5. Africanum defunctum cum filio ita colloquentem inducit:

 quid

*) Confer. Gesneri Praelect. II. de nauigationibus extra columnas Herculis, §. 6. pag. 469. sqq. in edit. sua Orphei.

**) Cf. Abrahami Grauii historiam philosophicam. Franeck. 1674. libr. II. cap. 6. p. 116. sqq. Bruker. histor. critic. philosoph. tom. I. part. 11. libr. 2. cap. 10.

***) Cf. Grauium l. m. p. 247. sqq. Eschenbach in libro, Epigenes, inscripto. Norib. 1702. p. 495. in primis I. Georg. Michaelem in Obseruatt. sacris (Arnhemiae 1752.) exercitat. VIII. et loc. mem. p. 1054.

Digitized by Google

quid hic, quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficitur: qui acuta cum grauibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit. Nec enim silentio tanti motus incitari possunt: et natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute sonent. Plura vide apud illum. Eamdem sententiam post Pythagoram tuitus est Plato, libr. VII. de republ. et in Epinom. p. 530. qui secundum Augustinum libr. VIII. ciuitatis c. 4. actiuam Socratis philosophiam cum Pythagorae magis contemplatiua coniunxit, eoque philosophiam perfecit, (v. Grauium l. mem. p. 486. sq. et Bruker. histor. philos. crit. tom. I. p. 631. sqq.) isque in Timaeo p. 35. sqq. ἁρμονίαν animi explicans docet, ex musicorum vel arithmeticorum numerorum harmonia naturae concentus intelligi: tum motum animi esse harmonicum in Phaedone p. 86. adfirmat, animique initium numeris constare apud Laertium in vita Platonis dicitur. Platonis mentem explicat *Proclus* in Platonis Theologiam libr. V. cap. 35. pag. 324. edit. Hamburgi 1618. vbi ex interpretatione Aem. Porti, ipse rhytmus, inquit, et saltatio est mysticum et arcanum huius diuinitatis signum. — — Quod est expers formae, et quod est infinitum, et quod est expers rhytmi est materiae proprietas. Quod igitur est immateriatum et finitum et impollutum, est rhytmo praeditum, concinnum, et ordinatum et intellectuale. Propter ea enim et ipsum coelum perpetuo choreas agitare dicitur, et omnes in coelo circuli motionem rhytmo — praeditam, concinnam, et harmonicam participant, quod superne ab impollutis diis facultate repleantur. Quoniam enim circuli coelestes in orbem mouentur, ipsam Mentem effingunt, et intellectuale circumuectionem exprimunt. „Hoc quidem valde subtile est. Animos autem nostros esse coelestis originis, et decisos ex astris, et eodem redituros, si puri ex hac vita discesserint,

rint, illorum fuit ſententia philoſophorum: a qua opinione non erant Stoicorum placita valde diuerſa. v. Bruker. loco mem. p. 951. ſqq. Hinc Africanus apud Ciceronem in Somnio Scipionis c. 3. *ii viuunt*, inquit, *qui ex corporum vinculis, tamquam e carcere, euolauerunt. Veſtra vero, quae dicitur vita, mors eſt:* et cap. 4. *Nouem tibi orbibus vel potius globis connexa ſunt omnia, quorum vnus eſt coeleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur ſummus ipſe deus, arcens et continens ceteros, in quo infixi ſunt illi, qui voluuntur, ſtellarum curſus ſempiterni: cui ſubiecti ſunt ſeptem, qui verſantur retro, contrario motu atque coelum - - in infimoque orbe Luna radiis ſolis adcenſa conuertitur. Infra autem iam nihil eſt, niſi mortale et caducum, praeter animos generi hominum munere deorum datos.* Ad deum igitur, ad concentum naturae et muſicam coeleſtem redire animos piorum crediderunt illi philoſophi: quorum diſciplina ex Oriente orta, quum dein aucta et peruulgata fuit atque in Graecia Italiaque celebris, inde factum eſſe arbitramur, vt in elyſio ſuo antiquiores, in primis poëtae, choreas ac ſaltationes quae primae aetati et ſenſibus adcommodatae erant, ad delectationem et imitationem fingerent, et in funeribus ad laetitiam piorum aeternam indicandam pariter ac proſequendam tibiis vel tubis vterentur. v. *Iac. Gutherium* de iure Manium libr. I. cap. 23. *Lomeier* de luſtrationibus veter. gentil. cap. 33. pag. 416. ſeq. Zutphan. 1700. Macrobius quidem libr. II. Somn. Scip. c. 3., *Mortuos*, inquit, *ad ſepulturam perſequi oportere cum cantu plurimarum gentium et regionum inſtituta ſanxerunt, perſuaſione hac, qua poſt corpus animae ad originem dulcedinis Muſicae, i. e. ad coelum redire credantur.* Hinc etiam mortua Iairi filia tibicines et multitudinem tumultuantem inuenerat, eosque diſcedere iuſſerat Chriſtus Matth. VIIII. 23. ad quem locum Wolfius in curis philologicis et criticis multos laudat auctores: quibus addi poterit Schedius de diis Germanis, cap. 48. Illud quidem ſuaue commentum Ariſtoteles libr. II. de coelo cap. 9. iam refutauit, et

concentum coelorum dulce esse figmentum docuit: nos vero, qui Christo addicti sumus, e S. S. pleniorem et puriorem laetitiae sempiternae habemus cognitionem; nostrum enim animum esse immortalem, et venia delictorum in hac terra a deo ante discessum impetrata, ad coetum coelestium peruenire, et in laudatione summi numinis summam ponere felicitatem, e codice sacro certo scimus.

Huic societati beatae nunc adscripta est femina, dum viueret, illustris, MAGDALENA CHARLOTTA CHRISTIANA SCHMIDLIN, cuius memoriam Vobis commendare, iidemque illustri Viduo, de nostra Musarum sede egregie merito, nostrum moerorem testificari in eiusque tristitiae societatem ire, nostrum esse duximus. Primam autem lucem d. 21. Sept. cIↃ IↃ CC XXXIIII. Erlangae adspexit beate defuncta, patremque habuit LVDOVICVM FRANCISCVM SEIFFERHELT, duci Leucopetrae (Weissenfels) a consiliis aulae; matrem autem WILHELMINAM SVSANNAM e gente WITTMANNIANA ortam. Optimi hi parentes filiam, in qua egregias animi ingeniique virtutes mature elucentes viderant laetabundi, non solum diuinis doctrinis, sine quibus nulla vera virtus, nulla felicitas sempiterna cogitari potest, sed etiam iis artibus, quae partim sexui sequiori ad vitam remque domesticam prudenter administrandam scitu necessariae habentur, partim ad ornamentum et maiorem commendationem faciunt, a prima aetate vel ipsi suique in primis imitatione, vel aliorum opera vsi erudiuerunt. Musices inprimis studiosa fuit, commodeque canere potuit, et quia quascumque res, quibus ingenium animusque formarentur, celeriter arripuit, optimisque parentibus obsequio placidisque moribus multum adtulit spei non magis quam laetitiae, hi suam sibi filiam in senectute aliquando solatium confugiumque fore iure quodam arbitrati sunt. At enim neque hi fructum, quem sperarunt, percipere, neque illa iis, quibus, a deo si discesseris, vitam omniaque vitae beatae praesidia grata mente accepta tulit,

tulit, vsuram amoris et beneficiorum reddere potuit pleniorem. Annus enim cIↄIↄccL. patre d. III. Ianuar. die autem 21. m. Septembris matre e viuis ereptis animo nostrae acerbum inflixit vulnus, et rationes valde perturbauit. Grauis autem haec calamitas, quamquam animum illius vehementer pepulit, tamen non fregit, et insequens annus maiorem adtulit doloris consolationem. Anno enim cIↄIↄccLI. d. 8. Iunii illius virtutibus captus CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIDEL, Vir illustris, qui tunc temporis nostram fama et doctrina sua illustrabat Vniuersitatem, et Botanices atque Anatomiae Professor Publicus Ordinarius erat, eam domum duxit. Summum illum virum, qui a condita nostra Musarum sede, ab anno cIↄIↄccXXXXII. vsque ad annum cIↄIↄccLXIII, quo Onoldum sub conditionibus vt honorificis ita et lautissimis euocatus est, et nominis gloria, quae non angustis Germaniae finibus continetur, sed ad extremas quoque Europae oras peruenit, et disciplina, cui Germania multos debet medicos peritos arteque celebres, et consiliis, quae quam sagacia quam vtilia fuerint, omnes adhuc praedicant, ad augmentum et florem nostrae Vniuersitatis multum contulit, et iis, quibus Serenissimus noster Princeps curam Vniuersitatis tradidit, nunc adscriptus adhuc confert, pristinumque nostrae academiae amorem luculentissimis comprobat documentis, beate defuncta comitate, morumque suauitate et amore semper exhilarare, munerisque molestias temperare et leuare sedulo adlaborabat. Maritum, a quo in ipsam multum honoris atque auctoritatis redundauit, pie honorabat. Rem vero domesticam prudenter curabat, neque sordida auaritia minuebat dignitatem, neque luxu et ambitione facultates dilapidabat. His et pluribus aliis animi virtutibus effecit, vt non solum constantem erga se mariti amorem obtineret, sed etiam, quum propensa esset ad omnium salutem, et grauitatem amoenitate conditam animique altitudinem prae se ferret, ab omnibus magni aestimaretur. Quum igitur ornamentum sui sexus, solatium et deliciae

 sui

Digitized by Google

ſui mariti, quocum vltra viginti et vnum annos ſuauiter vixerat, et perfugium multorum inopum eſſet, vita longiore viſa fuit digniſſima. Enimuero quamquam valetudine numquam floruit firmiſſima, ſuperiore tamen anno languorem viriumque imbecillitatem magis ſenſerat, atque ſollicitudo curaque mariti, qui menſe ſuperiore Februario in grauem inciderat morbum, et ſororis, quam impenſe amabat, exeunte praeterito anno periculoſe aegrotantis, reſiduas vires plane fregerunt. Atque febris, quam Aeſculapii filii vocare ſolent hecticam pulmonalem, et quae omnem artem peritiſſimi mariti eluſerat, mortem heu! praematuram adcelerauit. Forti autem deoque dedito animo exſpectabat vltimum vitae momentum, atque de immortalitate animi aeternaque laetitia cum admodum Reuerendo RABIO, Archidiacono, qui ipſi a confeſſionibus erat, et de cuius manibus ſanctum illud viaticum cum ſumma pii ad mortemque parati animi et religionis ſignificatione accepit, iam antea frequentes ſerere conſueuerat ſermones; ſacroque illo animi pabulo d. XVII. Iun. pie ſumto, mox complicuit manus, atque animam placide reddidit ſoteri ſuo: et mors quieta vitae ante actae ſimilis fuit. Non diu quidem in hoc vitae humanae ſtadio cucurrit, vixit enim demum ann. XXXVII. menſ. paene VIIII. ſed palmam propter virtutes inter triumphos coeleſtes citius adepta eſt nobiliſſimam. Maritum quidem, pro quo etiam mortem obire non detrectaſſet viua, reliquit moeſtiſſimum, eiusque pectori vulnus inflixit grauiſſimum, et nos in eius luctus ſocietatem ire eo minus dubitamus, quo magis virum hunc ſummum ſuſpicimus: at enim vt Vir illuſtris dolorem ſorbeat, vt annos coniugis aetati detractos, ſuis annis ſummi numinis clementia additos accipiat, nouisque in dies augeatur ornamentis et valetudine fruatur firmiſſima, Vos, *Ciues optimi*, nobiscum deum ſupplices rogate et ardenter precamini: eius vero et piae coniugis memoriam ſeruate conſtantem.

IX. PRO-

IX.

PROLVSIO NOMINE VNIVERSITATIS ERLANGENSIS SCRIPTA, QVVM M. NOV. 1770. NOVVS PRORECTOR INDICERETVR DE ARTIFICIO ATQVE ORNATV EPISTOLAE PAVLLI AD PHILEMONEM.

In libris ſacris eaſdem elegantis vrbanique ſcribendi generis virtutes, quas in profanis auctoribus claſſicis aeſtimamus atque admiramur, vt maiores et vberiores ad ſalutem hominum reticeamus, hinc inde reperiri; atque vſum litterarum elegantiorum ad veri ſenſus intelligentiam, ad ſuauitatem et honorem pandectarum ſacrarum multum conferre, in explicanda Paulli ad Philemonem epiſtola, teſte animi nobilis, ingeniique amoeniſſimi atque vrbani locupletiſſimo, in praeſenti videbimus. Quae igitur ad ornatum orationis Paullinae pertineant, reliqua enim ad praeſens non curabimus, paucis perſequemur, plurima, quae plagula haec capere non poteſt, nec copioſa egent explicatione Veſtro ſenſui humanitatique, *Commilitones Ornatiſſimi*, relicturi. Sanctus quidem Apoſtolus noluit inſidias facere auribus et menti: non, vt profani auctores facere ſolent, de omni ornatu orationisque luminibus ſollicite cogitauit: non adtulit omnem eloquentiae ingeniique vim ad Philemonem capiendum: ſed iuſta cauſſa, deique auxilio et Philemonis liberali pioque animo fretus, animi ſenſa aperte et pro ingenio ſuo explicuit verecundeque rogauit. Atque hanc ſimplicitatem, hanc inge-

ingenii ſuauitatem vimque naturae nunc eo magis amamus et ſuſpicimus in legato diuino: quo, omne fallaciarum humanaeque fraudis, artisque anxiae ſtudium longe abfuiſſe, ſumus certiores. Paullus, qui in defendenda doctrinae ſacrae puritate et oppugnandis falſorum doctorum erroribus acris eſt et vehemens, in hac epiſtola comparet homo modeſtus, placidus, vrbanus, qui tamen ſuas animi vires et magnitudinem, ac dignitatis excellentiam probe ſentit. Quare ad cognoſcendum Paulli ingenium excelſum, quod pari dignitate laudeque rei cuique ſe adcommodare potuit, in S. S. locum haec epiſtola obtinet commodum, ſi etiam a multis praeceptis ſalutaribus et diuinis diſceſſeris. Atque iam *Chryſoſtomus*, cuius iudicium de hac epiſtola *Millius* in ſua N. T. editione p. 510. ed. Lipſienſ. 1723. recenſuit, Paulli cauſſam bene tuitus eſt. Rem enim plane ſingularem, quae nobis exigua leuisque nunc videri poteſt, ita tractat Apoſtolus atque exornat, vt non ſolum placeat, ſed etiam ad amandum ingenium virtutemque Paulli, licet tunc contemti et vinculis ligati, ad vim verbi diuini ſentiendam, ad eamdem modeſtiam verecundiamque nos commouere, eoque adducere poſſit, vt rem ad nos pertinere arbitremur. Nonne amamus ſcriptorem, quando huius verba pudorem, animique nobilitatem et virtutem, quam etiam homo facinoroſus atque abiectus magnopere laudat magnique aeſtimat, redolere, et floribus quaſi odoratis ſpirare ſentimus? *Nihil eſt enim amabilius virtute*, vt Cicero de amicitia cap. 8. ait, *nihil, quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus.* Quanto magis amare debemus hominem, numine diuino adflatum, ſuoque ipſius exemplo virtutes Chriſtiano dignas docentem. Praeter ea magni eſt animi, res humanas adeo deſpicere et contemnere, vt pro altero, quocum nullo neceſſitudinis aut beneficiorum vinculo coniunctus eſt, debitum reddere, in ſe recipiat: atqui hanc animi nobilitatem

Digitized by Google

atem ostendit Paullus, dum v. 18. scribit. Ἐι δέ τι ἠδίκησέ σε, ἐι ὀφείλει, τῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει - - ἐγὼ ἀποτίσω. Sed vt ordine quodam progrediamur, primum de artificio in inuentione, et collocatione argumentorum et elocutione; tum in specie de decoro et moribus orationis; denique de delectu quorumdam vocabulorum agemus.

Philemoni aufugerat seruus Onesimus, ἀχρηςός ποτε (v. 11.) homo olim noxius et perniciosus, aere contracto alieno aut alio illato detrimento. (v. 18.) Venerat Romam, et ibi in notitiam Paulli, ad eiusque amicitiam se contulit, a quo doctrina eruditus Christiana ad rectam viam reductus est. Rediturus ad dominum a Paullo commendatur, vt non solum veniam delicti, sed etiam libertatem accipiat. Philemon vero dignitate, opibusque florens fuisse videtur, qui familiam habuit haud contemnendam. Paullus enim scribit: (χαίρειν) τῇ κατ᾽ οἶκόν σε ἐκκλησίᾳ. Hic vero familiam Philemonis, non Colossenses, qui in aedibus Philemonis conuenerint, intelligi, vel ex eo patet; quod Paullus eodem tempore ad Colossenses simul scripserat. (ad Coloss. IV. v. 9.) Ac suffragatur Chrysostomus loco mem. Φιλήμων ἀνήρ τις τῶν θαυμαςῶν καὶ γενναίων· ὅτι γὰρ θαυμαςὸς ἦν, δῆλον ἀπὸ τῦ καὶ τὴν οἰκίαν αὐτῦ πᾶσαν εἶναι πιςὴν, καὶ ὕτω πιςὴν, ὡς καὶ ἐκκλησίαν ὀνομάζεσθαι. Δια τῦτο καὶ γράφων ἔλεγε· καὶ τῇ κατ᾽ οἶκον σῦ ἐκκλησίᾳ. Deinde si ex antiquitate memoria repetimus, quae iura domini in seruos fuerint, et quae supplicia seruos exspectarint fugitiuos, ex hoc iam intelligere possumus, quam difficilis res fuerit, talem hominem cum domino irato in gratiam reducere. Paullus vero quam prudenter orditur! et quam scite omnem rem absoluit! Non statim a capite rei incipit, quod pupugisset Philemonem, sed a sui commendatione, a laude Philemonis, qua homines lubentissime flecti duci que solent. Laudat eius amorem curamque Christianorum et religionem aduersus Deum: ex hoc amore se multum laetitiae ac solatii capere profitetur. v. 5 - 7. χάραν

vero

vero, non χάριν, cum optimis codd. atque interpretationibus veterum apud *Millium* ad h. l. et cum *Boysen*, V. C. in Critischen Erleuterungen des Grundtextes der h. Schrift N. T. aus der Syrischen Uebersetzung (quae חדותא *gaudium* dedit) part. III. pag. 82. legere praestat. Deinde non vtitur auctoritate apostoli, sed, quamuis cum fiducia quadam officium iniungere et mandare possit, orat atque adhortatur, vt seruum recipiat, eique ignoscat. Nondum tamen vrguet opus. Sed quo maiorem addat auctoritatem, et quo magis commoueat Philemonem, in summa concinnitate praemittit tria argumenta a se sumta, ὡς Παῦλος, πρεσβύτης, (in Lutheri interpretatione *der alte Paullus* multum perit grauitatis minima igitur interpunctio ponenda est post voc. παῦλος,) νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Ἰησοῦ χριστοῦ. Non reticet, non excusat scelus Onesimi; at, ne Philemonis stomachum moueat, quamuis iracundia et vltionis libido humilem abiectumque animum prodant, paucis tantum fatetur, (v. 11.) et statim subnectit laudem emendatae illius vitae rationis; rogat, vt eum manumittat, pro illoque spondet. Nec dum iubet recipere, sed optat, vt ex ipso eum fructum percipiat, quem parentes e liberis percipere gestiunt, et, vt Onesimum benigne atque amanter suscipiat, mentemque Paulli, metuentem, ne quid acerbius adcidat, tranquillet, v. 20. ad quem locum vide *Kypkii* obseru. sacras, part. II. pag. 382. Denique quam suaue, quam elegans est illud v. 21. Πεποιθὼς τῇ ὑπακοῇ σου ἔγραψά σοι, εἰδὼς, ὅτι καὶ ὑπὲρ ὃ λέγω ποιήσεις. Ita insinuat in animum Philemonis, vt ab amico repulsam non vereatur. Is enim est animus ingenui hominis, vt, si fiduciam amici animaduertit, tunc neque resistere precibus, neque preces iussaque exspectare soleat, sed, quaecumque postulari possint humanitatis officia, haud rogatus praestet lubentissime. Iudicium enim et fiduciam amici ludere aut fallere, pudet talem hominem. Quos igitur aculeos in animo Philemonis illa verba reliquerint, facile est intellectu. Verum haec sufficiant de artificio, quod tantum tetigimus.

Pau-

Digitized by Google

Paucis inquiramus decorum, quae res est cognitione dignissima. Nihil scripsit, quod persona sua esset indignum: reuerentiam tamen quamdam adhibuit erga Philemonem, et verecunde scripsit, ne offenderet, in quo im decori maxime perspici, ait *Cicero* de officiis I. cap. 8. Prudentia vero et summa grauitas, mira comitate ondita, atque auctoritas quaedam in tota inest epistola, t vbiuis elucet decorum. Paullus enim, se, haud ignoat, esse legatum diuinum, cuius voluntati cedere debeat 'hilemon, praecipue quum Onesimus ciuitati Christianae dscriptus a deo veniam delicti impetrasset. Ostendit uam potestatem atque auctoritatem, ne vero arroganter lictum videatur, non gloriatur, non addit multum cooris, sed vmbra quasi velat. Versu enim octauo, πολλὴν antum ait, *ἐν χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων, ἐπιτάσσειν σοι ὸ ἀνῆκον.* Deinde, postquam praes. factus est, pergit, *να μὴ λέγω σοι, ὅτι καὶ σεαυτόν μοι προσφείλεις.* In eolem v. 19. non scribit, *ἐγὼ ἔγραψα*, sed *ἐγὼ* Παῦλος, uo nomine posito, omnia dicit, quae de sua persona, nunere et dignitate fideque cogitari possint: postea, dum raeterire videtur, quid a Philemone ipso possit exigere, nentem satis aperte, at verecunde declarat. Neque veo multis verbis sesquipedalibus ampullisque vtitur; sed, ilo mox abrupto, precibus animum Philemonis potius tuduit sedare et flectere, ne is coactus atque inuitus (v. 14.) seruum olim fugitiuum reciperet. *Graue est enim*, ɪt scribit *Cicero* ad Curionem libr. II. epist. ad diuers. pist. VI. *homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, le quo se meritum putet: ne id, quod petat, exigere maris, quam rogare, et in mercedis potius, quam beneficii oco numerare videatur.* Quae quum ita sint, decorum 'aullinae orationis in inuentione, dispositione atque elocutione haud difficulter poterit perspici. Pauca addemus le morata oratione, quae in scholis philosophicis artissime coniuncta est cum decoro, in arte autem dicendi latius atet, de qua pulcre egit *Io. Guil. Berger* in II. dispp. Wit-

Witteb. 1713. Quaecumque de moribus et illius, qui dicit, et illius, qui audit, eleganter monuit Bergerus, ea ſi inſtar ſtaterae in examinanda hac epiſtola adhibueris, videbis, orationem Paullinam eſſe quam maxime moratam, et ad conciliandum Philemonis animum egregie aptam. Quam verecundus eſt et prudens in laudando! quam modeſtus et cautus in ſuadendo! quam probus et ſimplex in rogando! Laudat ſemet ipſe, neque vero luxuriatur in recenſendis ſuis erga Philemonem meritis; non exigit paria officia. Paucis tantum ſignificat ſuam amplitudinem ſuique muneris grauitatem. Laudat Philemonem a virtute et amore; non a nobilitate generis, non ab opum abundantia, quaſi tali facinori facile et ſine vlla rei domeſticae iactura poſſit ignoſcere. Virtutes enim, quae ab ingenio, animo naturaque ducuntur atque proficiſcuntur, quam quae a rebus obiiciuntur externis, iisque inanibus et caducis, ſunt maiores, laudeque digniores. Vt Philemonis amorem et ſibi et Oneſimo conciliet, non ſurgit audacius, nec aliquid adfert, quod Philemonis mentem a ſe alienet, ſed probum beneuolumque oſtendit animum, quem Philemoni tamquam exemplum, quod imitetur, proponit. Laudat Oneſimum ab emendatis moribus, et quo magis Philemoni perſuadeat, Oneſimum nuncupat filium, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς μου (v. 10.) τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, et vt videat Philemon, quanti Oneſimus aeſtimetur, rogat, vt hunc, quem ſibi et illi vtilem remittit, v. 11. (quibus verbis idem innuit gratum et ad quaecunque officia paratum aptumque Oneſimi animum) aeque excipiat, ac ſi Paullus ipſe veniſſet, v. 17. In ſingulis verſibus et ſingulis paene vocabulis decoram et moratam orationem poſſe facile oſtendi, quis non videt?

Comparare lubet epiſtolam *Ciceronis* ad Curionem libr. II. ad diuerſos ep. VI., et ſperamus, forte vt eamdem ſentiatis ſuauitatem, quam nos ex hac comparatione percepimus, et vt intelligatis, quam vtile ſit ad dignitatem

n litterarum diuinarum has cum humanis coniungere. s quidem eſt diuerſa: ſed neſcimus, quam dulcedinem ıſimus, quum videremus, Paullum et Ciceronem ad mmouendos animos iisdem vſos eſſe artibus. Curio ıenis et nobilitate et fortunis florentiſſimus, qui, quae ːrunt ampliſſima in republica, conſequi ſtuduit et poit, et cuius auctoritas magna fuit, maior tamen exſpeıtio, Ciceroni, praeceptori ſuo et tamquam alteri pa-, multum debuit. Philemon fuit homo opulentus et a ıllo legato diuino doctrinae chriſtianae imbutus. Ciro omnia ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, gitationem, mentem denique omnem in Milonis conlatu fixerat et locauerat, ſed dux et auctor opus ipſi it, qui ſi ex omnibus vnus optandus eſſet, quem cum urione conferre poſſet, ſe non habere fatetur. Pauls impellere ſtudet Philemonem, vt recipiendo Oneſimo riusque deſiderio ſatisfaciat. At qua arte Romanus orar commouere ſtuduerit Curionem, paucis cognoſceus. Praeparat animum, memorando officia mutua: uam ſcite vero intexuit ſui laudem! Non ait: ego tibi, urio, multa praeſtiti officia, tu mihi multum debes, que tuum auxilium nunc exigo poſtuloque. Verecunus ſcripſit, „ego ſi mea in te eſſent officia ſolum, Curio, tanta, quanta magis a te ipſo praedicari, quam a me ponderari ſolent, verecundius — — contenderem.„ uae ſuauitas eſt in laude amoris Curionis erga Ciceroːm, quae Curionem ad quaeuis officia praeſtanda excire potuerint, quum maxime non multo poſt addit; *eſt ıimi ingenui, cui multum debeas, eidem velle plurimum ːbere.* Quam apte, quam venuſte propoſitionem partiılarem, vt more ſcholarum loquamur, conuertit in vniːrſalem! Ciceronis mentem perſpicere potuit Curio, ıin ſe ab illo offenſum putaret. Vt in memoriam Cuonis reuocet, quae ipſi Cicero praeſtiterit, neque tamen atum iuuenis audacis animum a ſe abalienet, *graue eſt,* ıquit, *homini pudenti — — numerare videatur.* Lau-

Mutatis patriae sedibus, lingua cultusque diuinus paullatim mutabantur: vera primaque religionis et cognitionis symbolicae natura, saltem in animis multitudinis deleta, euanescebat, mixtaque cum aliorum, qui maiore ingenii acumine praediti de ortu rerum et emendandis feris popularium moribus serio cogitarunt, praesertim Graecorum placitis de origine rerum physicis et philosophicis, ritibus atque opinionibus, corrumpebatur. Mutata dein

*) Qui in Prolegg. p. 45. bene iam obseruat, in Philosophia Platonica et Pythagorica discrimen inter θεὰς νοητὰς deos solo intellectu cognoscendos, et θεὰς αἰσθητὰς, deos sensibus percipiendos, esse celebre, illudque ex Theologia Aegyptiorum ortum esse, vti iam monuit *Clemens Alexandr.* Stromat. V. pag. 593.

cultaque lingua, aut peregrinis gentibus colonisue terras Asiaticas Graecasque occupantibus, noua multarum rerum nomina et cognomina, qua quidem re numerum deorum mire auctum fuisse, valde probabile videtur, vel vrguente necessitate, vel consuetudine cum aliis populis, vel ob diuersas alias caussas, nobis in tanta antiquitatis caligine ignotas, reperiebantur: quo facto superstitio terras peragrauit, et more famae eundo creuit. Mercatura enim in Graecia orisque Asiaticis mature coepit florere, et quae potentiores fuerunt ciuitates, hominibusque abundarunt, alias easque fertilissimas occuparunt regiones. (vide *Clericum* ad Hesiodi Theogon. vv. 155-158. qui quaedam iam monuit:) Quo factum est, vt vel mercatores vel victores suam linguam suumque cultum diuinum regioni nouae inferrent, aut cum receptis institutis siue arcanis siue vulgatis et antiquo sermone miscerent. Inde etiam adcidit, vt Graeci antiquiores e pluribus gentibus et familiis orti, et cum pluribus peregrinis, mercaturae caussa aduenientibus aut sedem figentibus, Aegyptiis, Phoenicibus, Phrygiis, Thracibusque commixti, nouam quasi linguam nouamque conderent religionem: quam posteri, inprimis Orpheus, vel ingenio, vel traditionibus corruptis, vel, quod cum aliis nationibus rem habuerunt, amplius ornarunt, nouisque, vsu, ignorantia priscorum praeceptorum fraudeue decepti amplificarunt institutis et doctrinis. Ex his autem videre possumus, qui factum fuerit, vt vestigia linguae hebraicae, in primis Phoeniciae, et cultus puri verique in lingua et natione graeca etiam seris temporibus reperirentur, et vt poetae, qui post Homerum vixerant, in iis rebus, quae ad cultum nominaque deorum et ad religionem publicam non minus, quam priuatam pertinerent, singularum gentium aut hominum opiniones, quae partim post illius aetatem inualuerunt, sequuti, aut more Homeri noua fingentes, ab illo haud raro dissentirent, quamuis vltimam aetatem sedemque singularum opinionis varietatum definire non possimus.

Quan-

Quando igitur cl. *Valkenarius* in prima thesi, subiecta Petri Henrici Koppiers obseruatis philologicis Lugd. Batau. cIↄIↄCCLXXI. *lingua graeca*, ait *Tiberio Hemsterhusio*, *qui illam per annos paene* LXX *excoluit*, *probabiliter videbatur*, *ex suo velut solo enata: voces quidem orientales in illam fuerunt inuectae*, *sed vel per Palaestinos mercatores*, *vel per aduenas ex Oriente*, priorem positionis partem veram esse, posteriorem vero ex iis, quae modo dixi, paullulum restringendam iudico. Summum porro numen, quod, vti postea videbimus, Mens mundi fuit Aegyptiis, et cui subiecti fuerant reliqui daemones, agnouerunt sapientiores: imperiti autem, res diuinas earumque administrationem curamque imperio et rebus humanis metientes et fabulis sacerdotum ac poetarum illusi et destituti, illud deinceps ignorarunt, et deos reliquos coeli terraeque rectores, quemdam vero, quasi praesidem *) reliquorum, qui, vti sol inter cetera sidera, emineret, opinionis errore arbitrati sunt. Hos humanas res curare, de rebus humanis deliberare et inter se interdum dissentire, res grauissimas, quae in terra eueniunt, ipsos inspicere, partesque sequi diuersas, consilia dare dubitantibus, pugnantes iuuare et omnia more hominum agere, fallere et falli et humana pati, ideoque saepius vel nube **) amictos, ne maiestatis splendore oculos hominum praestinguant, vel, vt lateant, personam hominis induentes cum hominibus versari, rebusque interesse humanis, cu-

*) Hinc Iupiter apud Homerum Iliad. π. vers. 250 simpliciter *pater*, et saepius ab eodem *pater deorum hominumque* vocatur. Pater igitur nomen dignitatis non naturae fuit; v. *Clericum* ad Hesiodi Theog. v. 457 qui a prisca radice פטר *patar*, quod voc. apud Arabes et Aethiopes significat *condidit*, *creauit*, vnde פטיר, *Patir*, h. e. *creator* deriuandum putat. Ego vero nolo hic venari etymologias.

**) confer *Kritische Waelder*, *erstes Wäldchen* pag. 150-184. inprimis *Nimptsch* eruditam dissert. de Adparitionibus deorum praesentium Lipsiae 1720.

ius rei luculentum recentiore aetate dant exemplum Lystrenses Actor. Apostol. cap. XIIII, antiqua credebat superstitio. Hae quidem residuae fuerunt antiquissimae et verae religionis vmbrae; ab ineptis autem vltimaeque memoriae ignaris hominibus fabellis, et, confusa lingua mutatisque pristinis domiciliis, contortis et deprauatis nominibus magis obscuratae, quas vero, omnibus discussis nebulis historica luce illustriores vbiuis reddere, et cum historia sacra contendere, labor erit incertus et lubricus.

Quo vero quis propius aberat a prima aetate et paene cognitionis humanae post eluuionem infantia, eo adcuratiorem, aut saltem non adeo commutatam habere poterat verae religionis notitiam. In qua quidem terra theologia non aeque ac apud Aegyptios, aut postea ingenio Orphei inter Graecos celebris, nec figuris hieroglyphicis et sacris arcanis ornata atque amplificata fuit, in ea nomina deorum vel ignota fuerunt, vti antiquissimis Graeciae populis sollemne fuisse videtur, id quod ipse Plato, cuius verba infra circa finem disputationis laudabimus, in Cratylo putauit, (de Pelasgis vide Batteux Geschichte der Meynungen der Philosophen etc. pag. 70 sqq) vel, vti apud Persas, auctoritatem publicam non obtinuerunt. Homerus vero, qui in adolescentia, vt ita dicam, et linguae graecae *) et cultus profani vixit et in Aegypto, sapientiae tunc sede, vbi commoratus dicitur, et inter suos quoque vestigia antiquae eiusque verae sapientiae deprehendere iisque insistere potuit. Quae vt clarius pateant, pauca addere liceat. Homeri aetas, id, quod ex marmore primo *Marmorum Oxoniensium* **). (Londin. 1732. ed. 2. vbi conferas Marshami obseruationem pag. 302.) pro-

*) vide cl. *Seyboldi* Schreiben über den Homer. Ienae 1772. pag. 36 sqq.

**) *Petauius* in rationario temporis I. part. 1. cap. 12. fin. natales Homeri in per. Iulian. 3701. incidisse putat. adde *Marsham.* in canone chronico. saec. XV. p. 437 sqq. Franek. 1696.

probari poteſt, in periodum incidit Iulianam 3807 annum poſt Troiae cladem 302. et an. 23. antequam Olympia ab Iphito et Lycurgo inſtaurata ſunt; quo quidem tempore ſacer codex, vnde Homerus haurire potuerit, in linguam graecam nondum translatus fuit. At vero ex Aegyptiorum et Graecorum ſcriptis, quae iniuria temporis interierunt, immo vero ex inſtitutis et ritibus ſuorum popularium, ſuam potius primum accepiſſe theologiam, ſuosque irrigaſſe hortulos, maiori iure contendere poſſumus. Namque ante illum magnos quoque extitiſſe poetas, theologos atque hiſtoricos, qui antiquiſſimis temporibus iidem fuere, non ſolum res ipſa et antiquitas docet, ſed Cicero quoque aliique ſatis comprobarunt. (vide *Cicer.* in Bruto cap. 18. *Clark.* ad Homeri Odyſſ. I. 357. et *Kuſter* in hiſtoria critica Homeri Sect. II. pag. 68. qui ex Euſtathio obſeruat, ante Homerum quosdam Iliaca ſiue Troiani belli hiſtoriam ceciniſſe, adde auctorem der Vnterſuchung des Lebens vnd der Schrifften des Homers, aus dem Engliſchen — im Hamburg. Magazin. Vol. XIII. part. 6. pag. 549 ſqq. qui multos recenſet auctores, qui ante Homerum de diis ortuque rerum cecinerunt. In primis Orpheus *) ſuis inſtitutis ac doctrina effecit, vt Graeci. feris moribus exutis, molliores redderentur; eiusque, qui ſacris Aegyptiorum initiatus fuit, imitatorem in his commenticiis tam diligentem fuiſſe Homerum, vt, quod quidem maiore videtur egere probatione, ab eius poeſi ne diſcedere quidem voluerit, ex Iuſtino Martyre atque Iſocrate comprobat *Voſſius* (in inſtitutt. poet. libr. I. pag. 17.)

Aegyptiorum vero mores et doctrinam non ſolum Phoenices, illorum coloniam, in Graeciam transtuliſſe, ſed Homerum quoque in Aegypto diu commoratum, multum inde traxiſſe coloris, ex Diodoro Siculo aliisque ſcimus. Quinimmo ex *Heliodoro* libr. III. Aethiop. p. 149. quem

*) vide *Batteux* Geſchichte der Meinungen der Philoſophen von den erſten Grundurſachen der Dinge p. 76 ſqq. pag. 83 ſqq.

Digitized by Google

quem locum acceptum refero Iablonskio in Prolegg. ad Pantheon pag. 55. et ex *A. Gellio* N. A. libr. III. cap. 11. cognoſcimus, fuiſſe, qui illum eſſe Aegyptium contenderent. Quae quamquam falſa ſunt, veri tamen aliquid huic fabulae ineſſe iudico. Veteres enim, haud ignoramus, eum regioni, in qua diu commoratus eſt, natales debere, haud raro adfirmaſſe. Narrat quoque Euſtathius, in prooemio ad Odyſſeam, auctore, vt ille commemorat, Naucrate quodam hiſtorico, Phantaſiam mulierem Memphticam, Nicarchi filiam, de Achille et Vlyſſe carmina quaedam compoſuiſſe, quae in templo Vulcani adſeruata Homero a ſcriba quodam fuiſſent tradita. (conf. *Marshami* canon. chronic. ſaec. XV. pag. 435.) Fac vero, Homerum inter Aegyptios non fuiſſe verſatum, quod quidem non facile crediderim, doctrinam tamen ab hominibus, diſciplinae illorum adſuetis, certe magnam partem accepit, vnde nos conuenientiam vtriusque theologiae perſpicimus. (vide elegantiſſimum libellum: *Vnterſuchung des Lebens vnd der Schrifften des Homers aus dem engliſchen durch* M. Agricola *veberſetzt*, in *Hamburgiſchen Magazin*, cum primis vol. 13. part. IV. VI. et vol. 14. part. III. IIII. vbi etiam pag. 304 ſqq. de Homero ἀοιδῷ agit.)

Quae huc vsque de ortu Mythologiae, et primae notitiae de deo Homericae diſputauimus, ea ad pleniorem theologiae Homericae ducent intelligentiam. Sequitur, vt antea; quam de Fato et Ioue illius poetae, et num e S. S. ſuam hauſerit cognitionem ſuaque effata ſumſerit mutua, curatius agimus, prius, qui illius vſus fuerit theologiae poeticus, paucis inquiramus, naturam rei hominisque in primis ſectando.

Homo, vt primum deum eſſe cognouerit, qui hunc mundum ſapientia moderetur resque humanas et ipſos homines iuſtitia, probos praemiis et beneficiis ornando, improbos malis adficiendo regat, (num germanam habuerit dei veri cognitionem, nec ne, haec diſputatio in quaeſtionem non venit) deum eſſe colendum, metuendum et pla-

placandum eique omnium rerum arbitro dominoque religiose obtemperandum vel duce sensu communi iam agnoscet. Quo vero alienior est a vera dei veri notitia, quo magis iis rebus, quae in sensus incurrunt, regitur et delectatur, eo magis, vt supra iam ostendi, res diuinas humanis metietur, et, si plures esse deos credit, cultum illorum, et, quae de diis cogitat, sensui adcommodabit humano, cultum religiosum et caerimoniarum adparatum excogitabit atque instituet. Quae a me dicta sunt, si cum iis, quae scriptores antiquiores de cultu deorum memoriae tradiderunt, et cum infantia generis humani, et cognitione nostrorum puerulorum comparaueris, ea vera esse deprehendes. Eam autem cognitionis humanae cultusque diuini conditionem tunc, quum Homerus scripsit, fuisse, eamque iusto loco exornatam ab eo, ex ipsius carminibus facile colliges. Eum enim deos suos horumque cultum finxisse, vel subtilis sacrificiorum descriptio, quam a consuetudine moribusque suae aetatis procul dubio sumsit, haud difficulter refutabit. Illa igitur cognitione, quam vsu partim, partim suo sibi ingenio parare potuit, instructus Homerus ad carmina scribenda animum adpulit. Tum poetam cogitemus necesse est epicum.

Ea vero est natura poeseos et carminis heroici indoles, vt, quae ob simplicitatem sensibus subiici nequeant, imaginationi hominum adcommodet, sub imaginibus et similitudinibus, quae sensus maxime adficiant, rem abstrusam proponat, hominumque animos et nouitate pelliciat et iucunditate varietateque. Cuius ingenium aptum est carmini epico condendo, ille coelum et terram, nubes et aquas sedibus suis mouet, res infandas canit, homines ad odium et misericordiam rapit, lacrimas extorquet, vel in illis lenem commouet risum. Ordo temporis turbatur, sed ita vt videatur minime turbari, nec venustati aliquid detrahatur. Diuinum, mirabile, sublimitas sententiarum, orationis flumen nos inscios secum rapiunt. Is poeta

sidera

ſidera petit, et prouidet, quo minus cadat in terram et ſerpat. Nouos creat deos, ſi res requirat, et, quod cognitum eſt, nouis inuoluit fabulis, verba tamen et facta tempori et hiſtoriae verae, quam exornat, quamquam multis exaggerationibus fictionibusque amplificatae, ingenioſe adcommodat. Hinc eſt in imaginibus pingendis et in fabulis audax quidem, at cautus tamen ferendis. Poeta, praecipue epicus, quidquid, animo commoto, videt non vt pictum, ſed, quod quaſi agat, conſiderat: ipſique rerum vniuerſitas laborare et agere videtur. Hinc num Homeri deſcriptiones eſſe poſſint allegoriae, iam iudicare poſſumus. Pictor quidem addere debet ſignum, quo dignoſcatur, reique veritas intelligatur: tunc igitur exiſtit allegoria. Iſto autem furore abrepti veteres poetae Olympum tanta deorum copia locupletarunt, quos vulgus, quoniam poetam a philoſopho aut oratore nec diſcernere, nec, quid interſit inter perſpicua et fabulis incluſa, ſentire poteſt, veros eſſe putauit. Atqui ciuitatum principes, rei publicae cauſſa, vt, quos ratio non poſſet, eos ad officium religio duceret, et plebs, his vinculis conſtricta a ſeditione aliisque flagitiis, quae rempublicam concutere, et funditus euertere poſſent, callide abduceretur, toti huic de diis opinioni et religioni publicam dederuut auctoritatem. (confer *Maximi Tyr.* diſſertat. 32. pag. 377 ſeqq. edit. 2dae Dauiſii, Londin. 1740.)

Quidquid igitur a vulgari dicendi agendique ratione abeſt, quidquid vim ſentiendi humanam excitat et incendit, quidquid denique ſublime et magnificum eſt, hominesque ad admirationem et animi commotionem abripit, id omne poeta epicus, quantum probabilitati poeticae et tempori inſtitutoque ſuo reſpondeat, iure ſuo optimo ſectatur. Quid vero eſt, quod vires ingeniumque humanum magis ſuperare, quod ſublimius eſſe videatur, quod homines magis commoueat, quam quod coeleſte eſt, et ſupra naturam atque ingenium hominum? Quid poſtea eſt, quod homines, qui ſeuerae diſciplinae Stoicae non

ſunt

ſunt alumni, magis delectet, quam fictio, quae quidem ad delectationem animi princeps pars eſt omnis poeſeos? Per ambages igitur et miniſteria deorum dignitatem, lumen, colorem et magnificentiam carmini ſuo primum parat poeta epicus, praeſertim is, ab cuius popularibus opinio illa de diis eorumque ἐπιφανείαις deprauata, quam ſupra explicui paucis, recepta, et frequens et celebrata eſt*). Quaeſtio enim illa de vſu mythologiae profanae hodierno, quem *Klotzius* in epiſtolis Homericis pag. 55 ſqq. oppugnauit, alii vero defenderunt, haud pertinet ad Homeri interpretationem. Actiones ergo deorum et caerimoniae diuinae, in quibus tamen Homerus, qui more antiquiſſimorum poetarum idem doctor morum et rerum geſtarum fuit, conſuetudinem ſui aeui et populi ſequutus eſt, partes fuerunt carminis Homerici praecipuae. Alterum, quod poeta epicus cum reliquis commune habet, eſt fictio, cuius ope a dogmaticis et hiſtoricis diſcernitur, ſuoque carmini vitam quaſi et id, quod nouitate et admiratione placeat, dare et in quo omnes ſentiendi et ideas rerum diuerſarum ſibi formandi vires exercere ſolet. Iucundo fabularum delinemento mitigat lectoris animum, iuſtisque verborum lenociniis exhilarat. Confer *Batteux* Einleit. in die ſchoen. Wiſſ. vol. II. p. 80 ſqq. Lipſiae 1762. Homerus igitur multa de ingenio ſuo addidit: multas actiones, quae ab ingenio viribusque hominum proficiſci aut ſecundum vires naturae euenire poterant, ſecundum theologiam ſui temporis popularem, ad carmen illuminandum diis attribuit, qua quidem ratione facile fieri potuit, vt deorum numerum muneraque augeret. Arcanae autem Aegyptiorum doctrinae initiatus, diſciplinae Orphei forſan haud ignarus et ſua ipſius ratione vſus numen quoddam

*) conf. *Hurdii* comment. de imitatione poetica: part. II. pag. 145 ſqq. Libri vtiliſſimi: Horazens Epiſteln an die Piſonen vnd an den Auguſtus mit Hurd. Kommentar vnd Anmerk. aus dem Engliſchen veberſetzt von Eſchenburg. Lipſ. 1772.

dam summum agnouit, reliquos autem daemonas, quos sua natio et aetas diuino cultu prosequebantur, tamquam homines in eminentiore et magis conspicuo loco positos, virtutibus viribusque maioribus ornatos, rerumque humanarum participes, et hominum, si rei magnitudo exigeret, socios, eosdemque eorum, qnae hominibus ad vitam et iucunditatem nessaria essent, egenos considerauit: quorum tamen corpus subtilius esset, ideoque potu ciboque alio, ac homines, aleretur: nisi in his, quibus vsus est poeta, vocabulis vestigia priscae linguae latere dixeris. Priscam quidem linguam sub antiquissimis regibus, qui postea dii censebantur vsitatam memorasse videtur, dum e. g. Iliad. ύ. vers. 74. de Phrygiae fluuio

οἱ Ξάνθον καλεῦς' θεοὶ, ἄνδρες δὲ Σκαμάνδρον

ait, vbi vide Scholiasten. Solertis enim historici fidem et personam induit, et nominis indicando mutationem: quippe dii sunt homines illustres, qui nonnullis abhinc saeculis fuerunt celebres: postea autem in deorum numero habiti sunt. conf. Scholiast. ad Il. ά 403. et *I. P. Milleri* V. C. comment. de deorum maxime Homericorum lingua. Vlm 1765. Haec si perpendimus, non est, quod cum Voltario (in Versuch veber die epische Dichtkunst) aut aliis de Homero iniquius sentientibus, deos Homericos adeo esse ridiculos, credamus, quamquam nobis doctrina Christi meliora edoctis illa profanorum hominum de diis opinio et deliria valde ridicula videantur. At enim, vt in Praecognitis ad Homeri interpretationem secundum sagaciorum hominum iudicium iam monui, dignoscamus tempora necesse est, nec, quae nostra est theologia cum antiquissima commutemus.

Iam vero Homerus, quum bellum, cuius excitus fata plurium gentium et nationum definiret, graue et diuturnum caneret, deos ab vtraque parte stetisse et casuum communium haud expertes fuisse, secundum opinionem vulgi et traditiones bene fingere potuit, et, exigentibus id

Digitized by Google

id poeſeos praeceptis, omnino debuit. Abſconditas autem Aegyptiorum de mundo deoque doctrinas ſub fabulis vulgatis ſuoque tempore veris habitis (vide Vnterſuchung etc, in Hamburg. Magaz. vol. XIII. part. I. pag. 75 ſqq.) propoſuit, iisque intexuit, et veram hiſtoriam imaginibus ac verbis, quae tali poemati eſſent apta, iucunde exornauit.

Quae quum ita ſint, varias poſitiones, quae paullo vberiore egent probatione, exinde conſequi videbimus: primum deos Homericos non eſſe res abſtractas, nec eſſe allegorias, quamquam interdum poſſunt ἀλλεγορικῶς explicari, et vero primis temporibus apud Aegyptios allegoriae partim fuerunt *); deinde quas propoſuit ſententias, quae vel ad religionem vel ad mores pertinent, eas non neceſſe eſſe, vt putemus, e codice ſacro fuiſſe deſumtas, ſed potius probabile videri, doctrinam de ſummo numine Homericam ex Aegyptiorum ſcholis originem ducere: denique Iouem cum reliquis diis fato eſſe inferiorem.

Ad primum quod attinet, poetae eſſe praecipuas partes, ſcimus, in rebus, quae ad religionem pertinent, deſcribendis, conſuetudinis et opinionum ab hominibus eius aetatis et loci, quorum mores picturus eſt, tunc adoptatarum, inprimis rationem habere. (vide *Hurdii* commentat. laudat. pag. 145.) Homerus igitur, quamquam doctrinam de diis popularem, quae primam a rebus vel naturalibus vel hiſtoricis duxit originem, abſurdam quidem atque anclem credere potuerat, eam tamen in carmine epico in vſum conuertere, nouisque fictionibus atque imaginibus ſine vlla offenſione exornare potuit debuit-

*) Quare Iupiter apud *Lucianum* in deorum concilio, ſ. 11. pag. 534. tom. III. ed. Reitzii Momo reſpondet: Turpiſſima ſane iſta nobis narras de Aegyptiis: Attamen pleraque illorum, Mome, ſunt aenigmata, neque omnino deridenda a non initiato: *τὰ πόλλα αὐτῶν αἰνίγματά ἐστι, καὶ οὐ πάνυ χρὴ καταγελᾷν ἀμύητον ὄντα.*

debuitque, Atque, vulgus, haud ignorabat, nisi figuris hominum constitutis, nihil posse de diis cogitare, atque imperitis nihil esse difficilius, quam a consuetudine oculorum et opinionum aciem mentis abducere. Qua propter opinionem suae aetatis aut saltem multitudinis ab subtilium allegoriarum scientia alienae, (quamquam vsum allegoriarum in sacris quibusdam non nego, sed multitudo eas non intellexit,) prudenter sequutus, illos deos, quos Heroica aetas aut sui populares venerabantur, tamquam naturas agentes resque humanas curantes, induxit, et, quoad rei carminisque grauitas postulauit, ingenii sui, quod quidem in hac inuentione quam maxime splendescit, beneficio finxit. Quae igitur *Riccius* in diss. Homer. tom. II. diss. 27 et 28. de allegoriis Homericis tam physicis, quam moralibus ingeniose quidem, at contorte disputauit, ea ingenio et aetati Homeri, vim inferre, videmus. Homerus vero, qui rem grauissimam suoque tempore adhuc notam carmine, quod omnibus gratum esset atque vtile, ornaret, tantum abfuit, vt, quae omnis religionis indoles est, si populo superstitioso res plane inauditas easque turpes de diis narrasset, et tam impudens mendaciorum habitus fuisset repertor, tanto plausu auditus; vt potius, alia eaque saniore recepta doctrina, ab omnibus explosus summaque ignominia et suppliciis fuisset adfectus, vt recte monuit *Clericus* ad Hesiodi Theogon. v. 211. Quare de diis ea cecinisse et finxisse videtur, quae ab opinione vulgi et probabilitate haud nimis abhorrerent, vt *Riccius* in diss. Homer. tom. II. diss. 28. pag. 90. et alibi, cum aliis iam recte censuit. Contra vero, si vel plane nullorum deorum fecisset mentionem, vel, vti Socrates postea fecit, confutata ista, saltem repudiata de diis opinionis leuitate futilitateque vnicum tantum, quem verum esse putauerit, loquentem induxisset, et huic ea, quae de diis commenticiis dixerat, attribuisset, poemati suo inter populares suos multum tunc detraxisset auctoritatis et fidei, atque in vitae discrimen ipse forsan vocatus fuisset. Ve-

ris

Digitized by Google

ris igitur falſa miſcuit ad docendum pariter atque delectandum et auram popularem captandam.

Quoniam tamen Troianorum eorumque ſociorum religio ritusque ſacri, diſperſis populis needum iudicio hominum de rebus diuinis ſacrisque ſtabili, ſed fluxo atque inconſtanti, ab Achaeorum horumque comitum opinionibus et caerimoniis diuerſi videntur: Homerum, vt ingenii vim oſtenderet, et vel hac in re vnitatem (verbo ſit venia) carminis ſeruaret, omnibusque, quos, quum *ἀοιδὸς* eſſet, conueniret, haud diſpliceret, multis ex Aegyptiorum et communi Troianorum Graecorumue doctrina fabulisque peruulgatis mutuis ſumtis, ea, quae argumento hiſtoriaeque fictionibus amplificandae apta et variis, quibus carmina recitauit, iucunda viderentur delegiſſe, eoque, quod noui ſpeciem haberet, particulos doctrinae ſacrae, quae hucusque inſtar fragmentorum diſperſae promulgabantur, in vnum quoddam ſyſtema redegiſſe, eumdemque perſonas finxiſſe poeticas: a vero non plane alienum iudico.

Et aliquid iam viderat *Maximus Tyrius*, diſſ. 32. pag. 381. cuius verba ex interpretatione latina adſcribere iuuat, quamquam eius interpretationi, in illa diſſertatione enunciatae non omninò ſubſcribo. „Videtur mihi, inquit, Homerus, quum et diuina naturae indole et iudicio exquiſitiſſimo et ſingulari rerum omnium eſſet praeditus experientia, hoc conſilio philoſophiae ſe dediſſe, vt ſub illa, quae tum temporis placebat, ratione metrica cum omnibus eam communicaret. Illa autem erat poetice: hanc ita propoſuit, vt nec Ionicam nec Doricam omnino eſſe vellet, aut Atticam, ſed quae toti eſſet communis Graeciae. Quippe quum omnibus loqueretur, omnes quoque Graeciae totius linguas in vnam aliquam poeſeos formam, ſimul et contulit et miſcuit: quo quidem illud eſt conſequutus, vt et accepta eſſent omnibus, quae ſcriberet, et perſpicua; ſingulis vero iucunda. Rurſus quum in toto genere humano pauciſſimos eſſe ſciret,

 qui

qui bene iudicarent, maximam vero partem populariter dici malle, nec in horum, nec in illorum peculiariter gratiam poesin diuisit suam etc. „ Inde porro videre mihi videor, qui adciderit, vt Homerus non statim, vbi diuersitas religionum atque opinionum adhuc floruit, camdem, vt ferunt, quam postea, consequeretur auctoritatem, pluribus ciuitatibus in vnam coëuntibus societatem vnamque profitentibus religionem, et vt contra argumento postulante, qui post eum fuerunt, in quibusdam placitis, vel suo ipsorum ingenio vsi, vel aliorum recipientes traditiones dissentirent. Iam inde etiam perspicere possum caussas, cur Homerus ab *Herodoto* II. 53. aliisque, et iis multo posterioribus, qui adeo sui temporis theologiam cum Homerica perperam confuderunt, antiquissimae Aegyptiorum et Graecorum doctrinae sacrisque non initiati, nouam confinxisse theologiam arguatur. Atqui Herodotea fides in rebus Aegyptiacis explicandis saepe labare visa fuit *Aristidi* Orat. Aegypt. pag. 577. et alibi. adde *Isaac. Voss.* ad Mel. I. c. 9. Nouum vero quoddam religionis systema, quod tamquam exemplum visum fuit multis gentibus, quum conderet, (vide *Hurdii* comment. laudat. pag. 201 sq.) haud mirum fuit, cur, qui insequuti sunt, poetae atque artifices ab Homeri, tamquam parentis, fabulis et picturis pluries haud discederent, et poeta noster veteribus audiret Theologus, de quo nomine confer *Cuper.* de consecratione Homeri Amsterd. 1683. pag. 105 sq. 111 sqq. qui etiam variorum tam veterum quam recentiorum hominum de Homeri theologia et philosophia sententias collegit.

Quamquam vero Homerus daemonas suos tamquam tales agentes induxit et considerauit, quorum naturae et motus animi ab humana infirmitate non omnino alieni essent, licet in hac fictione interdum fines pudoris transgressus fuerit, nec vbiuis ac plane excusandus, quamquam apud posteros Graecos in summa fuit auctoritate:

ta-

tamen *), id quod ſummo cuique viro adcidere ſolet, omnium odium, inuidiam et criminationem effugere non potuit. Enimuero iudices ſaepe ſederunt, qui iniqui eſſent, nec tempora discernerent, nec praecepta, quae epicus poeta ſectaretur, a ſacris et conſortio Muſarum alieni intelligerent. Adde, quod vel Graeci, qui Homerum vituperarunt, eo iam tempore vixerunt, quo, popularibus ſuis licet morum feritatem, et barbariem abiecissent, et maiore litterarum atque humanitatis fruiti eſſent vſura, ad ſummam delapſis ſuperſtitionem, acutiores veri lucem quaerere diligentius, et, diuerſis ortis haereſibus, de deo, ortu rerum humanarum animique, de virtutibus vitiisque humanis, quantum lucis in tam denſis tenebris videre poterant, perſpicacius diſputare et cernere coeperunt. Vt autem vituperationes cum veterum tum recentiorum, de quibus iam multi in vtramque partem diſputando egerunt, in praeſenti omittam: Xenophanem et Platonem nominabo, qui Homerum, quod de diis tam impie ſcripſit, eosque ira inflammatos, libidine furentes aliaque indecore patrantes induxit, et fecit, vt eorum bella, pugnas, proelia, vulnera, discordias, lamentationes, effuſas in omnem intemperantiam libidines, adulteria, vincula, mortalesque ex immortalibus procreatos videremus, acerbe adcuſarunt. De Xenophanis animo erga Homerum egerunt *Laertius* libr. VIIII. ſect. 18. et *Menagius* ad illum pag. 400. exempli Meibomii. Sententiam vero Platonis de pugnis formisque deorum *Küſterus* loco mem. pag. 51. et plurimi alii ſub examen vocarunt. Atque Platonem, quum perpendimus, Homeri carmina ſummis laudibus efferre, ſtilo ipſum poetico

*) Haec omnia pluribus recenſent, et teſtimoniis comprobant *Ludolfus Küſterus* in hiſtoria critica Homeri: Sect. II-VI. *Angelus Maria Riccius* hinc inde in diſſ. Homericis. *Gisbert. Cuperus* et *Io. Car. Schottus* in conſecratione Homeri. *Io. Rud. Wetſtenius* in diſſ. de fatis ſcriptorum Homeri per omnia ſaecula.

Digitized by Google

tico atque oratione allegorica res et sententias explicare easdemque opiniones, quas vulgus cum prudentioribu veras et diuinas esse putauit de diis, haud raro proferre mirum sane videri potest, illum Homero in libris de Republica vehementius succensere, eumque e ciuitate eiicere velle. . Vtrum tantum philosophum adcusemus leuitatis ingenii atque inconstantiae, an putemus, ab eo, licet aliorum gloriae atque ingenio inuiderit, Homerum, a cuius tamen vberrimo fonte innumeros illum in hortos academicos deduxisse riuulos, *Longinus* de sublimitate sect. XIII. pag. 101. exempli Tollii, et *Maximus Tyrius*, diss. 32. pag. 378. ostenderunt, propter aemulationem manibus ciuium fuisse ereptum quod huius se praestantiam, acumen et poematis maiestatem aequaturum, multo minus superaturum dubitauerat? *Riccius* quidem in diss. laudatis tom. 1. pag. 51 sqq. et *Zimmermann* de religione Homeri, in Museo heluetico part. XXVI. pag. 223. cum aliis hoc serio contenderunt. Hanc vero sententiam, quae famae Platonis aeternam inureret maculam, *Küsterus* libro exc. sect. VI. iam diu exsibilauit, et destruxit, recte, vt opinor, adseuerans, ab Homeri lectione imperitum vulgus arcuisse Platonem, metuentem, ne ea, quae illius voce fusa sunt, ipsa suauitate nocerent, et homines, si promiscuas de diis fabellas legerent, nec in arcana naturae et doctrinae sub inuolucris earum latentia acumine iudicii penetrare possent, prauis forte imbuerentur opinionibus. Rollinus in methodo discendarum elegant. litterarum Homerum opinatur eam ob caussam a Platone e republ. demissum esse, vt theologia philosophorum principatum obtineret: quod fieri non poterat, nisi poetae republica exclusi et carminum lectio vetita esset: praecepta enim poetarum in rebus diuinis sequebatur vulgus. Hac vero ratione Plato non adeo vehementer est adcusandus, quod facile potuit fieri, vt homines ex infima plebe aut sacris non initiati, praepostera de diis sententia concepta, praua facinora, caedes, adulteria litesque

tesque deorum excuſarent exemplis. Enimuero hac cautione, quum in religione Graecorum iſtae fabellae eſſent celebratae et a poetis tragicis aliisque propagatae atque amplificatae, tunc temporis vix opus fuiſſe videbatur. Quidquid eſt, Homerus figmentis illis audacibus et iucundiſſimis mendaciis tamquam gemmis, (etiamſi non omnes eiusdem fuerint pretii) diſtinctum carmen exornare, et poſteritati commendare debuit. Quo vero magis abſurdae nobis quidem iucundae illae fictiones videntur: eo minus adduci poſſumus, vt credamus, ab Homero ſacrum codicem fuiſſe lectum et adeo ridicule impieque corruptum: quod argumentum paucis adhuc perſequemur atque illuſtrabimus.

Ex iis, quae de origine Mythologiae Homericae huiusque vſu poetico latius diſputaui, iam patebit, Homerum ope traditionum et diſciplinae Aegyptiacae non minus quam beneficio ſplendidi ingenii multa, quae adcultum dei et mores emendatos pertinerent, ſcribere potuiſſe quae ab effatis ſacrae ſcripturae haud nimis abhorrerent. Ex ſimilitudine enim quadam duorum ſcriptorum nondum concludere poſſum, alterum alterius eſſe imitatorem vel potius compilatorem, id quod *Hurdius* in comment. III. laudata pluribus locis bene docuit, et ex conſideratione humani ingenii vſu litterisque exculti quilibet facile perſpiciet. Oſtendant igitur Boganus, Riccius, Duport, Dacieria aliique ſimilitudinem Homeri cum S. S. nubem proferant exemplorum, tamen nihil aliud efficere mihi quidem videntur, quam vt magis intelligam, in humano genere fuiſſe adhuc reliquias cognitionis cultusque diuini quasdam, et in denſiſſima ſuperſtitionis caligine exiguas ſcintillas priſtinae religionis hinc inde emicuiſſe, nec ingenium humanum adeo corruptum fuiſſe, vt omnia officia humanitatis et ſocietatis ignoraſſet, nec id quod honeſtum iuſtumque ſit, ſenſiſſet. Conferas quoque *Sanadonium* ad Horat. I. od. 10. in primis *Iablonsk.* in Prolegg. ad Pantheon pag. 44 ſeqq. Homeri potius animum,

 recti

Digitized by Google

recti ſtudium atque ingenii fertilitatem et perſpicaciam amo atque admiror.

At videamus, an non Riccius, qui vulgarem neque veteribus incognitam opinionem ſectatus magna copia et facultate dicendi cauſſam Iouis perorauit, ingenio et fidei nonnullorum nimium indulgens alucinatus fuerit. Eum igitur audiamus, ne iniuſte egiſſe videamur. Tom. II. diſſ. 33. pag. 132. „Homerus – inquit, quamuis de diis „disputans patriae religionis fabulas paſſim ſit conſectatus, „de diuinitate tamen ipſa, diuinisque rebus, atque attri„butionibus huiusmodi dicta paſſim effudit, quae virum „apprime theologum illum commendent: neque id tan„tum ſub figurarum atque aenigmatum velamine praeſti„tit, ſed ita aperte non raro atque euidenter, vt ſaltem „animo adhaeſiſſe illum ſolidae veri Numinis religioni, et „a futili tot inanium deorum abhorruiſſe non impruden„ter arbitreris. *Equidem ad hanc veri numinis agnitio„nem pertigiſſe puto, vel quod mentem capaciorem, incre„dibilemque ingenii vim ſortitus fuerit, vel quod Hebraeo„rum doctrinam ſacris voluminibus demandatam largiter „hauſerit.* „ Priorem equidem vltimae periodi partem veram eſſe cenſeo: poſteriori autem fidem, ſaltem probabilitatem detraho. Vberius vero ſuam *Riccius* explicuit ſententiam in diſſ. XXX. pag. 109 ſq. poſtquam amores Iouis ex narratione Moſeos Geneſ. VI. 2. ab idolorum cultoribus confictas et corruptas, infelici, quae quidem mihi videtur coniectura adſequutus eſt, „neque enim, ait, „dubium eſſe poſſit, Homerum, Heſiodum aliosque illius „aetatis, ſiue etiam aetatum antiquiorum ſapientes viros, „Muſaeum ſcilicet, Orpheum, Linum, et, ſi qui fue„runt alii, ea, quae diuinae litterae docent, plane non „ignoraſſe, - - ac proinde omne ſapientiae ſtudium coe„leſtis eſſe originis, et a Iudaeis veluti a fontibus in ex„teras gentes ita manaſſe, vt ſcriptores ethnici e ſacris „litteris plurima accepiſſe videantur: quae corrupta erro„ribus, fabulisque laruata vulgauerint. Neque vero il„lud,

„lud, quod vulgo iactatum accepimus, verum esse omnes „concedunt, Hebraeos ceteris nationibus sanctos libros „de industria abscondisse, maximeque, ne in earum ma- „nus aduenirent, cauisse.„ Quae de interpretatione LXX scribit, ea ad Homerum nil pertinent, quae quum ipse videret, pergit et „*potuerunt*, ait, *siquidem nosse chaldaicam linguam, in qua habebantur sacrae litterae, praesertim cum e Chaldaeis ab Abrahamo instructis, quem Eusebius, hist. libr. IX. c. 17. et Libr. X. cap. 2. appellat Chaldaicae disciplinae inuentorem, scientiae profluxerint tum ad Aegyptios, tum ad Graecos. Et quamquam id etiam a quibusdam denegaretur, potuerunt e sola consuetudine Hebraeorum vel ex Aegyptiis, quibus Hebraei tot annorum spatio commixti sunt, de religione doctrinaque sacra, quae viua voce et patrum traditione tunc seruabatur, donec Moyses litteris eam consignaret, abunde edoceri. Nam vel coecutientibus clare liqueat, eos illinc plurima ad falsas superstitiosasque religiones transtulisse, multa fabulis corrupisse, multa etiam integra seruasse. Profecto, si quis Homerum diligenter euoluat, librosque, quos Pentateuchi appellant, atque alios vsque ad Salomonem conscriptos, quae tantum e diuinis litteris potuerunt Homero esse nota, (cetera enim consequutis post eum temporibus conscripta sunt,) et vtraque ad trutinam expendat, tam multa passim offendet sibi inuicem maxime congruentia, et eodem non ingenio tantum, sed fere iisdem verbis expressa, vt sibi animum inducere nequeat, Homerum Hebraeorum doctrinae non fuisse apprime peritum.*„

Verum enim vero, quae argumenta satis magna firmaque esse putauit Riccius, homo alioquin eruditus, et quae quamdam veri speciem prae se gerunt, ea cum leuia sunt, tum etiam falsa. Adcidit enim Italo, quod nobis homuncionibus quotidie euenire solet: mouemur saepe aliquo acute concluso, labamus, mutamusque sententiam clarioribus in rebus; quid mirum in iis, in quibus aliquid inest obscuritatis? Si, Iudaeis Babylonem deductis

et in magna orbis parte dispersis, sua condidisset poemata, quamdam illa opinio prae se ferret probabilitatis speciem. Quid? si quis diceret, Danielis verba cap. V. vers. 27. qui, *Adpensus es*, ait, *in statera, et inuentus es minus habens*, aut verba in Esthera libro X. 10. *Et duas sortes esse praecepit, vnam populi dei et alteram cunctarum gentium*, aut Iobi XXXI. 6. *Adpendet me in statera iustitiae, et agnoscet perfectionem meam*, si quis igitur diceret, haec verba ex *Homeri* Il. 22. vbi Iupiter auream arripit libram, eiusque lancibus fata iniicit Achillis atque Hectoris, mutua esse sumta, et ab sacris illis scriptoribus Homerum esse lectitatum, nonne videres? Nonne potius putares, hanc similitudinem vel inter Orientales fuisse frequentem, vel e vita quotidiana vsuque sumtam? Pari modo, quis est, qui adfirmet, Virgilium, Horatium, Manilium, aliosque, quos dubito sacri codicis fuisse lectores et tamen scimus multa aeque sublimia et stilo sacrorum scriptorum apta et congruentia cantasse, ea, quae cum pandectis sacris conuenire viderentur, ex illis depromsisse? Nonne Homerus ingenio, quod erat in eo summum, excitatus, pari modo ac Moses et reliqui sacrarum litterarum scriptores carmen sublimibus figuris, et tropis similibusque imaginibus, quae poeseos sunt lumina, potuit exornare, quum maxime in Aegypto commoratus, dicendi genere quo populi Orientis vsi sunt, adsuefieret. Tum si ea, quae de ortu Mythologiae cum primis Homericae, de vsu illius poetico, de materia et structura carminis epici, et de eo, quod homines sagaciores, qui vltra plebem sapiunt, sui ingenii beneficio de religione et doctrina morum, nonnumquam possunt recte apteque iudicare, vberius disputauimus, in memoriam reuocamus, Homerum videbimus sententias de rebus humanis et diuinis, quantum per imbecillitatem humani ingenii et insipientem sapientiam profanorum ac barbarorum hominum licuit, aeque subtiles, ac in S. S. inuenimus, carminibus suis potuisse intexere. Quinimmo, si sacrum

crum codicem legiſſet eiusque dicta putaſſet vera, aut a Iudaeis verum accepiſſet doctrinam, qui fieri potuerit, vt de diis adeo inepte caneret, aut ridiculas confingeret allegorias, quas Riccius arbitratur, licet ſummum fictionis poeticae abuſum conceſſeris, animo comprehendere non poſſum. At alia protulit Riccius argumenta, quorum infirmitatem paucis oſtendere licet. Num Abrahamus omnis chaldaicae diſciplinae, quam neceſſitas, inopia terraeque ſitus ante Abrahami aetatem partim genuiſſe videntur, invector fuerit, num illa a Chaldaeis ad Aegyptios Graecosque profluxerit, nondum ſatis liquet, nec Euſebii auctoritas me mouet, vt illi ſententiae actutum ſubſcribam. Diligenti ſiderum conſideratione apud Chaldaeos, diuinus eorum cultus videtur eſſe ortus. confer *Batteux* Geſchichte der Meynungen der Philoſophen etc. pag. 20 ſqq. Fac vero, Abrahamum fuiſſe illius doctrinae parentem, ea, quae ab Abrahamo diſcere potuerunt Nili accolae, poſt mortem Ioſephi veteresque reges a peregrinis eiectos, interceſſo tanto temporis ſpatio, obliuione ſepelierunt. Atque ſi ſapientes antiquos ex diſciplina Patriarcharum quaedam retinuiſſe conceſſerim, ea commentis ita corruperunt poſteri, vt antiquata atque incognita viderentur. confer *Iablonskium* in Prolegg. ad Pantheon §. XXI. Vmbrae, inſtar vmbrarum, quae ſumma aeſtate, eaeque meridie corpus comitantur, remanſerunt, et corpus paene euanuit. Si ea, quae Rex Aegyptiorum cum Moſe loquutus eſt et egit, perpendimus, ignorantia ac ſuperſtitio iſtius populi quanta iam tum fuerit, abunde intelligemus. Iam vero quantum Aegyptiorum diſciplina linguaque a Iudaeorum doctrina fuerit diuerſa, vel ex eo patet, quod Ioſephus opera interpretum cum ſuis fratribus loquutus eſt, isque et Moſes inſtitutis illius populi imbuerentur neceſſe fuit. Atque ſequenti tempore ſuperſtitionem apud Aegyptios validum mox cepiſſe incrementum, et magis magisque obſcuratam fuiſſe veram ſummi numinis cognitionem, haud improbabile eſſe videtur. Quando denique

Digitized by Google

que ſacrum codicem legere potuit Homerus, quum Aegypti faſtidirent Iudaeos pecorum cuſtodes, et Iudaei non ſolum in cuſtodiendo codice cauti et tenaces eſſent, ſed etiam a conſuetudine cum profanis valde abhorrerent? Enimuero, quamquam plura ad diſcutiendam refellendamque Riccii eiusque ſimilium ſententiam adferri potuiſſent, haec, quae ſcripſi, ſufficiant. Primi quidem Aegypti incolae, quo propius aberant ab ortu et diluuio, hoc melius ea fortaſſis, quae eſſent vera, cernebant, nec figuris hieroglyphicis atque traditionibus adeo adulteratam ſummi numinis habebant cognitionem, quae tamen idolorum et magnorum virorum cultu atque ignorantia verae doctrinae poſtea ita deprauata et commaculata eſt, vt eo tempore, quo Homerus in Aegypto cum ſapientibus huius gentis verſabatur, hi deuios ſequerentur anfractus, luce relicta, in tenebris coeci ac debiles iacerent et plano deſerto per praecipitium labarentur. Hieroglyphica etiam atque arcana doctrina, quam Aegyptiorum ſacerdotes profitebantur, a pura doctrina alienior multisque corruptelis inquinata et commaculata fuiſſe videtur. Quare auctoritas Homeri me non mouet, vt credam, illum vnum in tanta omnium gentium ſuperſtitione veri lucem vidiſſe, et, repudiatis omnibus erroribus ſuique populi fictilibus et commenticiis ſententiolis atque opiniunculis, quibus a pueritia inſtitutus et conſuetudine cum aliis magis implicitus eſt, omnino non lapſum fuiſſe, quamuis, eum, facile largiar, multo iudicio, maiori ingenio et pluribus litteris, quam plurimos noſtrorum poetarum epicorum excultum, tantoque operi abſoluendo natum fuiſſe.

Quae quum ita ſint, num praeter ſui populi opiniones doctrinam de Fato et Ioue ex ſcholis Aegyptiorum non hauſerit, amplius videbimus. In tantis vero tenebris, quibus omnia Aegyptiorum arcana circumfuſa ſunt, vnicum *Iablonskium*, qui ſacrorum iura et ſacerdotum, qui omnium diuinarum rerum nomina, genera, cauſſas aperuit, omniaque in Pantheo Aegyptiorum (Francof.

1750)

Digitized by Google

1750) et Prolegomenis diligentiſſime explicuit, tamquam ducem ſequamur.

Aegyptii omnia in hoc mundo ex ſola materia deduxiſſe videntur, ipſa vero huius gentis numina, ex nocte progenita, fuiſſe ex materia orta et corpora mundi rerumque principia. (libr. I. cap. II. §. 4. 5.) Huic materiae et toti rerum naturae praefecerunt, et cum illa coniunxerunt Mentem infinitam aeternamque, quae particulas ſimiles inter ſe minutas, primum confuſas, poſtea in ordinem adduxit, corpora ſinxit et formauit, dein toti rerum naturae praeeſt omnia decernendo gubernandoque, quae reliquorum deorum, quos vulgus poſtea adorabat, actionum eſt cauſſa. (loc. mem. §. 6. 7. 8 ſqq. vbi ſententias philoſophorum quorumdam graecorum et effata Moſeos comparat, cap. IIII. §. 7 ſqq. et in Prolegg. §. 22.) quae quidem doctrina, tamquam reliquiae doctrinae de mundo creato purioris apud Aegyptios Phoenicesque conſeruatae, ad Graecos, multis factis adceſſionibus tranſiit. Praeter ea Aegyptii fatum admittebant aſtrologicum, eiusque poteſtati res humanas ſubiiciebant; ſed illud tamen ipſum ex voluntate, decreto et ordine ſummi numinis, quod φϑὰς vocabant, pendere volebant. Ex his origo doctrinae de Fato Iouis reliquorumque Deorum, cui tamen maiorem poſtea adferemus lucem, iam adparebit. Neque vero ab Aegyptiis ſpiritum illum aeternum fato cuidam eſſe ſubiectum, ſed fatum, ſiue rerum, quae euenire debebant, ordinem certum atque immutabilem ex illius voluntate ac decreto eſſe deriuatum, ſe haud abſurde hinc colligere exiſtimat Iablonskius (l. I. cap. III. p. 78.). Praeter ea a ſole et luna et cum his quoque a planetis reliquis, ex quibus inſignem vtilitatem in terram, quam incolimus, redundare ſentiebant, mundum noſtrum ſublunarem regi, vim vero illorum atque poteſtatem a mente aeterna limitibus circumſcribi, eorumque motum a ſpiritu potenti ſapientique gubernari, ſapientes Aegyptiorum vetuſti docuerunt. (cap. IIII. libr. I. coll. Proleg. §. 26, 27.) Hinc

factum

factum eſt, vt vetus Aegyptiorum ſchola duplicem mundum conſtitueret, alterum, qui mente cogitationeque tantum concipi poterat, alterum, qui affecerat ſenſus, (Proleg. §. 21. 22.) qui poſterior in ciuitatibus principatum publicamque obtinuit auctoritatem. Illum Spiritum omnium in mundo euentuum auctorem habuerunt Aegyptii, quem eam ob cauſſam ſibi finxerunt modo benignum et beneficum, modo iratum et triſtium malorum cauſſam, ideoque duplici cognomine diuerſo duplicique cultu venerari atque placare aequum duxerunt: quaecunque autem euenirent, per reliquos Deos eum efficere arbitrati ſunt. (vid. libr. I. cap. IV. pag. 83 ſqq.) Poſtera vero aetas a vera via declinans; hos mentis aeternae miniſtros Deos eſſe ſummos et omnium rerum dominos credidit. A phyſicis igitur rebus ratio tracta eſt ad fictos et commenticios Deos, quibus per fraudes ſacerdotum et principum ciuitatis multi adceſſerunt. Sequenti enim tempore praeſertim, quo florerent Graeci, nouis cum per Philoſophos, tunc maxime poetas fictionibus inuentis, primaque origine ignota, adulterata et ſacerdotibus relicta, factum eſt, vt tanta Deorum turba ſuperſtitioſe coleretur. Superſtitionem atque ignorantiam priſtini cultus ſequiori demum aetate tam abominandam fuiſſe; vt numinibus ex materia ortis et ſenſui obuiis, ſoli, lunae reliquisque ſideribus divinitatem darent, Iablonski per totum librum II. tom. I. bene diſputat. Sol igitur, cuius plura habuerunt Aegyptii ſymbola religione et cultu conſecrata, ſummum iis et ſanctiſſimum inter ſidera fuit numen, quod ſub nomine Amum, (Graeci vocarunt Iouem, multis vero nouis figmentis deprauarunt) venerati ſunt (libr. II. cap. II.) Planetae, quorum nomina ſunt incognita, apud antiquiſſimos Aegypti incolas in ſumma fuerunt religione, immenſoque cultu, qui tamen poſtea deſiit, aliis diis minoribus, a quibus illi veluti gubernarentur, adſignatus atque attributus. (v. cap. VI. libr. III.) Hos deinde Graeci imitati ſunt, qui etiam homines, a quibus magna vtilitas ad vitae

cultum

cultum essent inuenta, post mortem in deorum receperunt numerum, ipsasque res vtiles et salutares deorum vocabulis nuncuparunt. Confer *Ciceronem* de natura deorum II. 23. 24. qui, *alia quoque ex ratione*, inquit, *et quidem physica magna fluxit multitudo deorum*, *qui induti specie humana fabulas poetis suppeditarunt; hominum autem vitam superstitione omni referserunt.* Infra de Ioue disputaturi hoc repetemus, et vberius illustrabimus argumentum.

De Aegyptiis id Herodoti consensu firmat Iablonskius Prolegg. v. 28. 29. 30. Praeter ea tres constituerunt deorum ordines; quorum primus complectitur octo; secundus duodecim; tertius reliquos, qui ex illis originem traxerunt, vel illis adcesserunt. Nonne haec adprime conueniunt Graecorum opinionibus? Nonne ex his originem theologiae Homericae iam perspicimus, quum maxime ea, quae Iablonskius loco mem. latius explicuit, cum poeta nostro comparauerimus? Quare si id, quod ingenio poetico debemus, remouerimus, quid Homeri fuerit Fatum, quid de Ioue statuerit, nos videre, multisque locis illius poematis haud parum luminis adlaturos, denique, quae antiquissimorum Graiorum hisque finitimorum fuerit theologia, ostensuros esse, possumus aliquantulum sperare. Leuitas enim ingenii populi et calliditas principum effecerunt, vt, quae Poetae finxerant, pro veris subinde haberentur, veraque sapientia, multis vero captionibus corrupta, apud philosophos et sacerdotes recondita esset. Quare *Brumoy* (in Theatre des Grecs. tom. VI. pag. 244.) tempora confundit, qui duplicem fuisse statuit religionem, alteram theatri, alteram vitae, alteram mythologiam poeseos, alteram theologiam fabulis destinatam; nec ea, quae *Tyrius Maximus* diss. X. pag. 102 sq. cuius tota hac de re oratio lectu digna est, vel legit, vel ante oculos habuit. Sequenti tempore, vt Rollinus in methodo addiscendi litteras elegantiores pag. 226. iam tetigit, philosophi de rebus diuinis et hu-

manis

Digitized by Google

manis acutius et subtilius disputarunt, poetae vero traditiones et ritus opinionesque vulgi et in ciuitate receptas sequuti sunt. Contra haec aliaque eius generis quidquid cl. *Zimmermannus* loco mem. pag. 221. proferat, mihi quidem leue nec adcuratum videtur. Poetam enim nostrum neque ex Socratis eiusque adseclarum aetate neque e nostris temporibus, sed iis, quibus vixit, debemus diiudicare. Atque equidem arbitror, in explicando Homero id semper adtendendum esse, num deos, an Argivos Troianosue loquentes induxerit. Supra enim obseruauimus, auctorem carminis epici verba factaque debere personis et tempore adcommodare.

Fatum vero Homeri fuisse, quod Aegyptiis fuit animus mundi siue Mens, siue, si malis, huius animi decretum *) ex summa conuenientia et iis, quae *Varro* apud *Ciceronem* (Acad. quaest. libr. I. cap. 7.) de academicis dicit antiquis, qui vestigia veterum philosophorum Aegyptiorum legerunt, haud temere atque inconsiderate potest colligi: *quam vim*, inquit, *animum esse dicunt mundi, eumdemque esse mentem sapientiamque perfectam, quem deum adpellant, omniumque rerum, quae sunt ei subiectae, quasi prudentiam quamdam procurantem coelestia maxime; deinde in terris ea, quae pertinent ad homines; quam interdum necessitatem adpellant — nonnumquam quidem fortunam, quod efficiat multo improuisa haec, nec opinata nobis propter obscuritatem ignorationemque caussarum.* En! necessitatem, quae immutabilis est continuatio ordinis sempiterni, et quae non pars est mundi, sed ipsa mens visque infinita.

Manil.

*) Apud *Xenoph.* in Memor. Socrat. I. 4. §. 17. Socrates summum numen vocat τὴν ἐν πάντι φρόνησιν *sapientiam, quae est in hoc vniuerso*, et §. 18. τὸ θεῖον, ὃ τοσοῦτον καὶ τοιοῦτόν ἐστιν, ὥσθ᾽ ἅμα πάντα ὁρᾶν, καὶ πάντα ἀκούειν, καὶ πανταχοῦ παρεῖναι, καὶ ἅμα πάντων ἐπιμελεῖσθαι. *numen tantum et tale, vt omnia pariter videat, et audiat omnia, et vbique adsit, et pariter omnium curam gerat.*

Manil. II. 64 ſqq. canit:

— — — cum ſpiritus vnus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem,
Omnia peruolitans, corpusque animale figuret.

Stoicorum tamen doctrinam ne cum Homerica confundamus, cauendum erit. Sub hoc autem nomine formaque Mentis illius num priſcis et antiquiſſimis populis ſummum numen, quod nos Chriſtiani adoramus, latuerit, et ex hoc illa orta ſit, nec omnino negare nec tamen certe, et quaſi de tripode dictum definire audeo. Veritatem quidem rei ignorabant, aut eam per tenebras quaſi paulisper cernebant: quamquam beneficio rationis ad cognitionem numinis cuiusdam ſupremi eiusque ſingularis, ad cuius vnam prouidentiam ſingularium partium poteſtas referretur, in traditionibus non plane oblitterati, peruenire facilius potuerint. Ac poſteriores, vel Aegyptiorum ſapientia in animis plurimorum exſtincta, ſummum quoddam numen, cuius quidem verum nomen ignotum fuit, agnouerunt, vti ex inſcriptione in ara Athenienſi; deo ignoto dicata, et a Paullo celebrato, ex *Ouidii* Metam. I. 32. aliisque patet. Hinc etiam *Quinctilianus* Inſtitt. Orat. II. cap. 16. ſ. 12. (in edit. Burmanni, quem vide, pag. 88.) *Deus ille princeps*, ait, *parens, fabricatorque mundi* etc. Quidquid eſt, ex iis, quae ex antiquitate et religione Aegyptiaca protulimus, originem huius doctrinae videbimus. Apollo, magnus ille deus monet Il. XVI. 707 ſq. Patroclum, temere irruentem, vt recedat, dicitque, fatum neque Patroclo, neque Achilli vaſtationem Troiae addixiſſe: deos tamen, antea dixit Homerus vers. 693. homines poſſe ad mortem vocare: quod quidem, quum poteſtati deorum multa conceſſa fuiſſent, noſtrae non repugnat ſententiae. conf. Il. XVII. 98. 104. 328 etc. et plura loca, vbi de Ioue paullo inferius agemus. Quamquam vero illud fatum homini, poſtquam natus eſt, ſtatim deſtinatum fuiſſe, ex pluribus notum erit locis, tamen ex mente Homeri hominum libertatem non ſemper ſuſtulit.

Hinc apud poetam illud *praeter fatum*, *praeter necessitatem* saepe legimus; quod loquendi genus praeter Clarkium illustrat ven. Ernesti ad Odyss. I. 34. Iupiter enim ex interpretatione Clarkii ita loquitur: *Papae, vt scilicet deos mortales culpant! Ex nobis enim aiunt mala esse, hi vero et ipsi* sua stultitia praeter fatum (h. e. praeter decretum Mentis Animiue mundi) *calamitates patiuntur. Quemadmodum et nunc Aegisthus* praeter fatum *Atridae duxit vxorem sponsam, ipsumque occidit reuersum, gnarus grauis exitii, quoniam illi praediximus nos, Mercurio misso speculatore Argicida, vt neque ipsum occideret, neque ambiret eius vxorem: Ex Oreste enim erit vltio Atridae; postquam pubuerit et suam desiderabit dictionem. Sic dixit Mercurius, sed non menti Aegisthi persuasit bona consulens: nunc autem cumulate omnia luit.* Iupiter igitur loquitur: is non ex sua voluntate, sed ex fati decreto euenire res, satis declarat, se vero cum reliquis diis decreta Fati et euentum praedicere hominibus. Diuersus ergo omnino est a Fato et hoc inferior: tum, si homines sua ipsius culpa infortunium aut interitum sibi adcelerant, in eo libertate quidem vtuntur, at praeter decretum Fati iacturam rerum aut vitae faciunt. Homines autem id, quod deus secundum libertatem humanam hominibus permittit, aut hi patrant, vel primam ignorantes caussam fontemque mali, aut quod ignorare volunt, deo attribuere perperam solent: quae lex interpretandi ad multa loca difficilia tam in codice sacro, quam in Homero nostro aliisque rectius explicanda facit quam optime. Ita etiam in nostro loco vers. 32. Iupiter, aut potius Homerus secundum suam theologiam censet, quum in aliis locis Iliad. τ′ 86. 87. Odyss. λ′ 61 etc. Elpenor aut Agamemnon aut alii secundum consuetudinem hominum peruersam diis culpam et malorum caussam attribuunt. Rectam vero Homeri sententiam atque interpretationem iam adoptarant alii philosophi veteres, quod Clarkius ad v. 33. laudat. Habemus nunc praeter ea luculenta exempla, in interpretando

Home-

Homero, num deus an homines loquentes inducti fuerint, maxime videndum esse. Forsan tamen vers. 35.

Ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηστὴν — —

ὑπὲρ μόρον vel praeter voluntatem vel satius praeter omne ius ac decorum denotat. Nam quia aeternae illae leges, quas vocabulo fati nominauit, poeta consuetudine hominum permotus, ordinem designant non solum rerum physicarum, sed praeceptorum quoque, quibus homo, si vitam beatam rectamque ad virtutem et felicitatem consequendam, velit agere, parere debet, vbi quoddam vocabulum, quod Fatum etiam innuere videatur, reperitur, non semper esse de aeterna rerum connexione, seu anima mundi cogitandum, sed ordinem, voluntatem, honestum, mortem caedemque haud raro declarari, multa comprobant loca, quae tantum indicare sufficiat, e. g. Odyss. IIII. 266. 512. 783. Iliad. XII. 402. ex quo tamen vltimo vbi Homerus dicit Ζεὺς κῆρας ἄμυνε παιδὸς ἑοῦ, cum *Bogano* in Homero Hebraizante pag. 385, Iouem Fato esse superiorem, nolo elicere: Homerus poetice tantum dicit, Iouem e faucibus mortis filium suum ereptum seruasse. De potestate vocabuli κὴρ non est, quod post *Zeibichium* V. C. in eleganti commentatione *de cultu Mortis et imagine* p. 15. 16. copiose agam. Ita quoque *Virgilius*, germanus Homeri imitator Aen. IIII. 614. *Et sic fata Iouis poscunt* illud *Homeri* Iliad. I. 5. (de quo loco docte disputat cl. *Krebsius* ad Plutarch. de audiendis poetis pag. 145 sqq.) Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή vertere voluit. De vsu voc. δαίμων quaedam habet *Bourdelot.* ad Heliodorum libr. I. cap. 1. p. 12. et 13. sed minus plene disputat, ac de τῆς μοίρας significatione multis locis agit Eustathius. Illa enim vocc. apud Homerum fatum eiusue vim haud raro innuunt. Illud autem Homeri ὁ μὲν ἐν μοίρῃ πέφαται (Odyss. XXII. 54.) Scholiastes atque Eustathius interpretantur δικαίως, δεόντως, quam expositionem Henr. Stephanus,

Digitized by Google

Barneſius atque Erneſti, quem ad hunc locum videas, ſequuti ſunt: contra vero Clarkius reddidit, *fato ſuo interfectus eſt*, at non ſatis diligenter. Ex interpretatione igitur latina de ſententia atque opinione Homeri non eſſe iudicandum, ex hiſce intelligimus.

Pari modo Homerus Odyſſ. I. 7. multos ſocios Vlyſſis, quod huius monitis et conſiliis non ſemper paruerunt, ſua ipſorum inſipientia periiſſe canit:

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο.

Euſebius igitur (Praepar. euang. libr. VI. cap. 8.) ex hoc aliisque locis, Homerum ſententiae iſti, a Fato et neceſſitate regi omnia, non ſuffragari, minus adcurate collegit. confer *Clark.* ad vv. 7. 32. 33. *Dacieriae* longas diſpp. ad loca memorata, et ſcriptorem vitae Homeri pag. 337. cuius verba cl. *Zimmermann* pag. 204. loc. excit. in Muſeo Heluetico laudat. Quare poeta licet decretum Fati immutabile eſſe frequenter fateretur, neque Fatum, neque deos, inprimis Iouem, qui decreta Fati exſequeretur, iniuſtitiae adcuſabat; ſuis homines criminibus et culpa meruiſſe poenas et praematurum interitum, haud raro profeſſus: quamquam Heroes Homerici, more hominum, de quo paullo ante diſputaui, ad hoc ineuitabile decretum, dum illius cauſſas ex diſciplina hominum etiam ſapientium, non videbantur ſibi reperiſſe, confugiebant, acerboſque euentus ſolebant iniquitati atque acerbitati deorum adſcribere, eoſque conuiciabantur, vbi hos rerum exitus cum iuſtitia et bonitate deorum ab aliis depraedicata non poſſent conciliare. vide longam diſp. *Burm.* I. ad Virgil. Aeneid. II. 428. 433.

Noſtram ſententiam *Plutarchus* de audiendis poetis pag. 32. exempl. cl. Krebſii ad loca Homeri Odyſſ. IIII. v. 197. et Iliad. XXIIII. 515. illuſtranda iam tuitus eſt. Nam, *non ſimpliciter*, inquit, *omnibus hominibus miſera vita a diis fatali neceſſitate deſtinata eſt, ſed ſtultis atque imprudentibus, quos, prauitatis ſuae cauſſa miſerabiles quum ſint, miſeros ſolet adpellare et aerumnoſos.* Quam-

Digitized by Google

Quamuis cl. *Krebſius* pag. 135. ſuae editionis, cui ven. *Erneſti* ad loca Homeri memorata adſentitur, illa Homeri verba a Plutarcho male eſſe intellecta, illasque ſententias de omnibus interpretandas eſſe doceat, in poſteriore tamen loco, Achillem loqui, conſiderandum venit, et ex Plutarchi verbis mentem antiquiſſimorum philoſophorum, quos, quoad in carmine epico fieri poterat, ſequutus eſt poeta, a fato non omnem ſublatam eſſe hominum poteſtatem, poſſumus perſpicere. Homines vero, improbos prius, quam per rerum neceſſitatem ſuasque naturae vires fieri debuerat, poenas luere ſuaque culpa interire, quodammodo etiam poteſt fati nuncupari decretum; id quod *Menander* apud Plutarchum libr. mem. cap. V. pag. 38. clare tradit:

Ἑιμαρμένον γὰρ τῶν κακῶν βϐλευμάτων
Κακαὶ ἀμοιβαὶ ἐςὶ καρπϐσθαι βροτοῖς.
Fatale namque conſilia eſt propter mala
Mortalibus triſtes repandier exitus.

Quae de Achille Iliad. VIIII. 410. ſqq. (ad quem locum conferas *Euſtathium* pag. 760. edit. Rom.) cui optio erat relicta, num longam vitam ſine gloria, ſi bello Troiano ſe ſubtraheret; an breuem, ſed maxime glorioſam, cuius fama apud omnes poſteros celebris eſſet, ſi apud Troianos pugnando perſeueraret, degere vellet, princeps poetarum cecinit, noſtram ea firmiter ſtabiliunt ſententiam. Nec eſt, quod cum *Seruio* (ad Virg. Aen. IIII. v. 696. *Quia nec fato merita nec morte peribat.*) duplex fingam fatum, denunciatiuum et conditionale, nec cum *Euſtathio* ad Il. VI. 95. pag. 626 et *Riccio* tom. III. libr. mem. pag. 118. alterum, quod certum eſt atque eneluctabile, eluctabile alterum, ac ſub conditione quadam latum. Hoc enim diſcrimen e ſcholis recenſiorum philoſophorum, quorum, quod ex reliquiis libri *Ciceronis* de Fato, in primis capp. 13. 14. cognoſcere licet, alii aliam de fato fouerunt ſententiam, in Homerum videtur minus diligenter illatum. Ἑιμαρμένη tamen, quod vocabulum Men-

Digitized by Google

tem mundi, siue nostrum Fatum proprie designat, precibus hostiisque ita placari posse credebatur, vt, cum homine quasi reconciliata, desisteret a poenis, illi ob praua facinora decretis. vide Eusttath. loco excitato. Quod autem philosophi antiquiores in Fato Homeri interpretando inter se dissentiebant, id inde euenisse arbitror, quod suae quilibet sententiae patronum adpellauit Homerum. Nam, vt *Seneca* epist. 88. ait, „modo Stoicum illum „faciunt, virtutem solam probantem; et voluptates re„fugientem, et ab honesto ne immortalitatis quidem pre„tio recedentem: modo Epicureum, laudantem statum „quietae ciuitatis et inter conuiuia cantusque vitam exi„gentis: modo Peripateticum, bonorum tria genera in„ducentem, modo Academicum, incerta omnia dicen„tem. Adparet nihil horum esse in illo, quia omnia sunt. Ista enim inter se dissident." Nos vero Homerum ex suis ipsius carminibus et doctrina Aegyptiorum melius explicabimus, et Fatum Homeri fuisse arbitramur, quum omnia caussis antecedentibus et naturali colligatione conserte contexteque fierent, hac tamen lege, vt et in deorum, Fati veluti ministrorum, et in hominum potestate multa essent. Quod quum ita sit, poetam de Fato diuerse loquentem commode apteque possumus explanare; nec opus est, vt eum arguamus inconstantiae, aut in captiosis recentiorum sententiis, aut in contortis longeque petitis explicationibus aliquid quaeramus praesidii, aut ad codicem sacrum, quem omnino dubito, ab Homero lectum fuisse, confugiamus. *Anile sane et plenum superstitionis fati nomen ipsum*, visum fuerit *Ciceroni* de Diuinat. II. 7. vbi multa contra fatum, sed Stoicum, ab Homerico paulisper diuersum, disputat; ridiculum nobis quoque ad veri dei cognitionem redeuntibus videatur. Homerum tamen, cognoscimus, abiectis religionum et opinionum vulgi suorumque popularium sordibus faecibusque, pro ea qua valuit, mentis acie, et ea, in qua tunc temporis homines versabantur, veri diuini cultus

deique

Digitized by Google

deique summi ignorantia, de rerum nexu et euentu, de sapienti numinis sui supremi omnium rerum administratione curaque, acutius, quam vulgo putant homines, et subtilius disputasse. Quod si Fatum, siue Mens mundi supremum esse ille putabat numen, facile inde consequitur, Iouem illi non parem fuisse, multo minus eo superiorem; nec vt posteriores Stoici, Seneca aliique putarunt, (vide *Cherbury* de religione Gentilium pag. 47. aliosque) Iouem et Fatum vnam eamdemque fuisse naturam: id quod vberius, quantum ex comparatione locorum diuersorum cognouisse nobis visi sumus, discutiemus, et iudiciis peritorum hominum subiiciemus lubentissime. Facile enim fieri potuisse, haud negamus, vt etiam nos in tanta antiquitatis omnis caligine lapsi veri lucem non omnino cerneremus.

Quare primum valde dubito, num poeta sub Ioue deum, quem nos Christiani colimus, intellexerit, quod, vt mihi quidem videtur, tale est, quale, si quis cum Tollio artem chemicam in Homero quaerat. *Riccius* in diss. Homer. tom. II. pag. 133. *Principio*, ait, *extra omnem controuersiam poni uidetur, quod supremum unum deum omnium auctorem et conditorem agnouerit in Ioue, quum omnes ex eo originem trahere adfirmet, patremque illum adpellet hominum deorumque.* At enim *Pater*, vt supra iam ostendi, honoris ac dignitatis, non naturae vocabulum saepe est. Deinde ex iis quae antea protuli, Iehouam neque e S. S. neque ex consuetudine cum Iudaeis illi plane notum fuisse, probabile videtur, etiamsi non negauerim, eum vel sola duce natura et ratione quosdam inueteratos errores et fraudem religionis perspexisse.

Atque etiam, quamquam, Homerum vulgarem sui temporis opinionem haud raro amplexum esse, et res, quae vel ad naturam vel morum doctrinam pertinerent, fabulis inuolutas tradidisse, multa noua quoque ad poemata illuminanda acumine ingenii sui diuini excogitasse, et poetarum veterum vestigia pressisse, iam satis super-

 que,

Digitized by Google

que, credo, commonſtraui: mente tamen comprehendere atque intelligere nequeo, a poeta, qui multarum fabularum parens ab Herodoto aliisque veteribus traditur, ſi veram, nec figmentis corruptam de deo habuiſſet cognitionem, et de Ioue tamquam omnium rerum moderatore et rectore praeconium feciſſet, hunc tanta ſcelera, et tam nefaria inhoneſtaque patrantem fuiſſe inductum. Cum Euſtathio, Riccio, aliisque ad vindicandum Homerum in allegoricis interpretationibus, quas quidem ipſe Riccius ſaepe reiicit, omne praeſidium quaerere, inque Iouis concubitu cum Iunone aeris mixturam intelligere, mihi quidem a praeceptis et natura poeſeos non minus, quam ab ingenio polito poetae prudentis et callidi alienum eſſe videtur. Vulgari theologiae immiſcuit Aegyptiacam: qua quidem ratione contortas illas et violentas explicationes facile euitare poſſumus. Quid iuuat, in muſtaceo laureolam quaerere, et poetae praeſtantiſſimo omnem detrahere ornatum? Quum enim magni ſit ingenii reuocare mentem a ſenſibus, et cogitationem a conſuetudine abducere, ea, quae vulgus vera eſſe credidit, quod quidem et prudentia et leges carminis epici iubent, poemati intexuit, ita tamen, vt ex aliis locis prudentiores eius ſententiam de deo ſiue Mente poſſent perſpicere. Riccius ſibi ipſe non ſatis conſtare videtur. In diſſ. enim XXX. maieſtatem dei optimi maximi in Iunone, in Pallade ſapientiam, in Venere pulcritudinem, in Marte fortitudinem a primis poetis autumat fuiſſe adumbratas, et ſolem eſſe oculum Iouis. Ego vero ab Homero id factum fuiſſe, dubito. Iupiterne ſemet ipſe vulnerauit, cum Ioue ipſo rixatus eſt et concubuit? Deinde leue mihi quoque videtur, quod ibidem de Iouis aliorumque deorum amoribus cum feminis mortalibus adfirmat, quos a deorum cultoribus ex eo confictos eſſe putat, quod Moſes litteris conſignauit, Geneſ. VI. 2. de concubitu filiorum dei cum filiabus hominum: atque nomine filiorum dei commonſtrari angelos, ſerio docuiſſe Ioſe-

Iosephum. (Antiqq. I. cap. 4.) Sed enim apud antiquissimos homines fabulam inde forsan manasse, nec negarim, nec adfirmarim: Homerum autem, a quo Riccius sacrum codicem fuisse lectum, et in Ioue celebrari summum numen, contendit, illis firmiter inhaesisse traditionibus, vir doctus, ordine praesertim temporis turbato, in suam me sententiam vix ac ne vix quidem perducet. Iehoua enim Iudaeorum numquam legitur feminas concupisse, nec, reliquos deos esse, qui in codice sacro angeli vocantur, mihi quidem probatur. Sic nos homines, praeconceptis quibusdam opiniunculis, destituti atque illusi errare atque alucinari solemus.

His adcedit, quod Ioui eas virtutes adsignat Homerus, quas reliquis coelestibus tribuit, si diuina illa loca de aurea catena, de doliis ante Iouis pedes, et summa vi atque potestate, de quibus infra agemus, excipias. Eadem maiestas in sublimibus illis et elegantissimis locis, atque, opinor, vnicuique litterarum graecarum cupido probe notis, vbi Iupiter non minus quam alii dii magnum iter paucis gradibus, tremente mari, monte et terra, conficientes finguntur a poeta, de illis diis praedicatur: et Thetis vno saltu aethere in mare desiluisse dicitur Iliad. I. 532. quae quidem virtutes summo numini in S. S. adtribuuntur.

Tum nihil reliquis diis aeque ac Ioui incognitum esse Iliad. γ. 308. clare docet poeta, canens:

Ζεὺς μέν πȣ τόγε οἶδε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
Ὁπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐςίν.

Odyss. autem δ. 468.

Θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασιν.

Denique vt de aliis virtutibus Iouis, quas cum ceteris diis habet communes, taceam, ille, non secus ac reliqui, iustus erga homines puniendo sceleratos, ornando autem beneficiis probos describitur: Odyss. δ. 237.

Ζεὺς ἀγαθόν τε, κακόν τε διδοῖ.

 Ibidem

Digitized by Google

Ibidem π. 211.

'Ῥηΐδιον δέ θεοῖσι, τοὶ ὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν
'Ημὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν, ἠδὲ κακῶσαι
Facile nempe diis, qui coelum latum habitant
Et illustrem facere mortalem hominem et vilem reddere.

Conf. Odyss. ζ. 118. coll. Odyss. θ. 167. sqq. rel.

Quomodo deinde, Neptunus, Vulcanum adpellans regem (Iliad ό. 214) se Ioui dicere potuit esse parem et sorte et fato, si Iupiter Fati dominus esset? Ita enim loco memor. vers. 208. seqq.

Αλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει,
'Οππόταν ἰσόμορον καὶ ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ
Νεικείειν ἐθέλῃσι χολωτοῖσιν ἐπέεσσιν.
Sed hic grauis dolor cor et animum occupat,
Cum parem sorte et pari destinatum fato
Obiurgare vult iracundis verbis.

Sed de eo, quod Homerus Iehouam sub Iouis persona non intellexerit, sententiam nostram adfatim dixisse nobis uidemur. Sequitur, vt breuiter perstringamus locum, vtrum ex mente Homeri Iupiter superior sit Fato, an inferior. Iouem Fatum non esse, atque hoc idem, quod Mens, summum Aegyptiorum numen, in cuius dominatu teneantur et regantur omnia, supra de Fato Homeri disputantes, comparando loca poetae nostri cum iis, quae de Aegyptiorum religione doctrinaque adhuc essent cognita, satis explicitum arbitramur. *Riccius* quidem multis locis laudatarum dissertationum Iouem tamquam rerum principem, cuius potestati vel fatum subiectum sit, apud Homerum deprehendisse sibi visus est, et cl. *Zimmermannus* in commentatione de religione Homeri, in Museo Heluetico part. XXVI. totus in eo est, vt neget, a poeta diuinam et supremam vim esse Fato tributam atque adsignatam. Mihi vero ab his viris doctis, quorum famae gloriaeque nominis meo dissensu nihil detrahere audeo, paullulum discedere liceat. Multa

Digitized by Google

enim loca sunt, in quibus liquido doceat poeta, Iouem non esse Fatum, et cum reliquis diis sub imperio et potestate Fati fuisse, Mentis voluntatem iussaque exsequutum. Homerus omnibus hominibus ex aequo mortem destinatam esse, dicturus, Mineruam loquentem inducit, quae ad Thelemachum Odyss. γ. 231. seqq.

Ρεῖα, inquit, θεὸς γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαῶσαι
Βυλοίμην δ' ἂν ἔγωγε καὶ ἄλγεα πολλὰ μογήσας
Οἴκαδέ τ' ἐλθέμεναι καὶ νόστιμον ἦμαρ ἰδέσθαι
Η' ἐλθὼν ἀπολέσθαι ἐφέστιος, ὡς Ἀγαμέμνων
Ὤλεθ', ὑπ' Αἰγίσθοιο δόλῳ καὶ ἧς ἀλόχοιο.
Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον ἐδὲ θεοί περ,
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν· ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλησι τανηλεγέος θανάτοιο.

Facile deus; si quidem voluerit, etiam e longinquo virum seruauerit.
Mallem vero ego etiam dolores multos passus
Domum redire, et reditus diem videre,
Quam reuersus perire propria in domo; vti Agamemnon
Periit, Aegisthi dolo et suae vxoris.
Verum enimuero mortem omnibus aeque grauem neque dii ipsi
Etiam ab amato viro possunt arcere, quandocunque tandem
Fatum perniciosum corripuerit longum somnum adferentis mortis.

Vide! contra Fati decretum ne dii quidem a morte seruare possunt hominem, cui si moriendi tempus venerit. Fati igitur vis viribus deorum atque adeo Iouis est superior. Ante tempus quidem a Fato decretum vel homo sua ipsius culpa vitam potuit finire, vel diis e viuis eum eripere licuit: id quod praeter fatum, praeter necessitatem fiebat: at vltra tempus a Fato finitum nulla vis eum a mortis

mortis vinculis poterat liberare. Vti autem homines, ita etiam vrbes ciuesque regebantur Fato. vide *Burmann.* ad Ouid. Heroid. I. verſ. 28 et 101. Alia ex Homero addamus loca, ne vno exemplo omnem controuerſiam in procinctu quaſi leuiterque tranſacturi videamur. Herculem, dicit, quamuis Ioui fuerit cariſſimus a Fato iraque Iunonis ſuperatum occubuiſſe. Iupiter ipſe Iliad. XVI. 433. ſeqq. conqueritur, in fatis eſſe, vt Sarpedon a Patroclo ſuperetur, et dubitat, contrane fatum ſit, vt eum e pugna viuum ſeruet:

Ὤ μοι ἐγών, ὅτέ μοι Σαρπηδόνα, φίλτατον ἀνδρῶν,
Μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.
Hei mihi, quum mihi Sarpedonem, cariſſimum hominum,
In fatis ſit a Patroclo Menoetiade domari.

conf. Clark. ad h. l. et obſſ. miſcell. vol. III. tom. I. pag. 11. *Riccius* vel his verbis, Iouem Fati arbitrum innui putat diſſ. XXXIII. pag. 134. quod quidem, etiam quum Iupiter poſtea ſecum deliberat, num Sarpedona e pugnae periculo ſeruare velit nec ne, nondum perſpicio. Fati fuit decretum, Sarpedonem, ſi cum Patroclo dimicaret, in hac pugna interiturum eſſe. Amore autem illius captus Iupiter ſecum dubitat, num eum a pugnando reuocatum ſeruet, an pugnam et interitum a Fato tunc decretum permittat. Quare non eſt Fato ſuperior, et Iuno ibidem verſ. 440. ſqq. grauiter inuehitur in Iouem, et, virumne inquit, mortalem iam olim deſtinatum mortis fato (πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ) rurſus vis a morte triſti liberare? et verſ. 435. addit: ſi viuum dimiſeris Sarpedonem ad ſuam domum, perpende, ne quis deorum poſthac deorum velit et aliis e proelio filium ſuum abducendum curare. Nonne, ſi Iupiter fati eſſet arbiter, reliqui etiam dii eadem valerent auctoritate, iidemque forent fati arbitri, quod tamen negat Riccius? Secundum meam vero interpretationem nulla orietur difficultas.

cultas. A pugna Iupiter aeque ac reliqui dii quemlibet poterant retinere, quin Fato viderentur ſuperiores. Illam vero orationem ſiue hiſtoriae ſiue philoſophiae auctor ita expreſſiſſet: Vtrinque fortiter pugnatum eſſe, Sarpedona autem virtute Patrocli victum ſuccubuiſſe. At poeta, ſe carmen epicum ſcribere cogitans, Iouem de Fato conquerentem et dubitantem, Iunonem vero increpantem inducit, quo et gratiam, qua multum valuit Sarpedon, et fortitudinem Patrocli viuis depingat coloribus, ſuoque carmini maieſtatem comparet ac venuſtatem. Pari modo Iliad. XVI. 647. vbi Iupiter ſecum deliberat, num Hector Patroclum iuxta corpus Sarpedonis interficiat, an in fugam verſus vrbem convertat, (et Hector Iouis voluntati ceſſit, *γνῶ Διὸς ἱρὰ τάλαντα.* v. 658), cum multis aliis ſimilibus locis, quae omnia, ſuperfluum foret, vberius explicare, de ancipiti pugna explicandum cenſeo. Quidquid eſt, ex iis adlatis locis, quae Homerus de Ioue, praeſide quidem reliquorum deorum, ſed Fati voluntati ſubiecto, cogitauerit, nos luculenter videre arbitror. In explicando autem poeta caueamus arbitremur, eum *methodo mathematica* verſus fudiſſe, vt corpus theologiae conficeret, aut more hominum, qui compendiola philoſophica conſarcinare ex aliisque compilare ſolent, omnia *ſcientifice* explicuiſſe. Aeque errabit is homo, humanitatis artisque poeticae rudis, ac ſi quis cum philoſopho quodam aetatis noſtrae ſententias poetae cuiusdam ſecundum praecepta de *ſyllogiſmis* examinatas falſas ineptasque iudicaret. Illa diuerticula, in quibus quidem multi et veterum philoſophorum, maxime, qui e ſchola Platonis fuerunt, et eorum, qui hodie docti videri volunt, vagati ſunt, in vate noſtro interpretando, vitabimus, mediaque inſiſtamus via, nobiscum reputantes, epicum carmen nulla re alia, ac figmentis poeticis poſſe magis exornari atque illuſtrari. Nam

Exit in inmenſum fecunda licentia vatum,
Obligat hiſtorica nec ſua verba fide.

Enimue-

Enimuero ad Iouem Homeri redeamus. Iliad. XV. v. 168. sqq. Iris a Ioue ad Neptunum mittitur, et nomine Iouis mandat, vt Neptunus, qui et natu minor et potentia inferior sit, e pugna proelioque discedat. Neptunus autem ira inflammatus respondet vers. 185. sqq.

Ὢ πόποι, ἦ ῥ᾽, ἀγαθός περ ἐὼν, ὑπέροπλον ἔειπεν,
Εἴ μ᾽ ὁμότιμον ἐόντα βίῃ ἀέκοντα καθέξει.
Τρεῖς γάρ τ᾽ ἐκ Κρόνου εἰμὲν ἀδελφεοὶ, οὓς τέκε Ῥέη,
Ζεὺς καὶ ἐγὼ, τρίτατος δ᾽ Ἀΐδης ἐνέροισιν ἀνάσσων.

Eheu! certe, potens licet existens, superbe loquutus est:
Si me, pari honore praeditum, vi inuitum coercebit.
Tres enim ex Saturno sumus fratres, quos peperit Rhea,
Iupiter et ego, tertius autem Pluto inferis imperans.

Tum recenset distributionem vniuersi inter tres fratres: sibi obuenisse maris imperium, Ioui obtigisse coeli regnum, Plutonem autem apud inferos imperare: terram tamen et Olympum omnium esse communem: quare Iupiter imperii seueritatem in filios filiasque, non in Neptunum, illi parem exercere posse declarat. Videmus, quomodo Homerus theologiae vulgaris sectatus placita, suam tamen sententiam dilucide explicuerit; Iouem vero, quamquam Neptunus minor natu frater cesserit, non supremum iudicem et moderatorem fati ab eo habitum fuisse. Marium enim dominus, se quoque Iouem, hoc est regem esse, et intra suos imperii fines, aeque ac Iouem in coelo, regnare contendit. Quod sane Homerus, qui si Iouem Fati, atque adeo omnium rerum rectorem statuisset, fingere, et deos ita loquentes inducere non potuit. Primum porro locum occupare Iouem, et reliquis diis praeesse, concesserat ipsa Iuno, maledica illa et furiosa vxor, in isto deorum concilio Il. IIII. 51. nihilo tamen minus eadem illa, se, clamat, dignitate aequare Iouem, (a quo licet se potentia vique superari fateatur, vers. 56.) et se negat permis-

permissuram, vt Iupiter vrbes sibi potissimum caras, et quas in tutelam recepit, inuita ipsa euertat. Iuno enim vers. 57. 58.

> Ἀλλὰ χρὴ, inquit, καὶ ἐμὸν θέμεναι πόνον οὐκ ἀτέλεστον
> Καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν ὅθεν σοί.
> *Sed oportet et meum facere laborem non irritum,*
> *Nam et ego dea sum, genus autem mihi inde, vnde tibi.*

Antea vero, se, adfirmat Ioui, Argum, Spartam, et Mycenem, quando exscindere velit, quamquam sibi caras, non esse propugnaturam, si in vastanda ille Troia consilio et vindictae cupidini non resisteret, quamuis, vt euerterentur, numquam antea permisisset. Aliis quidem locis, e. g. Iliad. ά. 545. etc. vbi tamquam coniux Iouis, quae apud veteres sub imperio fuit mariti, loquens inducitur, more mulierculArum timida est et mutabilis. Iupiter vero, qui vers. 40 sqq. se Iunonis uoluntati cessurum promittit, at, vt in suis perficiendis consiliis illa ne intercedat, idem poscit: aliis autem locis conqueritur Iupiter, sua cogitata fraude et asperitate Iunonis perpetuo interrumpi. Vbi igitur est maiestas Iouis et auctoritas suprema qua omnia, ipsumque Fatum moderetur? Vbi est vis, quae Fatum tantum abest, vt vincat, vt ne aequet quidem? Si ille dominus esset et effector omnium rerum, illane Iunonis conuicia, (Il. ά 539. etc.) arrogantem impetum, vindictae libidinem, fraudes in Ioue consopiendo ope somni cingulique Veneris, metum irae et contumeliarum Iunonis (Il. ά. 519 etc.) sine vlla insaniei suspicione poeta fingere ac describere potuerit? Ad allegoricas interpretationes, ad aeris mixturam cum Riccio, aliisque si confugeremus, metuo, ne ingenio poetae sanisque interpretandi praeceptis summam faciamus iniuriam: popularem potius pluries sequutus theologiam, noua finxit. Aliquoties vero iam monui, in definienda hac controuersia hoc praecipue adtendendum esse, num

deos

deos ille, an homines loquentes induxerit. Si etiam dii ſecundum placita tunc a popularibus aut poetis recepta differunt, Homerus tamen eos ita loquentes facit, vt ſuam ſententiam, ſuumque, vt ita dicam, ſyſtema facile declaret. Riccius quidem in Iunone imaginem malae vxoris depictam eſſe arbitratur, et per hanc occaſionem in mulierculas, virorum tamquam peſtem atque exitium, multis in illas vituperiis coniectis, copioſe et grauiter inuehitur. Quam acerbum illud eſt iudicium, vbi, *femina, nulla bona eſt*, ait, *vel ſi bona contigit vlla, neſcio, quo pacto res mala bona facta ſit.* Sed nolumus cauſſam feminarum, quae ſagacitate et loquacitate abundant, in praeſenti ſuſcipere, et num imaginem malae vxoris de induſtria depingere voluerit, neſcio, ſaltem ſubdubito. Ad Iouem redeamus, mulieribus propitiorem: qui ſi in quibusdam Homeri locis Fato ſuperior eſſe videatur, tamen, ſi iuſta adceſſerit interpretatio, noſtram id ſententiam nondum labefactat et peruertit. Iam Plutarchus monuit, in iis poetam opinioni indulſiſſe vulgari, vt plauſum plebis, cuius religio adulterata fuit, captaret, parique modo, ſcimus, Herodotum de prodigiis, portentis, fabulisque, quae multitudo vera eſſe putauit, Ciceronem aliosque de diis caute diſſeruiſſe. Atque Homerus multis locis addidit, φησι, *aiunt:* quod vocabulum ad verſum complendum more illorum, qui pedes verſuum digitis numerant, non addidit, eo potius, quid ſentiat, indicaturus prudentioribus. Neque tamen ad controuerſiam componendam praeſidii quidquam in illa Plutarchi ſententia valde probabili quaeramus, neceſſe eſt: qui argumenta firmiora forte poſſimus pro noſtra cauſſa adferre.

Fatum Homeri ſiue Mentem Aegyptiorum non omnem auferre hominibus libertatem, ſed multa eorum relinquere arbitrio, atque vetuſtos Aegyptiorum ſapientes fatum quoddam aſtrologicum ſtatuiſſe, ex Iablonskii Pantheo ſupra commonſtrauimus. Inde autem colligere poſſumus, Fato in gubernandis rebus humanis ſummam vim

Digitized by Google

vim et poteſtatem fuiſſe adſcriptam, ita tamen, vt reliqui dii, praeſertim Iupiter, qui horum ſupremus fuit, ſummaque inter eos valuit auctoritate atque potentia, quae quidem ad indiuiduam eius perſonam pertinerent, multa pro ſuo arbitrio inter homines decernerent atque efficerent, ſuaque perficerent fata, hoc eſt, decreta, ſuumque ſeruarent ordinem. Iupiter enim, quoniam maximus natu fuit fratrum, ſecundum ius et conſuetudinem antiquiſſimorum populorum, fratres deorumque ceterorum turbam auctoritate atque potentia antecelluiſſe, ab Homero aliisue facile fingebatur. Et illam conſuetudinem reſpexiſſe videtur poeta Iliad. XV. 204, vbi Iris ad placandum Neptunum, eumque, vt Ioui cederet, commouendum,

Οἶσθ', inquit, ὡς πρεσβυτέροισιν Ἐρινύες αἰὲν ἕπονται,

Noſti, quod maioribus natu Erinnyes ſemper adſeclae ſunt.

Neptunus quidem verbis cedit, ſe tamen, dicit, aegre ferre, quod ipſum ſorte parem parique deſtinatum fato, (ἰσόμορον, καὶ ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ) iracundis verbis obiurgat, additque minas, ſe cum Iunone Minerua, Mercurio et Vulcano, ſi ipſis inuitis, Troiae parceret Iupiter, nec Argiuis daret victoriam, iram concepturum eſſe inſatiabilem. Odyſſ. V. 97 ſqq. Mercurius a Ioue ad Calypſonem miſſus, immenſum iter emenſus et feſſus, nullo modo, dicit, fas eſſe, mandata et Iouis et reliquorum deorum negligere:

Ἀλλὰ μάλ' ὅυτως ἐςὶ Διὸς νόον αἰγιόχοιο
Οὔτε παρεξ ἐλθεῖν ἄλλον θεὸν ὄυθ' ἁλιῶσαι.

Antea vero Calypſo, vt in hoſpitiis mos fuit, Mercurio aduenienti menſam adpoſuit, et hic cibo potuque refecit animum. Dii igitur ſicuti homines, in altiore tantum modo dignitatis et honoris gradu collocati videbantur Homero et aetati Heroicae. Deinde Iouem, opinor, quia fati iuſſa exſequutus eſt, poetarum more, ipſum re-

rum effectorem et rectorem ab Homero fuisse adpellatum: qua quidem sententia, si probabilis videatur, omnem controversiam definire, varia Homeri loca curatius explanare, atque Eustathii, Riccii, Zimmermanni aliorumque interpretationes saepe captiosas et contortas euitare poterimus. Ideo poeta Iliad. α. vers. 5. (Διὸς δὲ ἐτελέετο βουλὴ de quo loco vide *Lipsium* Physiol. Stoic. libr. 1. disp. 12. et *du Port* Gnomolog. Homeric. pag. 2.) Iouis voluntatem esse perfectam in vastando Graecorum exercitu Troiaque euertenda bene canere potuit, neque tamen sibi contradixit, nec nostram peruertit sententiam; quidquid alii occinerent. Atque quum *Eustathius*, qui ad hunc locum de potestate Iouis, Fato superioris, copiose agit, et Plutarchus in libello de audiendis poetis supra memorato, Fatum sub Iouis persona intelligere inter se valde dissentiant; *Pope* in elegantissima Homeri versione Anglica tom. I. pag. 8. qui, quoniam tanta erat eruditionis copia, quanta vi ingenii, sua me, licet ab eo de Iouis potestate dissentientem, frangeret auctoritate, vtvt nullam adferret rationem, quam tamen adtulit, illorum dissensum sic tollere studet, et *But to reconcile,* inquit, *these two Opinions perhaps the Meaning may be that when Fate had decreed the destruction of Troy, Jupiter having the Power of incidents to bring it to pass fulfil'd, that Decree by providing Means for it. So that the Words may thus specify the Time of Action, from the beginning of the Poem, in which those incidenty work'd, 'till the Promise to Thetis was fulfil'd and the Destruction of Troy ascertain'd to the Greeks by the Death of Hector. However it is certain that this Poet was not an absolute Fatalist, but still suppos'd the Power of Ioue superior. For in the sixteend Iliad we see him designing to save Sarpedon tho' the Fates had decreed his Death, if Iuno had not interposed Neither does he exclude Freewill in Men. etc.* Pari modo illud certum de sua vi Iouis effatum Iliad. α. 526. explicari potest:

οὐ γάρ

ἐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον ἐδ᾽ ἀπατηλὸν,
Ὀυδ᾽ ἀτελεύτητόν γ᾽, ὅ τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

non enim promiſſum meum reuocabile, neque fallax,
Neque infectum, quodcumque capite adnuero.

Aliud exemplum, quod noſtrae ſententiae opponi ſolet, perſequamur, notabile illud de *catena aurea*, quam Iupiter ad terrendos reliquos deos, ſupremamque poteſtatem indicandam de coelo demittere, et ceteros, qui aderant, deos mouere dicitur Iliad. ϑ. vv. 18 ſqq. iuſſiſſe: cui vero negotio fuerant impares. Quam ſublime atque elegans, tam ſpecioſum eſt hoc argumentum, atque a variis interpretibus, quos tamen omnes excitare nolo, diuerſo modo explanatum. Ad potentiam ſuam reliquis diis declarandam; omnes deos ex catena aurea de coelo demiſſa pendere iubet: addit vero, laborem illorum fore irritum, ſe tamen, quando voluerit, eam facile cum ipſo coelo et terra marique tracturum eſſe, et ad coeli verticem adligaturum; tanto ſe reliquis diis hominibuſque eſſe ſuperiorem. *Riccius* diſſ. 31. pag. 115. in hac ſimilitudine videt fatum; a quo, tamquam a catena omnia dependeant, quod vero ſub Iouis ſit poteſtate. Ego vero quod lubens fateor, nequeo in hac explicatione acquieſcere. Iupiter enim, quoniam libertate vſus, vi dignitate et potentia reliquis praeſtitit, eo etiam, quaſi ad metum, reuerentiam atque obedientiam compelleret coeleſtes, egregie deſcriptus eſt. Ad Aegyptiorum doctrinam, qua Iupiter eſt ſolis ſymbolum, poeta adludere videtur, et hinc catenam vocauit *auream*, ob ſolis ſplendorem. Atque in illa latet figmentum quoddam veterum philoſophorum aut poetarum, quorum Homerus veſtigia preſſit; aut aliquid verae hiſtoriae ſubeſſe videtur, quod poetae ſuo more ornatius et mirabilius fecerint: neque tamen enucleate poteſt explicari. (vide Clark. et Erneſti ad Iliad. α. 399.) Quare ab primis huius fabulae inuentoribus catena aurea coruſcos ſolis radios indicari, qui, ſi, ſole in coeli vertice tamquam vinculis detento

tento a curſuque inhibito, terram colluſtrare atque alere nequeunt, et rerum vniuerſo grauiſſimam iacturam, quin immo exitium adferunt, cum Platone ſatius interpretabor. Quae quidem explicatio, Ioue Homeri ex Aegyptiorum doctrina infra illuſtrato, minus forte, quam nunc videatur, lectores offendet. Nec multum a noſtra interpretatione abeſt *Pope*, qui etiam cenſet Aegyptiorum fabulis primam originem debere ſublime illud Homeri, et catenam eſſe vim ſolis, vt Phyſici ſolent dicere, attractiuam, loco mem. vol. II. pag. 282. But I fancy a much better interpretation may be found for this, if we allow, (as there is great Reaſon to believe) that the Aegyptians vnderſtood the true Syſtem of the world, and that Pythagoras firſt learn'd it from them. They held, that the Planets were Kept in their orbits by Grauitation vpon the Sun, which was there fore called *Iouis carcer*, and ſome times by the Sun (as Macrobius informs vs) is meant Iupiter himſelf; We ſee too the moſt prevailing Opinion of Antiquity fixes it to the Sun; ſo that Ithink, it will be no ſtrained interpretation to ſay, that by the Inability of the Gods to pull Iupiter out of his Place with this Catena, may by vnderſtood the ſuperior attractive Force of the Sun, whereby he continues vnmoved, and draws all the reſt of the Planets toward him. Confer. quoque *Boiuin* tom. X. Memoir. de l' Acad. des Inſcript. diſſ. 24. et *Riccium* tom. II. pag. 210.

Ad tertium progrediamur argumentum, quo Profeſſor Florentinus diſſ. 31. pag. 116. cum aliis efficere vult, ex ſententia Homeri fatum eſſe in Iouis poteſtate. Iliad. XXII. 208. ſqq. Iupiter libram manu ſuſtinere fingitur, in qua fata Hectoris et Achillis, qui tum pugnarunt, paribus examinantur ponderibus et Hectoris fatum in partem mouetur ſiniſtram. Mihi vero id ex eo expiſcari non videtur neceſſarium, ipſiusque poetae loco ab initio laudatae raphſodiae verſum 5. aduerſarium eſſe, quilibet videt, vbi Hector dicitur Fati neceſſitate coactus

extra

extra marum Troiae mansisse. Atqui similitudo aut splendidissima roboris et virtutis imago inter Orientis populos vulgaris esse videtur, vti ex locis Iobi, Danielis et auctoris libelli Esrae iam supra memoratis et a Riccio quoque laudatis valde probabiliter colligere possumus. Eadem dictione iam vsus est Homerus Iliad. VIII. 69 sq. *) vbi etiam Iupiter dicitur lances sustulisse, fatis Troianorum et Achiuorum impositis, et Iliad. XVI. 658. Hector sacras Iouis lances agnouisse perhibetur. Tantum vero abest, vt credam, ex hac similitudine maiorem Iouis potestatem colligi, vt potius illum Fato fuisse inferiorem, et decreta Fati exsequutum esse perspiciam. Neque Riccius sublimitatem atque audaciam poeticam sensisse mihi videtur. Quod si historicus vltima Hectoris fata memoriae prodidisset, his eum verbis comprehendisse arbitror: Ab Achille, qui, quotquot fuerunt heroes, robore fortitudine corporisque viribus longe superauit, Hectora, illius iram et virtutem extimescentem, (Iliad. VI. 99.) licet Troianorum fuerit fortissimus longa defatigatum pugna demum victum fuisse. Homerus autem, nisi id factum, quod fatum Graeciae Troiaeue decerneret, figuris et deorum sermonibus intextis illuminasset, illud, quod sublime ac mirabile in carmine epico vocamus non attigisset. Quare et dii, qui vtrique opem ferant, in subsidium vocantur: Iupiter vtriusque vires fataque, a Mente siue aeterno numine expensa et decreta, confert, et poeta, eleganti staterae adhibita imagine, cuius ope rerum pondera examinare solemus, rem amplificat et poemati hoc carminis lumine mirum adfert ornatum. Videt Iupiter, Hectorem viribus inferiorem esse Achille, Fatoque cedit, et Hector victus interit. *Maximus* quidem *Tyrius* diss. X. pag. 119. ed. sec. Dauisii, se, censet, hac in tabula Iouis nutum intelligere, (ἀισθανομάτων Διὸς νευμάτων) sed ea opinor, ratione, quam

*) conf. cel. *Clodii* comment. de sublimitate Homeri Lipsiae 1764. §. XVI.

quam adtuli. Illa autem trutinae imago ab Homeri aetate insigniter celebris fuit. Virgilii imitationem iam Macrobius et Clark notarunt. Equidem loca duo ex *Achille Tatio* addam: libr. VI. pag. 391. ed. Salmasii: τὴν ψυχὴν εἶχον ἐπὶ τρυτάνης ἐλπίδος καὶ φόβου: pag. 401. Amor, inquit, atque ira faces animi duae sunt: suum enim ira ignem habet, amori quidem natura contrarium, potentia vero persimilem: nam altera odio, alter beneuolentia prosequi cogit: Vicina etiam vtriusque eorum ardoris sedes est: ille enim in iecore, hic in corde inhabitat. Hominem igitur ambo quum occupauerint, animus eius libra quaedam fit, (*γίνεται μὲν αὐτοῖς ἡ ψυχὴ τρυτάνη*) qua vtriusque ignis expenditur, (*τὸ δὲ πῦρ ἑκατέρου ταλαντεύεται, μάχεται δὲ ἀμφὼ περὶ τῆς ῥοπῆς.*) Auctor Lieder eines Preussischen Grenadiers canit:

Gott aber wog bey Sternen Klang
Der beyden Heere Krieg,
Er wog, und Preussens Schaale sank,
Vnd Oestreichs Schaale stieg.

Enimuero loca aliorum cum Homero comparare, ab nostro abest instituto. Ad Homeri autem locum confer *Eustath.* pag. 1266. exempli Romani, atque ven. *Ernesti*, qui, vt omnia, ita etiam hic eleganter disputat, et, *e mente veterum*, inquit, *vnicuique erant sua fata*, *quae si contraria essent*, *vt hoc loco Hectoris et Achillis apud Virgilium* Aen. XII. 149. 150. *Aeneae et Turni*, *minora vincebantur a maioribus.* De fatis autem maioribus, quibus vincuntur minora, vide Burmannum I. ad Virgil. VIII. 136. Ouid. I. Heroid. 28. Lucanum V. 189. VII. 113. Diuersa vero hae fuerunt et vi et vsu a Fato supremo, siue Mente mundi.

Vltimum restat exemplum de binis doliis ante Iouis pedes Iliad. ώ. 525 sqq. (omnia enim recensere, quorum similium magna adhuc copia est, et eadem trutina pensare,

exa-

examinatis difficilioribus locis, in praesenti superfluum esse puto.) Ita vero Homerus:

Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι,
Ζώειν ἀχνυμένους· αὐτοὶ δέ τ' ἀκηδέες εἰσί.
Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων, οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δέ, ἑάων.
Ὧι μὲν καμμίξας δώη Ζεὺς τερπικέραυνος,
Ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅγε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.

Sic enim fato tribuunt dii miseris mortalibus,
Vt viuant tristes: ipsi vero sine curis sunt.
Duo quippe dolia iacent in Iouis limine
Donorum, quae dat, alterum malorum; alterum vero, bonorum:
Cui quidem miscens dederit Iupiter fulmine gaudens,
Interdum quidem in malum ille incidit interdum et in bonum

Et pergit, vt Clarkii vtar interpretatione:

Cui vero ex malis dederit, iniuriis obnoxium facit,
Et illum exitialis dira calamitas super terram almam exercet;
Vagaturque nec diis honoratus, nec mortalibus.
Sic quidem et Peleo dii dederunt illustria dona
A natalibus. — — —

In hoc figmento fatum a quibusdam intelligi, *Eustathius* iam obseruauit, qui pag. 1362 illa verba, a multis poetis in vsum suum conuersa, a Platone autem de republ. libr. II. more suo vituperata, egregie illustrat. *Riccius* quidem diss. 31. pag. 117. cum magna interpretum caterva de Ioue, summo veluti numine, explicat. Ego vero mallem de fato, quod praeter alias virtutes homini patientem laboris animum dare dicitur, Il. ώ. 49. intelligere, praesertim quum Achilles, cuius oratio cum Priamo habita a poeta proponitur, ea verba enunciasset, qui Priamum imitatus a Scholiaste ad h. l. putatur; ita enim hic:

Ἐις παραμυθίαν Πριάμȣ ὁ ποιήτης ἐισήγαγε τὸν Ἀχιλλέα λέγοντα ταῦτα. Deinde quod Achilles loquens inducitur, vti iam veteres critici in Barnesii exemplo tom. I. pag. 922. obseruarunt; homines, scimus, non semper recte sentire et loqui de deo: confer *Burmann.* ad Virgil. Aeneid. II. vers. 428. et 433. Iam vero ille idem heros dixit, deos fato tribuere hominibus mala.

Enimuero Iupiter, quod creditus est, siue Fati imperata facere, siue ipse pro suo arbitrio homines vel beneficiis ornare, vel peccata animaduertendo, eaue, quae hominibus adcidant, permittendo, punire, malisque adficere, duo dolia ante pedes habuisse, bene atque egregie fingi potest, quo quidem nihil aliud poeta significare voluit, nisi vt, id quod Eustathius loco indicato adprime monuit, hominibus nihil boni euenire, diceret, quod non esset malo quodam temperatum. Iupiter Odyss. ά. 32. coram reliquis diis queritur, ab hominibus deos caussam et fontem omnium malorum immerito haberi. Tum vero reliquos deos hominibus et felicitatem adferre et infortunium, Vlysses Odyss. Σ. 129. adfirmat, vbi imbecillitatem atque inconstantiam vitae humanae describit. Homines enim

Οὐδέν, ait, ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο,
Πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἐπὶ πνείει τε καὶ ἕρπει.
Οὐ μὲν γάρ ποτε φησὶ κακὸν πείσεσθαι ὀπίσσω,
Ὄφρ' ἀρετὴν παρέχωσι θεοὶ, καὶ γȣ́νατ' ὀρώρῃ.
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ λυγρὰ θεοὶ μάκαρες τελέσωσι,
Καὶ τὰ φέρει ἀεκαζόμενος τετληότι θυμῷ.
Τοῖος γὰρ νόος ἐςὶν ἐπιχθονίων ἀθρώπων,
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Nihil imbecillius terra nutrit homine
Omnium, quotquot super terram spirant et serpunt.
Etenim numquam putat malum passurum esse se in posterum,
Quamdiu felicitatem praebent dii, et genua vigent.

Sed

Sed quando demum et mala dii beati perficiunt,
Et haec fert nolens reluctanti animo.
Talis enim mens est terrestrium hominum,
Qualem diem adducat pater hominumque deumque.

Videmus ex hoc loco cum aliis comparato, ab Homero modo Iouem, modo reliquos deos eorum, quae hominibus adcidant, caussam fingi, quod ab eo factum esse non puto, si Iouem aut summum numen siue Fatum ipsum eiusque dominum, deos autem reliquos libertate priuatos arbitratus esset. v. quae in editione Ernesti ad h. l. adnotata sunt. Duorum vero vltimorum versuum hunc esse sensum, serenum coelum aut nebulis obductum hominum animum modo serenum reddere, modo tristem; quilibet videbit, illa dictione poetica ex consuetudine quotidiana vulgarique sermone sumta. Sic Polyphemus Odyss. VIIII. 358. vinum dicit: διὸς ὄμβρος ἀέξει, vbi Iupiter, vti apud Horat. I. 1, 25. est aër.

Satis me exemplorum, quae reliquis locis in Homeri poematibus lumen adcenderent, reor protulisse. Quae a me disputata sunt, quomodo Aegyptiorum doctrinae conueniant, e qua tamquam e fonte Homerum, aut eos, qui ante illum de rebus diuinis cecinerunt, hausisse instituta et religiones, supra, vbi de Fato Homeri egi, euincere tentaui, vberius nunc persequar. Zimmermannum igitur et Riccium cum eorum familia, doctos sane homines, omittam, quorum alter Fatum, omnes res moderans, respuit, alter vero non solum id facit, sed etiam in interpretando Homero Cocceianus euadit, qui tamen in explicando carmine epico esse nolo.

Ab Aegyptiis veteribus sidera, quorum magnam vtilitatem in res humanas redundantem percipiebant, religione cultuque immenso esse consecrata, et fato astrologico multa, quae gererentur, aut hominibus euenirent, subiecta esse, ex Iablonskii Pantheo vidimus. Atque in cultu Astrorum eo dementiae postea sunt Graeci progressi,

Digitized by Google

vt in iis praestantem intelligentiam esse, quae sua sponte, suo sensu et diuinitate mouerentur, temere crederent. v. *Ciceronem* de natura deorum II. cap. 16. 21. Praeter ea duodecim signa deos consiliarios adpellarunt, teste Scholiaste ad Apollonium Rhodium IIII. 262. *τὰ μὲν δώδεκα ζώδια, θεὺς βυλαίους προσηγόρευσαν, τὺς δὲ πλανήτας ῥαβδοφόρυς.* Ea, quae Plato, a *Polito* ad Eustath. ad Iliad. IIII. init. tom. II. pag. 956. excitatus, dixit, sententiam nostram firmiter stabiliunt: in Cratylo enim ita: *φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν ἑλλάδα τύτυς μόνυς θεὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ γῆν καὶ ἄςρα καὶ ὐρανον, ἅτε γῦν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τῦ θεῖν, θεὺς αὐτὺς ἐπωνόμασαν ὕςερον δὲ κατανοῦντες, τὺς ἄλλυς πάντας ἤδη τύτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν.* Atque Eustathius ibidem: *οἱ καὶ (θεοὶ) παραθρέυυσι τῷ Δι, τυτ' ἐςι, τῇ εἱμαρμένῃ* (de qua re quidem dubito) *κατὰ γὰρ ποίαν, φασι, τῶν ἀςρῶν θεάθεσιν τὰ τῆς εἱμαρμένης συντελεῖται, ἑδραίως καὶ ἀσφαλῶς.* In his vero solem, qui, quando sub initia veris in signum arietis ingreditur, nomine *Ammun* insignitur, Thebis praecipue in Aegypto superiore sanctissimum fuisse numen habitum, vir laudatus Iablonskius libr. memor. II. cap. II. §. 3. 6. erudite probat. Aegyptii vero pro diuersitate temporis cursusque solis diuersa illius habuerunt symbola, nomina et cultum. Antiquissimos igitur Graeciae incolas, qui teste *Herodoto* II. pag. 110. edit. Iungermanni, omnem paene religionem ab Aegyptiis et Pelasgiis didicerunt, suasque immiscuerunt opiniones; per Iouem vim et potestatem Solis, et quidem τῦ Αμμῦν innuisse primum, postea eum ipsum, ignorata lingua hieroglyphica, pro deo et a sole plane diuerso habuisse, Homerum vero, sui quidem temporis, theologiam seruantem, ad originem doctrinae illius saepiuscule adlusisse coniicio. In hanc me coniecturam adducit non solum conuenientia plurimorum, quae de Ioue Home-

Homerus tradidit, cum doctrina Aegyptiorum, sed testimonia quoque veterum? Herodotus enim a Iablonskio excitatus, libr. II. cap. 42. Ἀμμῶν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. *Arnobius* aduersus Gentes libro III. pag. 117. (ex. Lugd. B. 1641. 4.). *Quid de ipso*, inquit, *dicemus Ioue, quem* Solem *esse dictitauere sapientes agitantem pinnatos currus, turba consequente diuorum. Macrobius* autem Saturn. I. cap. 23. *Nec ipse*, ait, *Iupiter, rex deorum*, Solis *naturam videtur excedere, sed eumdem esse* Iouem ac Solem *claris docetur indiciis.* Eodem ille loco memorat, Assyrios Solem sub Iouis nomine, quem Dia Heliopoliten cognominant, maximis caerimoniis celebrare in vrbe, quae Heliopolis nuncupatur. Confer eumdem libr. I. cap. 15. et *Iulianum* imperatorem Orat. IIII. quae est in Solem pag. 132, 133. ab Iablonskio indicatum. Hinc *Macrobius* libr. I. Saturn. cap. 23. et libr. II. in somn. c. 10. abitum Iouis ad festos Aethiopum dies epulasque (Iliad. I. 425 sqq.) de duodecim signis intelligit: *Iouem cum diis ceteris, i. e. cum stellis profectum in Oceanum, Aethiopibus eum ad epulum inuitantibus, per quam imaginem fabulosam Homerum significasse volunt, haurire de humoribus nutrimenta sideribus.* De interpretanda fabulae istius sententia alii quidem aliter sentiunt*); mihi vero sufficit, ex illa Macrobii opinione, haud quidem firma, quid veteres de Ioue iudicarint, ostendisse. Sol autem, quoniam astrorum obtinet, principatum, Vniuersum luce sua collustrat, sub auspicia veris omnia; vel in imis terrae renouat, et ad vtilitatem hominis non minus quam iucunditatem procreat, hominesque post dies hiemis

*) vide *Clark* et *Ernesti* V. C. ad hunc locum; *Gisberti Cuperi* Apotheosin Homeri pag. 90. tum libellum singularem: Astonomical and philological Coniectures on a Passage in Homer. by G. *Gostard.* M. A. Londini 1768. 4. et sagacem huius libri censorem quem cel. *Heyne* fuisse arbitror, in actis litterar. Gottingens. pl. 34. p. 326. a. 1769. eundem alio loco in additam.

hiemis molestos tristesque reficit, ob tantam vim atque vtilitatem summa religione et sanctitate colebatur. Iam vero Iupiter, quum esset Aegyptiorum Ammum siue Sol, quid mirum, quod apud Homerum tanta valuerit potestate atque auctoritate prae ceteris diis, qui illi venienti adsurgerent (Iliad. ά. 533 etc) et, vt astra Aegyptiorum, illius tamquam essent consiliarii, ac, paene vt dicam, satellites atque ministri; singuli tamen sua haberent fata et singularem dignitatem ac potentiam. Ideo pater deorum hominumque vocari potest, (de quo honorifico nomine iam supra egi), soloque patris nomine adpellari, vti ex infinitis Homeri locis patet: quem etiam *Aeschylus* in Prometh. vers. 5.

Ἥφαιστε σοὶ δὲ χρὴ μέλειν ἐπιστολὰς,
Ἅς σοι πατὴρ (*Iupiter*) ἐφεῖτο,

et *Callimachus* H. in Iouem v. 94, (ad quem locum vide Spanhemium tom. II. pag. 72. ex Ernesti,) imitati sunt. Porro ab ista prima de Ioue doctrina secundum disciplinam Aegyptiorum explicandam verba Homeri Iliad. ά. 609. lucem accipere videntur:

Ζεὺς δὲ πρὸς ὃν λέχος ἤϊ' Ὀλύμπιος ἀστεροπητὴς,
Ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι.
Ἔνθα κάθευδ' ἀναβάς. — —

Iupiter autem ad suum lectum abiit Olympius fulgerator,
Vbi autem dormiebat, quando ipsum dulcis somnus inuaderet,
Illic dormiuit, cum adscendisset. — —

Homerus ipse loquitur, et doctrinam Aegyptiorum respicere videtur, ita, vt cubile Iouis, Solis occasus denotetur, et primus liber vnius diei actiones resque gestas contineat atque poetice enarret. Atqui, quoniam ipsi reges cum alibi, tum potissimum ab Aegyptiis dii adpellati sunt, vti *Spanhem.* ad Callimachi H. in Iouem 79. pag. 62. obseruauit, hic mos confirmauit superstitionem. Quum vero, quod quidem ex antiquitate, et praecipue ex *Lactantio*

Digitized by Google

tio *) Institt. I. cap. 11. (vbi Ennii verba recenset) p. 74. ex Bünemanni, notum est, Iupiter quidam rex esset, qui in monte Olympo maximam vitae partem colebat, et eo ad illum in ius venirent sui, si qua res in controuersia erat, magnaque inter suos viueret auctoritate, toti de Ioue fabulae lumen adfertur, et coniectura quadam adsequi mihi liceat, cur antiquiores hunc, cui tamen plurium Iouum **), qui diuersis temporibus et locis floruerunt, facinora tam egregia, quam scelesta a poetis tributa sunt, sub Sole tam religiose venerentur: quae coniectura erit probabilior, si perpendimus, Δια significare regem, quod ex Homeri loco supra laudato, vbi Neptunus ait, *καὶ ἐγὼ Ζεύς*, et aliunde cognosci potest, conf. *Schneieri*, rectoris

*) Ibidem refert Ennii verba: *Si quis quid noui inuenerat, quod ad vitam humanam vtile esset, eo veniebat, atque Ioui ostendebat.* Tum pergit Lactantius: „Multa in hunc modum poetae transferunt, non vt in deos mentiantur, quos colunt; sed vt figuris versicoloribus venustatem ac leporem carminibus suis addant. Qui autem non intelligunt, quomodo, aut quare quidque figuretur, poetas velut mendaces et sacrilegos insequuntur. Hoc errore decepti etiam philosophi, quod ea, quae de Ioue feruntur, minime in deum conuenire videbantur, duos Ioues fecerunt, vnum naturalem, alterum fabulosum. Viderunt ex parte, quod erat verum, eum scilicet, de quo poetae loquuntur, hominem fuisse: - - vana igitur persuasio est eorum, qui nomen Iouis summo deo tribuunt etc. „ vide notam Bünem. et *Cherbury* de religione Gentilium pag. 118 sqq.

**) *Cicero* de N. D. III. cap. 21. (vbi multa de Ioue disputat,) „ principio, ait, Ioues tres numerant ii, qui theologi nominantur; ex quibus primum et secundum natos in Arcadia: alterum patre Aethere, ex quo etiam Proserpinam natam ferunt, et Liberum: alterum patre Coelo, qui genuisse Mineruam dicitur, quam principem et inuentricem belli ferunt: tertium Cretensem Saturni filium, cuius in illa insula sepulcrum ostenditur. „

Digitized by Google

ctoris quondam Salfeld. prolusi. Agamemnon Διοτρεφης inscriptam. Ienae 1703.

Eos autem, qui, dum vixerunt, aut rebus bene gestis, aut nouis inuentis, aut alia quacumque re humano generi multum adtulerant vtilitatis atque dignitatis, post mortem ad deos abire, quam si viam ingenio factisque muniuissent, atque in sideribus collocari, arbitratae sunt gentes antiquissimae. Hinc *Cicero* Tuscull. quaestion. I. 13. (cuius testimonium, vt *Lactantius* Institt. libr. I. cap. 15. pag. 97. dicit, pluribus locis e Ciceronis libris de natura deorum laudatis, eo debet grauissimum iudicari, quod et augurale habuit sacerdotium, et eosdem se colere venerarique testatur) bene *totum prope coelum*, inquit, *ne plures persequar, nonne humano genere completum est? — ipsi illi, maiorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in coelum reperientur:* adde de Herculis abitu ad deos *Ciceronem* de Officiis III. 5. Iouem igitur, quod de populo suo bene meritus multa inter suos prouidentia excogitauit, virtute constituit et ratione perfecit, hominibus leges reliquit, mores emendauit frumentaque parauit, multaque alia bona fecit, ad immortalitatis memoriam consecratum ad deos abiisse *), et in sole fuisse locatum, antiquitus forte credidit, quod quidem vel ex eo coniicio, quoniam Sol *Iouis carcer* nominatur.

Historiae autem et rerum naturalium ignoratio atque insana maiorum reuerentia Ioui adsignarunt principatum, eumque finxerunt tamquam summum numen, cuius prouidentia et prudentia regeretur omne hoc, quod cernimus, et cuius vis ac potestas tanta esset, vt plus posset, quam coelestes vniuersi: quam quidem opinionem magni errores consequuti sunt, quos plebis credulitas et ferax poetarum ingenium nouis auxerunt fictionibus. Dein-

*) Idem fere iudicat dicitque *Ennius* in sacra historia, vel potius, hoc antiquior, Euhemerus apud *Lactant.* loco mem. c. XI. pag. 77.

Digitized by Google


Deinde fieri potuit, vt antiquiſſimi Graecorum philoſophi qui poetae fuerunt, virtutes dei, veluti nouos fingerent coeleſtes; qua in re Homerus etiam aliquando imitatus illos videtur: caueamus tamen, vbique allegorias in poeta explanando quaeramus atque deprehendamus. Verum enim vero difficile eſt, mentem et cogitationes poetae; ignorata, ſaltem obſcura Aegyptiorum et antiquiſſimorum Ionum Graecorumque vniuerſa theologia hiſtoriaue, vbique adſequi; nec vltra, quo progrediar, quam vt veri videam ſimilia, habeo, reorque, nos ſine laboris fructu in omnibus argutiis Homericis per tenebras vagari inextricabiles: id quod *Pope* iam bene monuit, tom. IIII. pag. 135. libr. memor. cuius verba ſunt digna, quae huc transferantur: Conſidering the great Ignorance, we are in of many ancient ſuperſtitous Ceremonies there may be probably in Homer many incidents entirely of this Nature, wherefore we ought to be reſerv'd in our Cenſures, leſt what we decry as wrong in the poet, ſchould proue only a Fault in his Religion. And indeed it would be a very vnfair way to tax anly People or any Age whatever with Groſſneſſ in general, purely from the groſſ or abſurd Ideas or Practices that are to be found in their Religions.

Certa dicent ii, qui acutiores habent oculos, et ſe ſapientes eſſe profitentur. Equidem probabilia coniectura potiſſimum ſequutus, vt potui, omnia explicui: nec tamen, quaſi Pythius Apollo, certa vt eſſent et fixa, quae de Ioue Homeri dixerim. Hoc verum certumque eſt, illos, qui poetam ſecundum praecepta a recentioribus de carmine epico tradita ſeuerius diiudicant, nec aetatis Heroicae mores ac theologiam ante oculos habent, Homeri ingenio magnam facere iniuriam. Quare dubito, num *Rapinus* in comparatione Homeri et Virgilii pag. 163 ſqq. (in Diſſertatt. ſelectis criticis de poetis graecis et latinis a Berkelio Lugduni B. 1707. editis) in Homeri carminibus copiam et abundantiam machinarum iure culparit, nimio Vir-

Digitized by Google

Virgilii amore forte abreptus. Atque, quae ipse Rapinus pag. 175. pro Virgilio suo scripsit: *quod saeculo debet, quo scribebat* (Virgilius), *politiori longe atque elegantiori, quam fuit aetas illa, quae Homerum produxit, studiosorem bene dicendi, quam bene cogitandi*, ea quodam modo pro Homero scripta videntur.

Enimuero fabularum omnium, sub quibus praecipue a philosophis et sacerdotibus Aegyptiorum mutationes elementorum rerumque naturalium formandarum ratio fuerunt tradita, et quas Homerus respexit, subtiliorem atque enucleatam explicationem ad poetici ornatus intelligentiam haud raro parum facere, cum Clarkio, interprete diligenti et acuto, ad Iliad. ό. vers. 18 sqq. vbi scholiastes nescio quam subtilem explicandi rationem sectatur, facile et lubenter statuo. Confer eumdem et Ernesti V. C. ad Iliad. ά. 399. Sufficit, mysteriis poetae quibusdam reuelatis, docuisse, Homerum in tradenda Mythologia et fictione poetica ingenio plurimum valuisse, et in doctrina de Fato et Ioue, horumque potestate atque auctoritate sibi bene constare et ab iniquis incautisque obtrectatoribus posse commode adprimeque defendi. Homeri ingenio stat sine morte decus.



XV. DE

Digitized by Google

XV.

DE FEMINARVM CONDITIONE ET AVCTORITATE APVD GENTES QVASDAM ANTIQVAS NOMINE VNIVERSITATIS LITTERARVM ERLANGENSIS.

Temporibus illis vt antiquissimis, ita rudibus, quibus nondum amor fuit Platonicus, nondum culti mores vitaeque elegantia, sed homines, paene ferarum modo, rebus, quae in sensus incurrunt, moueri et quouis modo libidinem explere solebant, quo venustior fuit femina, eo maius in mares exercere imperium, pluresque vt admiratores, ita et munificos ac vel vitae prodigos amicos nancisci potuit. De Helena, et quae bella et certamina illius pulcritudo inter clarissimos heroas ciuitatesque mouit, Homerus, in primis Isocrates in laudatione Helenae, et alii vtriusque linguae scriptores citra omnem paene fidem multa finxerunt, aut a maioribus tradita fictaue multis verborum lenociniis amplificarunt. Ariadnes, Medeae aliarumque venustarum feminarum fata veterum poetarum ingenia saepius exercuerunt, et adhuc celebrantur. Nec *Anacreon* (od. 2.), pulcram feminam victricem esse ferri atque ignis, canere dubitat. At enim non semper cogitarunt veteres, vt etiam hodie, qui oculos formae faciei que nitore tantum pascere solent, saepius errant homines, nihil citius, quam venustatem faciei interire, nihilque magis caducum esse, atque animum insolentem et perditum in corpore venusto esse pestem, tranquillitati animi et familiarum fortunae maxime inimicum, ac flagitio-

tiorum veluti ſedem et mancipium. Enimuero in vniverſum iidem ſemper fuerunt hominum mores pariter atque errores, omnique tempore plurimi homines iis potius rebus, quae in ſenſum incurrunt, quam quas cogitando adſequi debent, mouebantur. Quantam vero vim pulcritudo feminarum antiquitus habuerit, quas autem tragoedias quoque excitarit, vel fabuloſa deorum hiſtoria et antiquiſſimorum heroum fata ſatis ſuperque docent. Sed enim quid in recenſendis ſingulis, quae poetarum ingenium vel finxit, vel haud paucis adceſſionibus factis amplificauit, aut Amazonum *), quae quidem non vxores, ſed mares Thraces, veſtibus ſolito longioribus induti fuiſſe, Palaephato aliisque videntur, auctoritate laudanda diutius commorabor, rebus praeter ea ſatis notis. Neque vero animus eſt, tum laudes, tum conuicia (in vtraque enim re homines omni tempore aut pudorem aut grauitatem migrarunt,) tam poetarum quam reliquorum ſcriptorum enumerare, nec ſingulos populos, iuraque omnia et conditiones, quibus feminae graecae romanae aliaeque fruebantur, curatius perſequi et copioſius recenſere. Eas contra ab integris gentibus quibusdam vel inſatiabili libidine inflammatis in ſummo habitas fuiſſe pretio, vel ob virtutes meritaque erga populum quemdam genusque humanum inſigniter honoratas, paucis videbimus.

Gymnetas ſiue Baleares, refert *Diodorus Sicul.* libr. V. 17. pag. 343. tom. I. ed. Weſſelingii, tanti aeſtimaſſe feminas, vt, quum mulieres a piratis captae illinc auectae eſſent, tribus aut quatuor viris vnam aliquam redimerent, quin *Ariſtoteles* **) memorat, eos pro vno corpore femineo

*) Nubem auctorum tam veterum, quam recentiorum, qui in diuerſas eunt partes, et de Amazonibus varie iudicant, excitat *Freinshem.* ad Curtium libr. VI. c. 5. pag. 420. 421. edit Snakenburg.

**) Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων p. 880. quem locum debeo cel. *I. Ch. Wernsdorfio* in doctiſſ. exercitat. de antiquitatibus Balearicis. Brunsvic. 1760. pag. 79.

neo quatuor aut quinque viros reddidiſſe. Atque illi, quum Carthaginienſibus olim militarent, nihil, quae bello meruerunt, ſtipendiorum in patriam retulerunt, ſed ad vinum mulieresque coemendas id totum erogarunt. Troglodytae vero, (quorum ſedes noſtro tempore Beklenſes tenere, ex Iobi Ludolfi Commentariis hiſt. Aethiop. pag. 145 docet *Weſſelingius* ad Diodor. Sicul. III. p. 197.) in hisque Megabarei, quamquam a pecoribus, quae paſcere ſolebant, quippe qui ex re pecuaria vixerunt, vita non minus quam victu parum differebant, et cum liberis vxores habebant communes, (quam quidem communionem iure exulare iubet e ciuitate *Ariſtoteles* Polit. II. c. 3.) mulieres aetate prouectiores quam maxime coluerunt: et, nullo has pacto ferire, lege cautum fuit *). Hinc quando de paſcuis ſubinde reuireſcentibus acriter dimicatum fuit, ab vtraque parte multis interfectis, pugnas tandem mulieres dirimunt: vt primum enim hae in conſpectum prodeunt, a ſagittarum iactu ceſſatur, ait Diodor. Siculus. Pari modo Sabinarum mulierum a Romanis raptarum precibus auctoritateque infeſtas acies irasque diremtas fuiſſe, ex *Liuio* I. c. 3. conſtat. De Germanis e contrario feminis relatum legimus, „(vt cum *Tacito* de moribus Germaniae c. 8. vbi vide Lipſium p. 415. edit. ven. „*Erneſti*, loquar) quasdam acies, inclinatas iam et labantes a feminis reſtitutas, conſtantia precum, et obiectu „pectorum et monſtrata cominus captiuitate, quam longe „impatientius feminarum ſuarum nomine timent: adeo vt „efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obſides puellae quoque nobiles imperantur. Ineſſe quin etiam ſanctum aliquid et prouidum putant: nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt.„ Ex his „praeter ea videmus, quanta auctoritate apud maiores noſtros valuerint feminae: in maiore tamen dignitate fuerunt apud Lycios, qui, vt *Io. Stobaeus* ſerm. XLII. de le-

 gibus

*) Νόμιμόν ἐστιν, αὐτοῖς, πάντας κατὰ μηδένα τῶν τρόπων τύπτειν. Diod. Sicul. III. 33. p. 198. tom. I.

Digitized by Google

gibus et consuetudinibus pag. 292. ex Herodoto procul dubio litteris consignauit, mulieres maiore, quam viros, honore adficiunt, et, praeter consuetudinem Graecorum aliorumque, nomina a matribus accipiunt, iidemque hereditates filiabus, non filiis relinquunt *). Idem *Stobaeus*, Sauromatas **), commemorat, triduo ad saturitatem se ingurgitare, et vxoribus ceu dominis, (ὡς δεσπόναις) per omnia parere. Quin virginem non prius locant ad nuptias, quam hostem occiderit, quod etiam *Pomponius Mela* I. 19. 120. obseruat, atque praeter ea, feminas apud Moeoticas gentes in ora Asiatica, tradit, easdem artes exercere, quas viri solent, adeo vt ne militia quidem vacent: viros pedibus merere sagittisque depugnare, illas equestre proelium inire; nec ferro dimicare, sed quos laqueis interceperint, trahendo conficere. Nec apud Germanos femina extra bellorum casus se putare debuit. Maritus enim, qui vxori dotem obtulit, munera sponsae non ad delicias muliebres quaesita, nec quibus noua nupta comaretur, sed boues et frenatum equum et scutum cum framea gladioque: quibus quidem datis armis ipsis incipientis matrimonii auspiciis admonebatur mulier, venire se laborum periculorumque sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque. (v. *Tacit.* de moribus Germaniae c. 18.) Atqui iam Socrates, notante quidem *Aristotele* Polit. II. cap. 4. mulieres putauit oportere vna cum viris pugnare, et eadem institui disciplina, qua custodes, et coenas publicas esse arma tenentium. Maiores autem nostri, si ad nos redeundi ipsis esset potestas, quid

*) Vide tamen, quae *Millar* in Bemerkungen veber den Vnterschied der Stände in der bürgerl. Gesellschaft (Lips. 1772.) pag. 43. 44. et de incolis Atticae ante Cecropis tempora, aliisque pag. 47 sqq. scripsit.

**) De quibus vide *Diodor. Sic.* II. 42. p. 155. ibique Wesseling. *Dionys.* περιηγης. v. 656. ibique Eustath. Anonym. in Ponti Peripl. in Geographicis vett. a Iac. Gronov. Lugd. Bat. 1700. editis et Scylacem in Periplo ibid. p. 74. Plin. H. N. VI. 7.

Digitized by Google

quid de conditione noſtrarum feminarum adeo mutata luxuque dicerent? At enim alios perſequemur populos, et quanta auctoritate apud quasdam Africae gentes floruerint, et quam habuerint conditionem, paucis conſiderabimus: quae quidem res et tabula quaſi diuerſorum rituum morumque ſiue ſimplicium atque integrorum, ſiue corruptorum ad hiſtoriam pariter atque cognitionem animi humani haud parum facere videtur: id, quod *Millar* in den Bemerkungen veber den Vnterſchied der Stände etc. cap. I. bene docuit; multisque illuſtrauit exemplis. Ex *Stobaeo* igitur (loc. mem.) quaedam tantum exempla repetemus. Inter Buaos Lybies vir ceteris viris, mulier imperat mulieribus: atque Aethiopes ſuas praecipue honorant ſorores. Dapſolybies vero congregati vno die vxores vna ducunt poſt Vergiliarum occaſum: nam poſt epulas, mulieribus ſeorſim diſcumbentibus, exſtincta lucerna, viri ad ipſas ingrediuntur, et quamcumque contigerit, ducit quilibet *). Iachleuenſes denique Lybies, quum multi vxorem vnam ambiunt, apud futurum ſocerum coenant, et ſingulis praeſente ſponſa futura varia dicteria narrantibus, cuicumque mulier adriſerit, illi cohabitat, vt verbis Conradi Gesneri, qui Stobaeum interpretatus eſt, vtar. Quis vero erit, quin, dum haec legerit, riſum teneat? Et tamen rudibus iſtis populis et temporibus illi ritus cum luxum atque inſolentiam potentiorum repreſſerunt, tum aequam ſeruarunt libertatem. Feminarum enim Laconicarum nimia potentia atque opulentia, quam in vitiis Laconum reipublicae iure ponit Ariſtoteles **), fecerunt,

*) De Britannis haec memoriae prodidit *Caeſar V.* de B. G. cap. 14. „Vxores habent deni duodenique inter ſe communes, et maxime fratres cum fratribus, parentesque cum liberis: ſed, ſi qui ſunt ex his nati, eorum habentur liberi, quo primum virgo quaeque deducta eſt."

**) In Polit. II. c. 7. ad quem locum vide etiam *Victorii* commentar. pag. 141 ſqq. ed. Flor. apud Iuntas 1576. *Heuſing.* ad Corn. Nep. praef. p. 3. 4. et rel interpr. in ed. Stauer. p. 8.

Digitized by Google

vt in omni luxu et deliciis intemperanter viuerent, et pecuniae ſtudio inuecto pluribusque familiis ad incitas redactis, viribus reipublicae eo valde imminutis et fractis, poſt cladem ad Leuctra Boeotiae factam ne vnam quidem ſufferre cladem poſſet, ſed prope periret ciuitas ob virorum paucitatem *). Pari ratione immoderata viuendi ratio, luxus immanis, lubido ſuperbiaque feminarum rei Romanorum publicae et aliis ciuitatibus ſummam intulerunt calamitatem **), nec, vti videtur, poſteris noſtris querelarum deerit occaſio. Quam ob rem intereſt ciuitatum ad incrementum et florem ciuium ſingularumque familiarum, omni cura et diligentia videre, vt modeſtia, vereccundia pudorque, quae quidem virtutes vt omnes homines, ita inprimis feminas mire ornant et commendant, in ſexu ſequiore mature et ſeuere cuſtodiantur, atque filiabus iam ab infantia praeter laboris patientiam, omnis otii fugam, luxuriei odium ſtudiumque iuſtae parſimoniae, illae potius virtutes, quam veſtium pulcrarum aliarumque ineptiarum amor, et aliqua formae opumue ſuperbia inſtillentur. Matrum enim familias, quibus prima liberorum cura demandata eſt, ſobrii et ſedati mores ac pudicitia ſunt quaſi fulcra reipublicae, quippe quae, vt alia emolumenta reticeam domeſtica, tenerum liberorum ingenium formant, ſuique ſimile reddunt, ab omnibus arcent illecebris, illisque more Corneliae, matris Gracchorum libet infelicis, honeſti omniumque virtutum et verae ſapientiae amorem inſtillant, atque adeo vtiles patriae ciues et ſocietati humanae comes vrbanasque fingunt filias matresque. Quae autem cura et feminarum conditio apud Athe-

*) Cf. *Vbbonis Emmii* veteris Graeciae deſcriptionem tom. III. pag. 112 ſqq. Lugd. B. 1626. et *Nicol. Cragium* de republ. Lacaedemon. Lugd. B. 1670. libr. II. c. 7.

**) Vid. *Hening. Arniſaeum* de republ. (Francf. 1615.) cap. II. ſect. XII pag. 394 ſqq et *Henr. Engelb. Schwarz* de imperio mulierum eccleſiae orthodoxiae et miniſtris verb. diuini perniciosiſſimo. Lipſ. 1740.

Digitized by Google

Athenienſes fuerit, vel ex Cornelio Nepote notum eſt, nec fas iſtis erat, viros intentius intueri, ſed demiſſo vultu in terram deſpicere ſolebant. (confer. *Lyſiae* Apolog. in Simonem pag. 139. edit. cel. Reiskii). Athenienſes quidem et aliae quaedam nationes in cuſtodienda feminarum pudicitia nimis ſeueri ac diligentes fuerunt, haud cogitantes, ſcintillam in cinere diu incluſam et gliſcentem, vento paullulum adcedente, praeter opinionem ſubito agitari, in apertamque flammam, omnia deſtruentem et rapientem, haud raro erumpere. In cuſtodiendo tamen feminarum pudore, in eoque laudem merentur, et digni, quos imitetur noſtra aetas, quod γυναικοκόσμους ἀρχούς, mulierum ornatui praefectos inſtituerunt. (conf. *Polluc.* ſegm. 112. libr. VIII. c. 9. et *Petit.* comment. ad LL. Atticas pag. 566. ed. Weſſelingii.) Nimiam enim ambitionem et ſplendidi cultus inſaniem multarum familiarum vel omnibus rebus adfluentium fuiſſe interitum, neminem fere praeteribit. Quantum vero damni Cleopatra regno Aegypto, Xantippe Socrati, Ariadne Zenoni, quem maritum viuum ſub terram defodit, et aliae aliis ſiue maritis ſiue integris ciuitatibus intuliſſe arguuntur: tantum felicitatis atque ornamenti probas, prudentes, moderatasque feminas maritis, familiis et ciuitatibus paraſſe, non ſolum hiſtoria tradit, ſed experientia quoque comprobat. Solitum fuiſſe Britannis, feminarum ductu bellare, teſtabatur Boudicea apud *Tacitum* Annal. XIIII. 34. Atque etiam ad feminas, quae de ciuitate quadam bene meritae credebantur, imperium iam antiquitus tranſiit. Iſidos enim, quae Oſiridi fratri germano nupſerat, beneficia populique ſui amor, quod a caedis auctoribus poenas exegit, et regno ad finem ſanctiſſime praefuit, plurimisque adeo et maximis homines vniuerſos cumulauit beneficiis, commouerunt Aegyptios, quos quidem conſilii ſui poſtea, poenituiſſe arbitror, vt in more poneretur, vt plus poteſtatis et honoris eſſet penes reginam, quam regem; et in tabulis dotalitiis inter priuatos imperium feminae in vi-

Digitized by Google

rum adſignaretur, atque vxoribus per omnia ſe obtemperaturos, mariti profiterentur, vt *Diodor. Sicul.* 1. 27. p. 31. memoriae prodidit. (vide, quae *Millar* libr. memor. pag. 82. de hac Aegyptiorum conſuetudine diſputat.) Iam vero Weſſeling. ad illum Diodori locum addit, probatque, Aegyptiorum moribus ex pacto vxorem marito imperaſſe, omniaque virilia officia foris obiiſſe, dum ille tamquam claudus ſutor domi ſedens fuſumque tenens penſa traheret. Hoc ſane temerarium fuit, et nefandum, nec, quae mens fuerit maritis, niſi eos conſuetudine ad munia haec ſeruilia adactos fuiſſe dixeris, equidem perſpicio. Vxoribus certe ſeruire maritos, ſummam eſſe ignominiam, iam Dacorum rex Oroles cenſuit: Dacos enim, quum aduerſus Baſtarnas male pugnaſſent, ad vltionem ſegnitiae iuſſit miniſteria vxoribus, quae ipſis antea fieri ſolebant, facere, teſte *Iuſtino* libr. 32. c. 3. In Aſia quoque vſitatum fuiſſe iam inde a Semiramide, vt et virorum vxores regnarent, *Arrianus* de expeditione Alexandri libr. 1. 7. 25. ſcribit. Alia exempla muliebris ſucceſſionis atque imperii ex omni paene hiſtoria ſumta dabit *Arniſaeus* de republica II. p. 358 ſqq. qui vero p. 383 ſq. et p. 412. de hoc ſexu et γυναικοκρατίᾳ iniquus ſedet iudex. Neque tamen vxores, imperantibus, nomine quidem, maritis, habenas imperii ſaepe non tenebant et regebant, partesque ſibi aequas vindicabant potentiae: Auguſtum quippe de Liuiae ſuae ſententia plurima egiſſe, teſtantur *Sueton.* (vit. Tiberii c. 50.) et *Xiphilinus* in epitome Dionis (vita Auguſti p. 82. et alibi ed. Roberti Stephani 1551.) Hinc in antiquitate Romana illi honores Caeſarum vxoribus tributi; hinc illae Auguſtarum conſecrationes, quarum ſignum Pauo fuit; hinc illae in nummis dearum, Iunonis, Veſtae, Veneris Victricis aliarumque formae, quas adulatio dederat imperatricibus, atque inſcriptiones, *Pietati Auguſtae*; cuius conſuetudinis cauſſas, teſtimonia nummosque Mediobarbus, Spanhemius, Oiſelius, Vaillantius aliique congeſſerunt.

Digitized by Google

runt *). Quanto vero rectius nos *serenissimam matrem patriae nostram Dominam Dominam Fridericam Carolinam piam* nominare debemus, quae verum deum pie colit, Principem honorat, patriam ciuesque amat, nostraeque sedi litterarum fauet. Quare summo gaudio perfusi diem *serenissimae nostrae matris patriae* natalem, qui, vt quam saepissime redeat felix faustusque, deum precamur, cras celebrabimus, et votorum nostrorum precumque disertus erit interpres, Illustris et Consultissimus, *D. Carol. Henricus Geislerus, serenissimo Principi nostro a consiliis aulae, et iuris publici Prof. pub. ord. celeberrimus; collega nobis coniunctissimus.* Ad hanc igitur orationem H. L. Q. C. habendam Commilitones Generosissimos et Nobilissimos omnesque, qui Musis fauent, inuitamus humanissime. P. P. Erlangae d. XXIIII. Iunii cIↃ IↃ CCLXXII.

*) Confer *Klotzii* opuscula nummaria. Halae 1772. p. 62 sq. *Gisbert. Cuper.* in Inscriptionibus et marmoribus antiquis etc. libro de Consecratione Homeri (Amstel. 1683.) subiunctis pag. 285. explicat inscriptionem graecam: *Iuliam Augustam Vestam, Nouam Cererem consecrat Senatus.* et p. 286 sqq illustrat vocc. *pius* et *pietas*, quibus ab auctoribus classicis et in nummis aliisque monimentis imperatores atque imperatrices honorabantur.





XVI.

IOANNIS KAPPII, COLLEGAE TERTII, GYMNASII CVRIENSIS (zu Hoff) EMENDATIONES ET CONIECTVRAE IN CORNELIVM NEPOTEM.

PROOEMIVM

Cl. Kappius, a me de noua editione Cornelii Nepotis paranda, vel potius, de minore Staueriana typis repetenda, certior factus, et rogatus, vt, si quid ad suauissimum illum scriptorem haberet ornandum, id mecum beneuole communicaret, pro ea, qua floret, humanitate, magnam mihi copiam obseruationum criticarum misit. In quibus, quum nonnullae fuissent longiores, quam quae nouae editioni, quam bibliopola exiguae molis esse cupit, commode insererentur: illas hic in lucem proferre eo minus dubito, quo certior sum, eas ad intelligentiam nonnullorum difficilium locorum haud parum facere, Kappiique mei ingenio et perspicacia, quam in nupera sua Iulii Obsequentis editione abunde demonstrauit, esse haud indignas. Mecum igitur L. B. eas gratus accipiet, atque ego in editione ipsa Cornelii ad has longiores prouocaturus, minores suo quamque loco subiiciam.

Praefat. §. 4. *ad scenam eat mercede conducta.* Barthius coniicit *ad stiuam.* Perperam Gesnerus cum aliis *ad coenam*, sed licitum, immo praeceptum erat omnibus Lacedaemoniis, cum aliis coenare; quid ergo opus fuit mercede? et cui vsui fuisset Lacedaemoni pecunia, quae mole sua inutilis fuit? An viduae *solae* exceptis virgini-

ginibus ad *coenam* iuerunt? Heusinger *ad lenam.* Contra hanc coniecturam quaedam dixit Gesnerus, et vnde Lacedaemoni *lenae?* Plutarchus in vita Lycurgi refert, nullos ibi fuisse post Lycurgum lenones: an viduae solae stupris se obtulerunt? Atqui virgines et vxores maxime fuere impudicae? Cur ergo Nepos solas viduas nominavit? An ad scenam? Atqui Lacedaemones exulare voluerunt omne genus histrionum e re publica sua, vt Plutarchus auctor est. Maius ergo vlcus haerere opinor. Forte sub *ad scenam eat*, latet verbum aliquod, et pro *mercede conducta* Nepos dixerat aliquid de *meretricibus.* Sed nihil definire audeo:

Miltiad. II. 2.

Quamuis carebat: Cum indicatiuo saepissime Ouidius Trist. libr. I. el. 1. v. 25. 116. el. 2. 11. libr. II. v. 183. 555. libr. III. el. 3. v. 79. el. 7. 7. IIII. el. 1. 35. el. 10. 113. libr. V. 5. 13. el. 7. 6, 30. el. 9. 25. el. 14. 44. Ex Ponto libr. I. ep. 1. 15. ep. 2. 3, 31. ep. 6. 40. lib. II. ep. 2. 46. 101. ep. 8. 76. libr. IIII. ep. 6. 31.

Miltiad. IIII. 5.

Auderi aduersus se. Si quid ego video, *auderi* stare nequit; nam non satis latine dictum esse mihi videtur. Locus Liuii, quem citat Ernstius in edit. Bosiana et cel. Gesnerus in thesauro, non est parallelus: ibi enim est subiectum *multa* etc. *multa audebantur.* Sed quid subaudiri potest hoc loco? Malim ergo pro *auderi* scribere *audere*, si testes idonei adsint, quod Stauerii et Heusingeri editt. destitutus, nescio. Perspicua est explicatio: *audere* Athenienses *aduersus se* Persas *tam exiguis copiis dimicare.* Nepos has ellipses amat. — Haec scripseram ante quinque annos, quum ciuibus tertiae classis Miltiadem interpretatus essem, (neque vero has dapes puerulis adposui, vt facile intelliges, sed semper in meis lectionibus hunc morem seruaui, vt loca difficilia domi pro modulo virium examinarem.) Nunc video, Heusingerum in eadem

dem esse sententia, et codices laudare, in quibus est *audere*, quare eo libentius meam coniecturam retineo.

Themistocl. I. 3.

Reperiebat. Additur a nonnullis: *facile eadem oratione explicabat.* Mihi haec verba a Nepote non profecta, sed interpretamentum verborum sequentium, *neque minus in rebus gerendis promtus*, esse videntur. Sic enim forte grammaticorum aliquis haec verba intellexit, sed male. Satis mirari nequeo, interpretes in his verbis, (quae recte edidit Heusingerus) aliquam difficultatem invenisse, eaque sollicitasse. Sensus planus est: Themistocles ea, quae excogitasset, propter ea facile exsequi potuit, quod et de instantibus — coniiciebat, sicque omnia impedimenta praeuidebat.

Thrasyb. I. 4.

Quod in praelii concursu abit res a consilio ad vires. Hunc locum non intelligo, si sequens interpretatio non valet: *Sed illa tamen omnia*, (quae Thrasybulus vel cum Alcibiade, vel sine eo gessit) *communia imperatoribus cum militibus et fortuna* (nullus imperator, vel neque Alcibiades neque Thrasybulus, sibi soli suaeque prudentiae potest tribuere) *quod* (quia) *in praelii concursu* (in praelio) *abit res a consilio ad vires vimque pugnantium* (non solum prudentia imperatoris, sed etiam robur militum, horumque maximus impetus, vel vis summa Miltiad.V. 3. aliquid efficit.) *Itaque iure suo nonnulla ab imperatore* (praeter imperatorem) *miles*, *plurima vero fortuna vindicat*, *seque hic* (miles) *plus valuisse* (effecisse) *quam ducis prudentiam vere potest praedicare* (miles).

Vires vimque, (nisi quis malit *vires impetumque*; quod tamen interpretamentum τȢ *vimque* potius, quam ipsa lectio esse videtur) ita dicitur a Nepote, vt infra in Attico III. *auctorem actoremque*, et in Dione III. 2. *non magis tyranno*, *quam tyrannis.* Sed quia nec ista loca certa sunt, sed dubiae lectionis, nihil certi statuere ausim.

Dion.

Digitized by Google

Dion. V. 6. in fine.

Dion. Sic omnes libri, vt Heusingerus testatur. Vnus Lambinus, et vt nunc video post eum Cellarius, *Dionysius.* Recte, vt mihi videtur. Dion ortum est ex compendio scribendi. Librarii enim solebant nomina propria, quae facile ex contextu intelligi poterant, scribere per compendia. vide Perizonii Animadu. histor. pagg. 31. 183. 208. Heusingerus quidem deleuit hanc vocem, sed praeter rem. Nam in omnibus codicibus legitur. Ergo sine haesitatione Dion mutandum fuerat, et scribendum *Dionysius:* Neque sic textus corrigitur, sed tantum modo compendium litterarum plene exprimitur: quemadmodum is, qui in aliquo libro scriptum inuenit *Rom.* idque plene exprimit *Romani*, textum mutasse censendus non est. Et potius Critici officium, vt compendiarias lectiones ex mente auctoris restituat, ne lector festinans et incuriosus decipiatur, aliterque legat. Illi potius debemus gratias agere, qui impedit, quo minus in errorem incidamus. Et vt adpareat, compendia scribendi saepe Criticis fraudem fecisse, ex Ampelio, qui mihi nunc ad manus est, quaedam exempla proferam. Ampelius cap. 16. *libera custodia*, lege *liberatus custodia.* Conf. Corn. Nepot. in Cimon. cap. 2. ex quo Ampelius multa hausit. cap. 16. *Caeci* lege Caecilio. cap. 32. *Epaminon* lege *Epaminonda.* Confer quoque a me ad Obseq. pag. 97. et alibi prolata exempla.

Dion. VIII. 3.

Coniurationem confirmat: Heusingerus: *coniuratione.* Sic supra VI. cap. I. §. 5. *fide confirmarat:* Caesar B. Gall. VI. cap. 2. *iure iurando inter se confirmant*, quem locum iam adtulit Heusinger in Addendis. Verum haec me non mouent, vt vulgatum corrigam. Nam 1.) *Coniuratio* et *iusiurandum* multum differre, mihi quidem videntur. 2) Vulgata lectio habet bonum sensum, si *coniurationem* explicemus, *coniuratos.* Saepe sic occurrit, *coniuratos confirmare.*

Timo-

Digitized by Google

Timotheus cap. III. §. 1.

Macedo. Haec vox potest defendi, etsi alieno loco posita, et ideo Bosio atque Heusingero suspecta est. Nam primo omnibus libris haeret, vt ipse Heusingerus testatur. Modestus vero ac sobrius Criticus non facile textum corrigit contra libros MSS., si lectionis bonitas aliunde potest defendi. Deinde alii quoque scriptores bonae notae ita nonnumquam loquuntur, vide Oudendorp. ad Obsequent. cap. 128. not. 26. Korte ad Ciceron. Ep. ad Diuerf. libr. II. epist. 17. *Ciceronum* caussa *puerorum.* Tandem credibile est, si librarius hanc vocem inseruisset, eum positurum fuisse neutiquam loco alieno, sed statim post *Philippus.* Ergo eam retineo, nisi quis meliora adferat. Neque tamen cum iis pugnabo, qui hanc vocem e textu eiiciant. Alia quaestio, si haec vox genuina est, annon in Codicibus antiquissimis lectum fuerit *Philippus Macedo iam tum valens multa moliebatur*, vt quis ex codice Axen. apud Heusingerum potest colligere. Sed res non est tanti, vt multum de ea dicam. Hoc vero iterum addo, mihi videri, *Macedo* a Nepote ipso esse.

Datam. III. 3.

Fuit non nemo. Vt ego quidem arbitror, recte ita edidit Heusingerus. Nam altera lectio, (de qua vide Heusinger.) *nemo non* repugnat praecedentibus *ignotam formam.* vide Eumen. cap. XI. 2. *qui eius formam cognoscere studebant.* Ea vero lectio, quae habet *nemo — qui non* etiam stare nequit, quia non omnibus licitum erat, venire in conspectum regis, vt ex historia et antiquitate Persarum constat. Igitur, etiamsi multi aderunt, qui Thyum agnoscerent, non tamen huius rei caussa ad regem adcurrebant. Nepos non dicit, vnum tantum fuisse, qui agnosceret Thyum, sed verba *fuit non nemo*, *qui* etc. significant, eorum aliquem, qui Thyum agnoscerent, ad regem venisse, eique nuntiasse, Datamen cum Thyo vincto adesse, eumque ante se agere, vt si feram bestiam duceret. Quod quum audiuisset rex, neque fidem habere

bere voluisset talia referenti, (quod tam celeriter Thyum capi posse dubitauerat) misit Pharnabazum, vnum e purpuratis, quique formam Thyi cognosceret, vt videret, an vera essent, quae sibi essent dicta. Pharnabazi enim verbis plurimam fidem habebat rex. Si plures ad regem detulissent, cur plurium sermonibus fidem non habuisset, cur misisset Pharnabazum. Ponamus: regem fuisse in aedibus cum amicis, vnumque, qui forte egressus fuerat, rediisse, regique dixisse, adesse Datamem cum Thyo etc. omnes admirabantur, et rex, vt huius rei fieret certior, mittebat Pharnabazum amicum, qui vera nunciaret. Itaque non opus est coniectura Heusingeriana: *fuit nemo, qui Thyum agnosceret, quin regi nuntiaret.* Nec nostra lectio destituitur testibus idoneis, in his cod. Axeniano, quem Heusingerus optimae notae codicem in praefatione adpellat.

Agesilaus VIII. 2.

Hominis non beatissimi. Bosius in indice et Heusingerus ad h. l. interpretantur: *non admodum diuitis.* Mihi secus videtur. Latini superlatiuis *non* addunt, vbi contrarium significare volunt, neque tamen compositio cum *in* vsitata est. Nepos voluit dicere *imbeatissimus* (vt ita dicam) i. e. *pauperrimus.* Sed *beatissimus* cum *in* componi non potest, ergo dixit: *non beatissimus.* Sic Sulpicius ad Ciceron. libr. IIII. epist. 5. §. 4. *non pessime,* i. e. *optime.* Nam dicere non poterat *impessime.* Idem Sulpicius IIII. ep. 12. §. 1. *non iucundissimum,* i. e. *tristissimum:* nam *iniucundissimus* non dicitur; sic et alii.

Eumenes V. 7.

Hunc locum sic lego cum Gebhardo: *Tenuit autem se vno loco, quamdiu fuit hiems, quod castra sub diuo habere non poterat. Ver adpropinquabat, simulata deditione, dum de conditionibus tractat* etc. Sic tolluntur omnes difficultates, et lectio haec reperitur in codd. bonis: Sensus est: Eumenes per totam hiemem se tenuit in castello, quia hostis eum compulerat ex agris in castellum; neque Eume-

Digitized by Google

Eumenes poterat castra sub diuo habere. Interim adpropinquabat ver: simulat ergo Eumenes deditionem, sed, dum de conditionibus tractat etc. Phrasis *subsidia habere* mihi non placet, et facilis erat lapsus ex *sub diuo* in *subsidio*: nam *sub diuo* a librariis scribitur *sub dio*. Lacunam ergo adesse putauit librarius, quam suppleuit inserendo *si* inter *sub* et *dio Castrum* vero ortum est ex *castra*, quia librarius nomen adcommodauit phrasi *subsidia habere*, nam his corruptis amplius non stare potuit *castra*.

Eumenes XI. 6.

Neque id falsum. Haec tria verba non reiicio, nec sequentia plane damno: quae tantum alieno loco posita esse, et ex quibus excidisse quaedam videntur. Nam omnia haec verba ex margine in textum irrepsisse, mihi videntur propter ea non credibile, quia 1) Nepos fere vbique formam corporis imperatorum addere solet: 2) quia glossae vel faciliorem explicationem difficiliorum vocum, vel additamentum facile agnoscendum plerumque continent. Quis vero loco alieno intruserit haec verba? Sic legerim: *Neque id falsum. Nam et dignitate — — fuit honesta, et viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quam figura venusta.*

Hannibal cap. IIII. §. 1.

Clastidio. Hunc locum corruptum esse fatentur interpretes: Lambinus igitur addit *de*, et legit *de Clastidio*. Sed frustra, vt Heusingerus docet, qui propter ea cum Bosio suspicatur, *Clastidio* ex margine in textum irrepsisse. His doctissimis viris accederem, nisi omnes codices et editiones vetustae *Clastidio* constantissime retinerent. Videbo igitur, num alia ratione huic loco medelam afferre possim. Manifestum est, *hoc eodem* construi cum *Cornelio Scipione*, de quo ante dixerat Cornelius Nepos, et orationem plenam esse: *cum hoc eodem Cornelio Scipione apud Padum decernit.* Has vero voces, *Cornelio Scipione* librarius compendiose scripserat; (nam festinantibus scri-

ſcribis id familiare fuit, vt nomina propria et alias voces notiſſimas per compendia exprimerent, vt egregie oſtendit Perizon. Animadu. hiſtor. pag. 31. 183. 208. edit. Altenburg.) et ex compendiaria huius nominis ſcribendi ratione ortum eſt tandem, vt nunc legimus, *Claſtidio*. Vt melius hoc poſſit intelligi, en compendia huius nominis:

CORN vel CLO. SCIPIO - ex abbreuiatura factum eſt: CLA STIDIO.

Ex voc. *ſcipio* facillime fieri potuit *ſtidio*, vt quilibet videt: ſed quod ad litteras *Cla* attinet, eas tandem et per varios caſus ex abbreuiatura *Cornel.* etiam ortas eſſe, veriſimile eſt. Multa loca veterum hac ratione reſtitui poſſunt. Sic nuper ad Obſequentem pag. 98. reſtitui locum Ampelii cap. 47. vbi legitur in lemmate *CCIV* de quo Dukerus: *Non intelligo, quo hoc pertineat.* Ibi enim legendum exiſtimo: CIV. id eſt, *Ciues*, ex quo factum eſt CCIV. apud Ciceronem ad Diuerſos libr. I. epiſt. 8. §. 1. eſt in vulgatis *ex Emplatorio.* Vrſinus et Cellarius legunt *ex M. Plaetorio.* Recte. Sed quo modo hoc poteſt demonſtrari? Nomen *Marcus* erat ſcriptum compendioſe per M. et is, qui epiſtolam dictauit librario, neſciuit, quid ſibi velit littera *M* et dixit: ſcribe, *ex M*(em) *Plaetorio.* Scriba vero ex ore dictantis pendens, ſcripſit; *ex Emplaetorio*: nam in pronunciatione eumdem habet ſonum. Ex *Emplaetorio* factum eſt *Emplaetorio* et tandem *Emplatorio.* Nomen vero *M. Plaetorii* apud Romanos notum fuit, et occurrit in nummis e. gr. apud Iacob. Gutherium in libro de veteri iure pontificio libr. IIII. cap. 12. in Graeuii theſaur. Antiqq. Roman. tom. V. pag. 198. Ex his aliisque locis clarum fit, e compendioſe ſcriptis nominibus propriis, et aliis notiſſimis vocabulis ortas eſſe plurimas lectiones corruptas et deprauatas. Sed nunc opus eſt, vt occurram alii difficultati, quae poſſit coniecturae meae opponi. Dicere enim aliquis poteſt; hanc

coniecturam, vbi pro *Claſtidio* legitur *Corn. Scipione* propter ea ſtare non poſſe, quia repetitio nominis Cornelii, Scipionis auribus ingrata, ab elegantiſſimo ſcriptore proficiſci non potuit. Sed huic reſpondeo, Nepotem etiam alibi nomina propria repetere ſolere. v. c. in vita Pauſan. II. 1. *poſt eumdem Pauſaniam*, et in noſtro loco mox ſequitur: *Tertio idem* SCIPIO. Cui vero haec non ſatisfaciunt, is per me ſtatuat: Voces *Corn. Scipion.* a grammatico quodam perſpicuitatis cauſſa ad marginem, poſitas eſſe, easque deinde in textum irrepſiſſe, et denique in *Claſtidio* fuiſſe mutatas. Mihi ſufficiat demonſtraſſe, *Claſtidio* originem ſuam debere *Cornel. Scipioni*, ſiue nomen huius viri hoc loco ab ipſo Nepote ſit ſiue e grammatico.

Hannibal VI. 2.

Impraeſentiarum. Liceat mihi poſt virorum doctiſſimorum diſputationes ſuper hoc vocabulo, meam qualemcumque coniecturam adferre, Crediderim nempe, illud tribus vocibus *in praeſentia tum* conſtare, et ſignificare einſtweilen vorjezo, pro *nunc quidem* (Hannibal wollte damals einſtweilen, indem es die Umſtände erforderten, Frieden ſchlieſſen), ſed poſt felix latinae linguae ſeculum in vnam vocem *impraeſentiarum* coaluiſſe. Certe a ſcriptoribus bonis coniungitur cum praeterito; non cum tempore praeſenti, vt hoc loco: *cupiuit impraeſentiarum.* Scriptores vero ſequioris aeui, e. g. Apuleius aliique ipſi decepti videntur, nec antiquam ſignificationem et ſcripturam harum vocum ſciuiſſe: ideoque etiam cum praeſenti tempore conſtruere non dubitarunt.

Atticus I. 1.

Generatus. Auſim hanc vocem defendere, et ita explicare. T. Pomponius Atticus, qui generatus eſt ab antiquiſſima familia gentis Romanae, per omnem vitam retinuit equeſtrem dignitatem a maioribus acceptam: neque

que ad ſenatoriam adſpirauit dignitatem. *Origo* eſſe videtur *familia; vltima* eſt *antiquiſſima; ſtirps* eſt gens. Conſtruas nunc: *generatus eſt a familia antiquiſſima gentis Romanae* (ſic: a Marte generatus). Dele vero *generatus*, et oratio minus bene fluit. „Atticus a prima gentis Romanae origine perpetuo (i. e. *per omnem vitam* (Attici) neutiquam vero, vt Heuſingerus interpretatus eſt: *perpetua ſucceſſione:* obtinuit dignitatem a maioribus acceptam." Quid hoc ſibi vult? Quomodo Atticus potuit *ab origine prima gentis Romanae* dignitatem equeſtrem obtinere? — Nepos ſine dubio addidit participium, quod conſtruitur cum τῷ *Atticus* Sic Dion I. 1. *Dion — nobili genere natus.* Datames I. 3. *Datames — natus — fuit.* Cato I. 1. *Cato ortus — verſatus eſt.* Sic ergo hoc etiam loco: *Atticus — — generatus — obtinuit.*

Atticus III. 3.

Locus vexatus, cuius ego lectionem veram inueniſſe mihi videor. Lege: *Igitur primum illud munus fortunae, quod in ea potiſſimum vrbe natus eſt, in qua domicilium orbis terrarum eſſet imperii, et eamdem et patriam habere et domum voluit.* Sic fere omnes libri et MSS. et editi. vide Heuſingerum et Boſium. Nihil muto praeter vnam voculam *vt* in *et.* ET et VT vero ſaepiſſime confunduntur, vt in illo loco Flori, quem interpretes (apud Dukerum) varie, ſed fruſtra tentarunt, libro II. cap. 4. §. 3. *Hi ſaepe* ET *alias*, SED *Britomaro duce*, lege ibi ex mea quidem ſententia, *Hi ſaepe*, VT *alias*, SIC *Britomaro duce* etc. tunc omnis euaneſcit difficultas. *Haberet*, pro quo ego lego *habere*, ortum eſt ex *habere et:* nam quum editores *voluit* abſque cauſſa ſontica, repugnantibus libris omiſiſſent, neque adeſſet verbum, a quo infinitiuus regeretur, putarunt litteram T propter vocem ſequentem *et* excidiſſe, eamque infinitiuo addiderunt. Suſpicor etiam, Boecle-

 rum

Digitized by Google

rum in codd. inueniſſe *habere*, neutiquam vero *haberet*. Certe ex verbis eius apud Boſium non poteſt probari, codd. eius habuiſſe *haberet*, nam eorum ſcripturam compendioſe adfert: *vt eamdem et patriam* HAB. *et domum voluit.* Forte Boeclerus ipſe deceptus eſt. Sed ſi in Boecleri codd. *haberet* fuit, quod neſcio, ſequitur, vt eius codd. corruptionem ex aliis retinuerint. Coniectura vero mea optimum habet ſenſum: *et* (ſubintell. *quod*) *eamdem et patriam habere* (Atticum) *et domum* (fortuna) *voluit.* Nempe fortuna voluit, vt Atticus et patria et domo Romanus eſſet. Mox pro *fuerit* lego cum Heuſingero *fuit cariſſ.* Nepos *quod* cum indicatiuo fere vbique conſtruit. Hoc loco: *quod natus eſt, et* (quod) *voluit* — *quod* — *fuit cariſſimus.* Quale pretium meae coniecturae ſit ſtatuendum, alii videbunt. Dare vero hoc debui Nepoti noſtro, vt eius verba contra ſuſpicionem criticorum, praeſertim Heuſingeri (in Appendicula repetitas) vindicarem, quantum liceret.

Atticus XII. 5.

Quod in praeſenti. Neſcio, cur Heuſingerus, omnibus libris inuitis, ſola edit. Pariſ. motus, haec verba damnet, et ſubſtituat: *Quod impetratum ei. In praeſenti* eſt *tunc*, nec Cornelius curat, quid poſteritas de hoc facto iudicatura ſit, ſed narrat, quid tunc temporis homines de eo iudicauerint. Senſus eſt: Nemo facile dixerit, vtrum labor, quem Atticum iſto tempore ſubire oportuit, maior fuerit, an laus, quam ſibi eo facto peperit. Si Heuſingeri lectio praeferenda ſit, videtur legendum; *difficile* ERIT *iudicare.*

Atticus XIII. 6.


Scimus. Hoc verbum Boſio et Heuſingero moleſtum et ſuſpectum eſt, quia ſequitur: *atque hoc — praedicamus!* Sed haeret omnibus libris, et bonum habet

Digitized by Google


bet ſenſum: modo coniungas: *Scimus ex ephemeride.* Senſus eſt: Ex ephemeride Attici ſcio, (atque hoc ſcire me profiteor non tamquam teſtis auritus, ſed tamquam teſtis oculatus) non amplius etc. Addit Cornelius haec, vt adſerto ſuo maiorem fidem conciliet. Facile enim praeuidere poterat, multos de veritate dubitaturos. Adfirmat ergo, ſe ipſum inſpexiſſe diarium Attici.

Atticus XVIII. 4.

Corneliorum et. Haec verba, quae Lambinus ſuppleuit, mihi quidem ſuperflua videntur. *Scipio*, cuius rogatu familiam *Aemiliorum* enumerauit Atticus, ſatis nouerat familiam Corneliorum, (vt fit etiam hodie, quiuis enim *ſuam* familiam poteſt enumerare) ſed familiam *Aemiliorum*, qui cum Scipionibus coniuncti ſunt, non item. Ergo petiuit ab Attico, vt horum quoque familiam deſcriberet. Praepoſuit autem Cornel. nomen *Fabiorum*, et poſtpoſuit *Aemiliorum* per χιασμον.



Digitized by Google



XVII.

DE MERCVRII STATVIS ANTE AEDES IANVASQVE APVD GRAECOS POSITIS *).

Patriae amorem omnibus paene hominibus insitum quasi atque innatum esse, eaque nihil dulcius, nihil suauius vel ab antiquissimis maximeque barbaris nationibus fuisse habitum, cum experientia docet quotidiana, tum veneranda antiquitatis monimenta. Quare quid mirum, mihi quoque nihil iucundius euenire potuisse, qui vltra quatuor annos litterarum caussa extra patriam ab amicis et cognatis auulsus vixissem, quam vt, commoda oblata occasione, prouida dei cura suffultus, ad eos redirem, quibuscum me et vinculum amicitiae vsusque et beneficiorum multitudo, quae grata semper repetam memoria, coniunxerat quam artissime? In eo autem me prae multis beatum esse arbitror, qui in ea academia, in qua primum litteris seuerioribus imbutus fui, in eaque vrbe, quam elegantia platearum, loci amoenitas aerisque temperies atque elegantia vitae hominum et consuetudinis prae reliquis commendant; cum iis viris copulatus, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo, et quorum complures fidos olim habui praeceptores, nunc vero eos ad vnum omnes mihi amicos atque beneuolos esse cognoui; litterarum amantibus, ad quorum diligentiam mira adcedit suauitas morum atque vrbanitas, bonas artes; easque publica munitus auctoritate, possim tradere. Munificentia enim *Serenissimi Principis*

*) Hanc prolusionem, paucis adcessionibus nunc locupletatam, Erlangae scripseram, quum ad orationem pro munere Professoris extra ordinem capessendo, d. III. Maii cIↄIↄccLXV habitam, inuitassem.

pis, DOMINI DOMINI FRIDERICI CHRISTIANI, patris patriae optimi; in cuius animo ſapientia, pietas, magnitudo, amor ciuium, praeſertim huius litterarum mercaturae, ſedem ſibi et ſacrarium delegiſſe videntur, et ſub cuius fauſtiſſimis auſpiciis litterae efflorefcunt, ciuiumque viget ſalus, factum eſt, vt mihi munus litterarum extra ordinem in hac Fridericiana docendarum, clementiſſime demandaretur. Hoc autem nouo munero, quo pro virili omni ſtudio, omni cura, omnique diligentia fungi annitar, optimus princeps, qui inter tot infinitos pro reipublicae ſalute ſuſceptos labores, in quibus perficiendis integros dies conſumit, bonamque partem de nocte ſaepe demit, litteras prouida cura reſpicit, alitque munifice, ingenia excitat, litterarum amantes numine ſuo protegit, ornamentis cumulat, ſtimulosque addit, ad litteras alacrius excolendas, mihi quoque inſigne dedit documentum ſuae clementiae, optimamque occaſionem has eius diuinas virtutes omni reuerentia animique ſubmiſſione enarrandi, quibus quidem pro eo, ac iuſtum eſt, laudandis imparem me profiteor. Aliquod igitur publicum deuotiſſimae et gratiſſimae mentis vt exſtet teſtimonium, in oratione, quam muneris adeundi cauſſa d. III. Maii poſt horam X. in auditorio philoſophico, more a maioribus bene et ſapienter inſtituto, habiturus ſum, non modo Fridericianae academiae fidem obſtringere, ſed etiam quid indulgentiae clementiſſimi Principis, quid patriae, quid viris natalibus et dignitate ſplendididiſſimis concilii intimi Byruthini Adſeſſoribus, Maecenatibus de me immortaliter meritis, quid Patribus huius Academiae conſcriptis debeam, teſtatum relinquere; et Commilitonibus ſuauiſſimis, pauca de iucunditate atque vtilitate, quas litterae profanae ſtudio philologiae ſacrae adferant, diſſerendo, fidem diligentiae et laborum facere iuuat: cui orationi, vt Magnificus Academiae Prorector, Illuſtris Procancellarius, reliquique Patres Conſcripti, diuinarum humanarumque litterarum Profeſſores omnium ordinum Spectatiſſimi et Commilito-

nes tam natalibus quam laude ingeniiſque florentiſſimi, frequentes interſint, pro ea, qua decet, pietate, obſeruantia atque humanitate oro rogoque.

Ego vero vt conſuetudinis laudabilis et academiae legibus paream, quamdam diſputatiunculam de Mercurii ſtatuis (reliquorum vero deorum ſimulacra praetermittam) ante fores poſitis, ex Graeca delibatam antiquitate adiungam. Breuitati quam maxime ſtudebo, partim quod iam alii in hoc argumento cum laude verſati ſunt, quamquam valde doleo, non omnium, qui eamdem materiam vel attigerint vel perſequuti ſint pluribus, libros in manus veniſſe, partim quod multa alia, impediuerunt, quo minus omnia vberius explanarem. Inter ea haec ſufficiant iis, quorum intereſt de me iudicare, ſpecimen cum amoris litterarum, quae ab humanitate nomen habent, tum maxime religionis et pietatis exhibere. Hoc igitur agam.

Inter alia cognomina, quibus Mercurium veteres, falſis religionibus addicti, more ſuo ſatis liberaliter inſignire conſueuerant, reperimus quoque nomina, *θυραῖϰ, πϱοθυραῖϰ, ϛϱοφαῖϰ, πϱοπυλαῖϰ* atque *ἐνωδῖϰ*, etc. de quibus in praeſenti, laeta hac occaſione inuitati, breuiter agere conſtituimus; quod quo iuſtius feliciusque procedat, primum excitabimus loca quaedam veterum ſcriptorum claſſica (omnia enim proferre quid iuuat?) eaque paucis deinde illuſtrabimus obſeruationibus. Ita vero Mercurius in Hymno in hunc falſum deum, qui Homero attribui ſolet, verſ. 15. adpellatur *πυληδόκος*. Hic vero de ſemet ipſe loquitur apud *Comicum* in comoedia Plutus inſcripta verſ. 1154. (vbi in ſeqq. verſibus Mercurius plura ſibi tributa recenſet munia cognominaque: et ſcholiaſtes cum Hemſterhuſio ea explicat vberius.)

Παϱὰ τὴν θύϱαν ϛϱοφαῖον ἱδϱύσασθέ με:

quae verba a Scholiaſte ita copioſe explicantur. *Στϱοφαῖον ἐπὶ ἀποτϱοπῇ τῶν ἄλλων κλέπτων - - Ἄλλως ϛϱοφαῖον,*

ϛϱοφαῖον, ἐπὶ ϛϱεφαὶ λέγονται, καὶ οἱ συμπεπλεγμένοι καὶ δολεϱοὶ λόγοι. ϛϱοφαῖον γὰϱ ἐκάλȣν, ἱδϱύμενον παϱὰ τῇ θύϱᾳ τὸν δαίμονα. ἅμα δὲ παϱὰ τὸ ϛϱέφειν τὰ πϱάγματα - ἐπωνυμία γάϱ τȣ̃το Ἑϱμȣ̃, παϱά τὸ ταῖς θύϱαις ἱδϱύσθαι ἐπὶ φυλακῇ τῶν ἄλλων κλεπτῶν· ἢτοι γὰϱ ὀπίσω τῶν θυϱῶν εἰώθασι, καὶ ἀναδύεσθαι, καὶ ὅλως πανȣϱγέυεσθαι. Spanhemio tamen ad illum Aristophanis locum, potius indita haec Mercurio ante fores aedium ſtanti Στϱοφάιȣ adpellatio ſtatuenda videtur, quod ϛϱοφεὺς de cardine aedium a Graecis vulgo diceretur.

Ἔνθα τοι ἀντιόωντες ἐνὶ πϱομολῇσι δέχονται,
Ὅπλα μεν Ἑϱμείης ἀκακήσιος, αὐτάϱ Ἀπόλλων
Θηϱίον ὅ, ττι φέϱησθαι — — —

Quae verba ven. *Erneſti* in editione ſua huius poetae elegantiſſima ita vertit.

Ibi tibi obuius in atrio excipiunt
Arma quidem fert Mercurius Acaceſius, Apollo autem
Feram, quam — — —

Aelianus V. H. Libr. II. cap. 41. pag. 174. edit. Gronou. vbi vide Scheffer et Perizon. (Xenocrates) τῷ Ἑϱμῇ τῷ πϱὸ τῶν θυϱῶν ἑϛῶτι ἐπέθηκεν αὐτόν (ϛέφανον). Ex Timaeo dixit *Athenaeus* X. p. 436. B. (quem locum debeo magno *Hemſterhuſio* ad Ariſtophan. Plutum pag. 445. ex Harling. 1744. Ἑϱμῆν τὸν ἱδϱύμενον ἐπὶ τῆς αὐλῆς. Idem ille *Hemſterhuſius* mem. loc. pag. 444. *Euſtathii* verba ad Il. ώ: pag. 1353. v. 9. profert. Στϱοφαῖος, inquientis, Ἑϱμῆς φησὶν ȣ̓ μόνον ὁ παϱὰ τῷ ϛϱοφεῖ ἱδϱύμενος, ἀλλὰ καὶ ὁ ϛϱέφων καὶ ἐξαπατῶν, οἷον, ϛϱόφις. Στϱόφις autem *verſutus* eſt, vt idem Hemſterh. docet ibidem. *Cornelius* in Alcibiade cap. 3. *Adcidit, vt una nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis, deiicerentur praeter vnum, qui ante ianuam erat Andocidis:* ad quem locum conferas I. A. Boſii

 notam

notam pag. 186. ed. Stauer. et ipſum Stauer. in minore ſua editione Lugd. Bat. 1755. pag. 91. Ita quoque iudicant *Etymologus M. Heſychius*, aliique. Memorabile tamen *Andocydis* teſtimonium a cel. *Freytag* in *decade oratorum et rhetorum Graecorum*, quibus ſtatuae honoris cauſſa poſitae fuerunt (Lipſ. 1752.) pag. 16. excitatum, paene praetermiſiſſemus, quod quidem multum conducit ad ritum hunc ipſumque Cornelii locum modo memoratum bene explanandum. Ita vero Andocides. Ὁ Ἑρμῆς, ὃν ὁρᾶτε πάντες, ἐς παρὰ πατρῴαν οἰκίαν τὴν ἡμετέραν, ὃν Ἀιγηΐς ἀνέθηκεν, οὐ περιεκόπη, μόνος τῶν Ἑρμῶν τῶν Ἀθήνησιν; quam, miror, locum a Boſio atque Heuſingero omiſſum fuiſſe ad veram Cornelii lectionem eliciendam et confirmandam, quum tamen, a quonam haec ſtatua primum poſita; et quomodo ante deſtructionem et vaſtationem Mercuriorum vocitata fuerit, ſatis declaret, et Plutarchus, a Boſio in ſubſidium vocatus, multo poſt Andocidem natus ſit. Quare propter Andocidis auctoritatem Boſiana lectio: *qui ante ianuam erat Andocidis. Itaque ille poſtea Mercurius Andocidis vocitatus eſt;* quam lectio Schefferiana aliorumque: *qui ante ianuam erat Andocidis et Andocides vocatus eſt*, mihi quidem magis adridet: quamuis *Heuſingerus* in notis ſuis ad h. l. Schefferianam magis probet. At vero ſufficiant haec ad vindicandam veram, quae mihi quidem videtur, Nepotis lectionem: atque progrediar ad Pollucem, qui libr. VIII. Sect. 72. Ἐν δὲ τῷ δεσμωτηρίῳ, καὶ πεντεσυριγγόν τι ξύλον ἐκαλεῖτο, καὶ στροφαῖος ἐν τῷ οἰκήματι περὶ τὸν στροφέα ἱδρύμενος Θεός. Ἐστι δ' ὁ Ἑρμῆς (qui in carcere ianuae adſidet.) ad quem loc. vide Iungermannum et Hemſterhuſium. Mercurium vero veteres Athenienſes non ſolum ante ianuas priuatorum ponere ſoliti erant, ſed etiam ad hortos, in locis publicis et ſacris, quinimo iuxta ſepulcra. Hoc *Anytae* epigramma in Mercurium dedit Wolfius in Poetriarum octo Fragmentis et elogiis. Hamburgi 1734. pag. 96.

Ἑρμᾶς

Digitized by Google

Ἑρμᾶς τᾷδ' ἕκαστα παρ' ὄρχατον ἠνεμόεντα
ἐν τριόδοις, πολιᾶς ἐγγύθεν ἀϊόνος,
Ἀνδράσι κεκμηῶσιν ἔχων ἄμπαυσιν ὁδοῖο·
ψυχρὸν δ' εὐκραὲς κράνα ὑποϊάχει.

Hermes hic ſto ad hortum ventoſum,
In triuiis canum prope littus,
Viris laborantibus habens requiem viae.
Frigida a bene temperato fonte ſubterſtrepit.

Scholiaſtes ad Thucydidis libr. VI, 27. multos Mercurios, narrat, non modo in priuatorum aedium veſtibulis (ἐν ἰδίοις προθύροις) ſed etiam ἐν ἱεροῖς (locis ſacris) vna nocte vultu circumciſos fuiſſe. In ipſo arcis introitu in pariete ſimulacrum Mercurii Propylaei fuiſſe docet *Pauſanias* libr. I. c. 22. pag. 53. Κατὰ δὲ τὴν ἔσοδον αὐτὴν ἤδη τὴν εἰς Ἀκρόπολιν Ἑρμῆν, ὃν προπυλαῖον ὀνομάζουσι, καὶ χάριτας Σωκράτη ποιῆσαι τὸν Σωφρονίσκου λέγουσι. *Idem* libr. IV. c. 33. pag. 361. memoriae prodidit, in ipſa porta ſignum Mercurii poſitum fuiſſe Athenienſes quadrangula figura Hermas feciſſe, aliosque Graeciae populos eam ab illis acceptam formam in Mercurii ſigillis vſurpaſſe. Ἰόντι δὲ, ait, τὴν ἀπ' Ἀρκαδίας ἐς Μεγάλην πόλιν, ἔστιν ἐν ταῖς πύλαις Ἑρμῆς τέχνη (vbi mallem cum Kuhnio legere τέχνης artificii Attici, prout artifices Athenienſes faciunt, Hermas nempe quadratos,) τῆς Ἀττικῆς. Ἀθηναίων γὰρ τὸ σχῆμα τὸ τετράγωνόν ἐστιν. ἐπὶ ταῖς Ἑρμαῖς, καὶ παρὰ τούτων μεμαθήκασιν οἱ ἄλλοι. *Harpocration* pag. 172, quod repetit pag. 303. ad portam Atticam, (παρὰ τὸν πυλῶνα) memorat, poſitum fuiſſe Mercurium: vbi Mauſſacum conferas. Vide inſuper *Pauſaniam* libr. IX. cap. 10. qui etiam libr. X. cap. 12. iuxta ſepulcrum erectum fuiſſe Mercurium e lapide, figura quadrangula, litteris conſignauit. Multa praeter ea Mercurii ſimulacra hinc inde prae-

Digitized by Google

praesertim in Ceramico in foro posita fuisse, docet *Meursius* in Ceramico gemino cap. 16. p. 50: vnde Mercurio cognomen ἀγοραῖος haesit, teste Scholiaste ad Aristophanis Equit. 297. vide etiam *Alberti* ad Hesych. pag. 62, 16. Syracusis denique in more fuisse, aulae siue regiae aditum Mercurii statuis ornare, ostendit *Spanhemius* ad Callim. H. in Dianam vers. 142. quem etiam ad v. 145. et ad Aristoph. Plutum v. 1154. vide. Confer. *Casaubonus* ad Athenaeum pag. 687. *Sagittarius* de ianuis veterum cap. 34. in thes. Graeu. T. VI. pag. 524. *Iac. Sponius* in Miscell. eruditae antiquitatis p. 9. et 10. *Euerh. Otto* de tutela viarum publicarum. Traiecti ad Rhen. 1734. pag. 167. sq. qui multa ex *Kircheri* Oedipo Aegyptiaco T. I. Romae 1652. cap. 22. pag. 390. desumsit neque tamen, more suo, auctorem suum nominauit.

Praeter ea multa apud veteres legimus de λόφοις ἑρμαίοις, qui erant tumuli, Baetyliorum quoque nomine insigniti, siue congesta saxa ad vias Mercurio, principi viarum duci, sacra, *) de quibus *Eustathius* ad Odyss. π. 11. et praeter Kircherum, Sponium atque Everh. Ottonem in libris excitatis pluribus egerunt *Eschenbach.* de vnctionibus Gentilium in Diss. academ. pag. 391. sq. *Schedius* de diis Germanis pag. 505. (Hal. 1728.) vbi vide notas Iarkii. *Weissius* in diss. de numinibus vialibus Lips. 1726. pag. 30. Hinc Mercurius noua accepit cognomina, ὅδιος, ὁδηγὸς, ὁδέτης, ἐνόδιος, ἡγεμόνιος, adpelli-

*) Nec illi λόφοι recentioribus haud sollemnes sunt: vide, quae de Arabibus *Montagu* in particula itinerarii sui (in actis litter. Halens. plag 88. pag. 701. seq. 1766.) scripsit: vbi inter alia memorat: „Hiebey ist zu wissen, dass, wenn die Araber vor einen Stein oder vor ein Stück Landes eine grosse Hochachtung haben, wie der Stein Mahomets, und andere dergleichen sind, so legen sie nach ihrer verrichteten Andacht einige kleine glatte Steine auf denselben hin.„

Digitized by Google

pellitatus: in quibus cognominibus rituque inueſtigandis cum laude multaque doctrina verſati ſunt *Spanhemius* ad Ariſtoph. Plutum v. 1160. *Seldenus* de diis Syriis. libr. II. cap. 15. pag. 350. ex M. Andr. Begeri, cuius obſeruatio pag. 330. de loco illo Prouerb. Salomonis cap. 26. v. 8. quem de aceruis his lapidum Mercurialibus plurimi intelligunt, lectu digna eſt: *Gyraldus* in Syntagm. deorum c. IX. p. 306. *Bergier* in hiſtoire des grands chemins de l'Empire Romaine Tom. II. Bruxelle 1736. 4. qui vero hoc argumentum more Gallorum perſequitur.

Poſtquam igitur ex locis, quae adduximus, ſat multis vidimus apud Athenienſes praecipue Mercurii ſimulacra, quibus eorum vrbs paene referta fuit, non ſolum in locis publicis et ante aedes ſacras, ſed etiam iuxta domum et ad fores in ipſa aede ianuamque domus interiorem, quinimo ad carceris ianuas (vid. Hemſterhuſ. ad Pollucem libr. VIII, ſ. 72.) poſita fuiſſe, ſequitur, vt de locis quibusdam, ἄυλη, προθύραιον, ſiue πρόθυρον, προπύλαιον, vbi Mercurii ſimulacra conſpiciebantur, antea agamus, quam formam illorum et materiam conſideremus. De θύρα nihil eſt, quod moneamus. De diuerſis autem vocabuli ἄυλη ſignificationibus aliae aliorum ſunt ſententiae, quas conciliare ſtudebimus. Primo ἄυλη antiquiſſimis fere ſcriptoribus, vti *Graeuius* in lectionibus Heſiodaeis. (pag. 75. exempl. Clerici) obſeruat: caulam denotat, in qua oues capreae aliaque pecora ſtabulabantur. Latinis eſt cohors: vid. *Varronem* de L. L. p. 22. ex. Stephani, qui, *cohors*, ait, *quod vt in villa ex pluribus tecteis coniungitur, ac quiddam fit vnum: ſic haec ex manipuleis copulatur cohors; quae in villa dicta, quod circa eum locum pecus coerceretur.* vid. ad h. l. *Turnebum* pag. 47. Illa vero alia fuit vicinalis ſeu villatica, locus vel aedium parietibus vel maceria clauſus ad animalia domeſtica continenda (v. *Salmaſ.* exercit. Plinian. p. 310.): alia vero cohors fuit agris atque ſiluis, locus cratibus

tibus aut retibus clausus ad mutandas mansiones pecusque custodiendum; vid. *Varronem* de re rust. libr. II. c. 2. pag. 76. *Contra*, inquit *illae* (oues) *in saltibus quae pascuntur, et a tectis absunt longe, portant secum crates, aut retia, quibus* cohortes *in solitudine faciant caeteraque vtensilia.* Ita bene iam docuit *Io. Columbus* in libro inscripto, in incerti scriptoris graeci fabulas aliquot Homericas de Vlixis erroribus pag. 91. Atque *Homerus* Il. λ. v. 773. quando, Peleum, cecinit, femora bouis adoleuisse Ioui *ἀυλῆς ἐν χόρτῳ*, cohortem villaticam innuisse videtur. Quae quum ita sint, verba soteros nostri apud Ioannem X, 1. *ἀυλη τῶν προβάτων* et v. 16. *πρόβατα, ἃ ὐκ ἔϛιν ἐκ τῆς ἀυλης ταύτης* minus recte explicita mihi videntur, dum verteres per aulam ouilem: septum potius, siue cohortem ouium interpreteris. Ἄυλιον pro *stabulo* Graecis etiam vsurpari, docuit *Pierson* in Verisimil. libr. II. c. 3. pag. 169. Deinde *ἀυλη* significat vestibulum siue locum septum et subdiualem ante aedes. *Eustathius* in Odyss. *α*. 452. (ad quem Homeri locum vide Barnesium) *ἀυλη* inquit, *μὲν κυρίως τόπος ἐϛὶ διαπνεόμενος, ὁ ἐϛι ὕπαιθρος πρὸ τῶν μεγάλων οἴκων.* Conferas quoque doctam *Perizonii* obseruationem de vi usuque huius vocabuli ad Aeliani V. H. III. 4. *A. Gellius*, qui rebus et verbis antiquis multum adfundit luminis, in noct. Attic. libr. XVI. cap. 5, vbi de vestibuli significatione multa disputat, adprime describit locum illum ante aedes. „Qui domos, inquit, antiquitus faciebant, „locum ante ianuam relinquebant, qui inter fores domus „et viam medius esset. In eo loco, qui dominum eius „domus salutatum venerant, prius quam admitterentur, „consistebant, et neque in via stabant, neque intra aedes „erant. Ab illa igitur grandis loci constitione et quasi „quadam stabulatione vestibula adpellata sunt. Spatia, „sicut diximus, grandia ante fores aedium relicta, in „quibus starent, qui venissent, prius quam in domum „intromitterentur.„ Adde *Feithii* antiq. Homer. pag. 358.

Digitized by Google

et cl. *Stoeberi* obſ. ad eas pag. 55, atque interpretes ad *Gratii Faliſci* Cyneget. verſ. 167. *Perizonius* ad loc. Aeliani excitatum, ἄυλην, oſtendit, quum vſurpata fuerit pro ipſo atrio, (quod frequenter quoque innuitur illo vocabulo) veſtibulum tunc dici προαύλιον, ad quam ſententiam corroborandam e ſacris pandectis locum Marc. cap. XIV, 54. coll. verſ. 68. profert. Domi quisque ſuae habebat aram, in qua ſacra priuata fierent, ſaltem focum: Graeci ante domum; ἐν ἀυλῇ, Romani in compluuio: vt cel. *Erneſti* ad Xenoph. Memor. Socr. I. 1. nr. 2. ait de Graecis v. Dorvill. ad Charit. p. 247. forſan aliquando in Mercurii honorem. Denique palatium ſiue regis domus dicitur ἀύλη. *Euſtath.* ad Odyſſ. ά, 425. Καὶ ἀύλαι τὰ βασίλεια διὰ τὸ μεγάλȣς ἔχειν πρὸ τῶν οἴκων ὑπαίθρȣς τόπȣς. Συνεκδοχικῶς δὲ ἡ ὅλη οικία. Adde *Barnes.* ad Hom. Odyſſ. δ́. 74. et *Perizonium* ad Aelian. V. H. III, 4. Pars autem domus prima, domusque frons tamquam prima, ipſumque veſtibulum nominabatur πρόθυρον. Ita legimus in Hymno, qui Homero tribui ſolet in Mercurium v. 384. *Vitruuius*, quem Schefferus ad Ael. V. H. II. 41. profert, πρόθυρα, ait, Graece dicuntur, quae ſunt ante ianuam veſtibula, a προπυλαίοις et προναίοις diuerſa fuerant. In lexico Vitruuiano Bernardini Baldi Vrbinatis, aucto a Ioanne de Laet, veſtibulum fuiſſe, legimus, locum ante domum, per quem a via ad aedes eſſet iter; porro Graecos dixiſſe, πρόθυρον, vrbium προπυλαῖον, templorum πρόναον, aedium caeterarum πρόθυρον. Quid vero πρόθυρον fuerit, adcuratius oſtenderunt *Homerus* Odyſſ. ά, ibique Scholiaſtes: Poſtquam enim Minerua dicitur coelo deſcendiſſe, tunc verſ. 103.

Στῆ δ' Ἰθάκης ἐνι δήμῳ, ἐπὶ προθύροις Οδυσῆος.
Οὐδȣ̃ ἐπ' ἀύλειȣ.

Hic inueniebat dea procos talis ludentes, inter quos Thelemachus triſti animo verſatus variaque conſilia animo volu-

volutans, quum eam videret, propius arceſſit dextra prehenſa verſ. 119.

> Βῆ δ' ἰθὺς προθύροιο νεμεσσήθη δ' ἐνὶ θυμῷ
> Ξεῖνον δηθὰ θύρησιν ἐφεστάμεν.

Ad quae verba Scholiaſtes haec adnotat: Ἐπ' εὐθείας; ὡς ἐπὶ τὸ πρόθυρον οὐκ ἔνδον, ἀλλὰ πρὸ τῷ ἐν τῷ τύκτῳ καλουμένῳ δαπέδῳ. Ex his colligimus, πρόθυρον non ante aulam, ſed veſtibulum domusque pauimentum fuiſſe, ſiue etiam ante πρόδομον, ibique hoſpitibus ſolitos eſſe lectos ſterni ex Homero conſtat. Per πυλῶνα tamen non ſolum ianuam vel portam, ſed etiam totum πρόναον intelligi, videmus ex locis, quae *Wolfius* in cur. philol. et criticis ad Act. X, 17. et cap. XIV. 13. atque *Kypke* obſſ. ſacr. tom. II. p. 59. ad Act. XII, 14. adduxerunt. In προμολαῖς denique, ex Callimacho ſupra perſpeximus, ciusmodi ſtatuas haud raras fuiſſe: Spanhemius autem in commentar. ſuo in H. in Dianam v. 99. προμολὴν, oſtendit, de aditu ſeu veſtibulo domus haud infrequenter reperiri, quem etiam legas ad v. 142.

Ad Hermas ſiue Hermetis ſtatuas reuertentes, eas, animaduertimus ex ligno, vel lapide vel etiam marmore ita effictas eſſe, vt caput ſolum emineret, reliquum autem corpus quadratum plerumque rude atque informe eſſet, Priapique quamdam haud raro haberet formam: quibus ſi variorum numinum, aliquando etiam philoſophorum, poetarum aliorumque inſignium virorum capita imponebantur, quod quidem frequenter factum eſt, nomen a capitibus illorum dabatur, inſcriptione in parte inferiori addita. Singula, quae nunc dicta ſunt, auctoritate veterum ſcriptorum corroborabimus; de cuius quidem ritus auctore, Hipparcho, modoque inſcriptionum diuerſo agit *Ev. Otto* de tutela viarum publicarum pag. 167. et *Langbaenius* ad Longin. IV. 14. de his ſtatuis, earumque forma et mutilatione. Effigies illarum deſcriptas

ptas aereque expressas videmus in *Sponii* Miscellaneis; *Montfaucon* antiquité expliquée. Prim. Part. L. III. pag. 133; apud *Fuluium Vrsinum* in illustrium imaginibus e marmore numis et gemmis expressis. Antwerp. 1598. atque apud alios multos antiquitatis interpretes. *Vlpianus* ad Demosthen. in orat. contra Leptinum pag. 590. ex. Wechelii ξύλα, ait, ἢ λίθοι τετράγωνοι ἦσαν· ἔχοντες ὄψιν Ἑρμῦ ἐπάνω· Κάτω δὲ ἐν τῷ πλάτει τὰ ἐπιγράμματα. Scholiast. Thucydid. libr. VI, 27, 55. ἐπεὶ φασι τὸν Ἑρμῆν λόγυ καὶ ἀληθείας ἔφορον εἶναι· διὰ τῦτο καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῦ τετραγώνυς καὶ κυβοειδεῖς κατεσκεύαζον. Αἰνιττόμενοι, ὅτι τὸ τοιῦτο σχῆμα, ἐφ' ἃ μέρη πέσῃ, πανταχόθεν βάσιμον καὶ ὄρθιον εἶναι· ὅτω καὶ ὁ λόγος, καὶ ἡ ἀλήθεια ὁμοῖά ἐςι πανταχόθεν ἑαυτῇ· τὸ ψεῦδος δὲ πολυχῦν καὶ πολυσχεθές: quocum ad verbum consentiunt *Suidas* in Ἑρμῶν et *Bisetus* ad *Aristophanis* Lysistratem vers. 1096. *Thucyd.* ibid. ἐν δὲ τῦτω, ὅσοι Ἑρμαῖ ἦσαν λιθινοὶ ἐν τῇ πόλει τῇ Ἀθηναίων· εἰσὶ δὲ κατὰ τὸ ἐπιχώριον (ritu patrio) ἡ τετράγωνος ἐργασία — — (opus ex lapide quadrato) *Pausanias* I. cap. 17. λίθοι δὲ εἰσιν Ἑρμαῖ conf. libr. II. extr. Idem vero ibid. cap. 27. memorat Mercurium ligneum. Effigies trunco impositas aeneas aut marmoreas quoque fuisse, vetus interpres ad Iuuenalis Satyr. VIII, 53. docet. „*Hermae*, inquit, effigies aeneae aut marmoreae sine manibus, quales videmus in circo. *Hermas* Athenienses ante ianuas pro religione positos habuere.„ Iuuenalis autem verba haec sunt:

At tu
Non nisi Cecropides Truncoque simillimus Hermae,
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi *marmoreum* caput est, tua viuit imago

ad quem locum legas *Lubinum;* et, in edit. Henninii, Grang. inprimis Io. Britannicum, adde *Sagittar.* de Ia-

Digitized by Google

nuis veterum cap. 35. pag. 527. Hermetis ſtatuas, ex his videmus, ex lapide lignoue, (neque vero quoduis aptum fuit; vnde illud prouerbium natum eſt, non ex quouis ligno fit Mercurius) eſſe elaboratas: vide, quae ſuper h. l. Iuuenalis et de pretio illarum ſtatuarum eleganter diſputat *Leſſing* V. C. in libro Laocoon inſcripto, tom. I. pag. 88. ſeqq. Deinde, quoniam Mercurius veri et ſermonis auctor habebatur, quadratam formam, diſcimus, tamquam ſignum fuiſſe veri, quae, quacunque parte proiiceretur, plana eſſet ſibique conſtans: quam quoque fouet ſententiam *Codinus* de origine Conſtantinop. apud *Oiſelium* in commentario ad num. ſel. pag. 255. τετράγωνον αὐτὸν ποιοῦσι διὰ τὴν στεῤῥότητα τοῦ ἀληθοῦς λόγου; vide etiam *Henr. Chriſt. Henninii* notam ad Bergier. in theſ. Graeu. tom. X. pag. 781. Vetus tamen criticus ad Odyſſeam Homeri apud *Menagium* ad Diogenem Laertium V, 82. pag. 223. aliam huius quadratae formae cauſſam indicat, quod Mercurius quatuor res humano generi valde vtiles inuenit, litteras, artes, muſicam et palaeſtricam, ac Geometriam. Ita enim, Ἑρμῆς, ait, ὁ Διός καὶ Μαίας τῆς Ἄτλαντος παῖς, ἔτι ὢν ἐν ἀνθρώποις τέσσαρα μέγιστα εὕρετο, γράμματα, καὶ μουσικὴν καὶ πάλαιστραν, καὶ γεωμετρίαν· ὅθεν καὶ τοὺς ἕλληνας τετράγονον αὐτὸν ἀσκῆσαι, καὶ οὕτως ἐν γυμνασίοις ἀναθεῖναι. Atque *Plutarchus* opp. vol. II. ex Xylandri pag. 797. cur veteres mutilas formarint illas ſtatuas ſine manibus et pedibus, hanc fuiſſe ſcribit cauſſam, quod hoc aenigmate ſapientes indicaturi erant, a ſenioribus minime requiri, vt corpore obeant ſeruicia, modo prudentia in iis eluceat, et ratio efficax atque foecunda.

Formam interdum ſtatuarum in media parte ſatis inuerecundam, nec ſtatuis Priapi fuiſſe diſſimilem (antiquitatis intelligentibus ſatis dictum eſto) liquet ex locis veterum auctorum. Ita enim *Herodotus* Euterpe cap. 51.

Τοῦ

Τȣ̃ Ἑρμεω ἀγάλματα ὄρθα ἔχειν τὰ αἰδοῖα. Hinc *Palmerius* in exercitationibus in auctores Graecos pag. 53. ad Thucydidis verba e libro VI. ſupra iam prolata περιεκόπησαν πρόσωπα: *Adde*, inquit, *ex hiſtoria*, καὶ τὰ αἰδοῖα — *Erant enim Mercurii illa ſimulacra ſubturpia* ὄρθον αἰδοῖον ἔχοντα ἐπὶ τȣ̃ βάθρȣ. Hermis vero nomen a domino aedium, iuxta quas poſitae fuerant, inditum fuiſſe, docte euincit cl. *Fridr. Gotthelf Freytag* in decade oratorum et rhetorum Graecorum, quibus ſtatuae honoris cauſſa poſitae fuerunt. Lipſ. 1752. pag. 16. et pag. 65. Vide ſis quoque, quae ſupra, vbi Cornelii locum illuſtrauimus, ex Andocide diximus. Neque tamen omnes Hermas ſemper et vbique deformes valdeque inelegantes fuiſſe, probat Hennin. pag. 783. loc. mem. in theſ. Graeuiano.

Videbimus denique, cur veteres Mercurio (de reliquis enim diis in praeſenti non agemus has ſtatuas ante ianuas portasque poſitas conſecrarint. Vulgaris opinio in eo poſita eſt, id eam ob cauſſam factum eſſe, vt Mercurius fures ab aedibus abigeret. *Scholiaſtes* enim ad Ariſtophanis Plutum verſ. 1154. (quocum Carolus Girardus in obſſ. ad hunc locum conſpirat,) inter alia, Ἐπωνυμία, inquit, τȣ́τȣ (τȣ̃ ϛροφαίȣ) Ἑρμȣ̃ παρὰ τὸ ταῖς θύραις ἱδρύσθαι ἐπὶ φυλακῇ τῶ ἄλλων κλεπτον, et *Hemſterhuſius* ad h. l. in ſuo exemplo: *neque tamen eo minus ſtatua propter fores dedicata, domos ipſi cuſtodiendas veteres commiſerunt, vt ſcilicet ea religione delinitus clientes ſuos procul arceret.* Mercurium vero furti furumque fuiſſe patronum conſtat. Ego vero alias cauſſas praeter memoratam fuiſſe puto, cur Mercurium ante ianuas foresque ponerent veteres et colerent, quum, quod viarum dux credebatur, et *arbiter vndae* a Lucano X. 209. dicebatur, in triuiis viisque publicis ſtatuas illius erectas fuiſſe conſtet. Primum ianuas apud Graecos et Romanos diis ſacras fuiſſe habitas, ac diis dea-

 busque

Digitized by Google

busque consecratas, iam ostendit *Sagittarius* de Ianuis veterum cap. 34. in thes. Graeu. tom. VI. pag. 524. Deinde Mercurium eloquentiae et sermonis praesidem, tum lucri et mercatorum deum cultum, denique animas hominum sedibus suis reponere easque ad inferos deducere, potestate ipsi in vmbras animasque defunctorum data, (hinc *ianitor* orci vocatur a *Lucano* VI. 702. ex sententia Oudendorpii) creditum fuisse, antiquitatis cupidum fugit neminem. Ideo nubem testium excitare ad hanc veterum superstitionem vberius ostendendam, a poetis vero vtriusque linguae saepissime decantatam, et in gemmis numisque et reliquis antiquitatis monimentis expressam, plane mihi videtur esse superfluum *). Praeterea auctorem esse somniorum (quare ab Eustathio ad Homeri Odysseam ϑ. pag. 1598. δωτὴρ τȣ̃ ὕπνȣ, et in Hymno Homerico in Mercurium vers. 14. ἡγήτωρ ὀνείρων nominatur,) eorumque interpretationis magna prudentia pollere, existimabant superstitionibus addicti. Hinc factum est, vt antea, quam irent cubitum, ei libarent, cuius moris testis est *Heliodorus*, (vt aliorum testimonia praetermittam) libr. III. Aethiop. pag. 136. vbi Calasiris, lychno adcenso factaque libatione, cum alios deos tum praecipue Mercurium inuocans, et felicem in somniis noctem, atque vt sibi in somniis carissimi adpa-

* Galli etiam, vt *Caesar* de B. G. VI. cap. 17. litteris consignauit, „Deum maxime Mercurium colunt: huius sunt plurima simulacra: hunc omnium inuentorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem; hunc ad quaestus pecuniae mercaturasque habere vim maximam, arbitrantur. „ ad quem locum vide Vossium, qui bene laudat *Theocrit.* XXV. 3. et Dauis. pag. 306 sq. edit. Oudendorpii; adde *Schoepflini* Alsatiam illustratam Colmar. 1751. pag. 445. sqq. vbi multa habet de Mercurio. *Klotzium* in lectionib. Venusinis pag. 117. et *Lipperti* Dactyliothec. (edit. 1767. pagg. 134. sqq.

adparerent, obsecrans inducitur: τὸν Ἑρμῆν ἐπὶ πᾶσιν ἐπικαλȣ́μενος: εὐόνειρόν τε ᾔτει τὴν νύκτα καὶ φανῦναι αὐτῷ τȣ̀ς φιλτάτȣς κατὰ γȣ̃ν τὸν ὕπνον ἱκέτευε. Confer. D. Heinsius ad Silium Ital. III. 181. Quid? quod ab eo omnia bona proficisci, eiusque benignitatem ab hominibus in quocunque vitae genere et loco sentiri, veteres sibi persuadebant. Ab Homero iam dicitur δωτὴρ ἐάων. *Schwarzius* in disp. de linguis Mercurio apud Graecos sacris (Witteberg. 1716. praes. *Strunzio*,) qui multa, quae huc facerent, collegit, peropportune profert locum ex Aristidis Platonica I. Ἀγαθὰ ἅπαντα πορίζει τοῖς ἀνθρώποις ἐν πολέμοις, ἐν εἰρήνῃ, ἐν γῇ, ἐν θαλάσσῃ, ἐν δυσκολίαις, ἐν εὐφροσύναις πανταχȣ̃. Quidni igitur ex his efficere licet, deorum cultores hunc Mercurium, ante aedes ianuasque posuisse et veneratos esse non tantum ideo, ut fures abigeret, sed etiam vt quaestum lucrumque secundaret, et optima quaeuis largiretur, vt suaues mitteret somnos, vt denique pias animas laetis reponeret sedibus.

Hae fere potiores fuisse videntur caussae, cur Mercurios ante ianuas aedesque habuerint Athenienses positos: atque vetus interpres ad Iuuenalis satir. 8. vers. 53. eos pro religione collocatos esse dicit. Hinc etiam apud *I. Oiselium* in numis selectis tab. 76. in numo imperatoris M. Aurelii Mercurius, cum galeo alato in capite, sinistra caduceum et dextra pateram tenens, huius Imperatoris Religionem designat, id quod ex inscriptione, RELIG. AVG. IMP. I I. COS. III. S. C. patet. Atque imperator forsan hunc daemona propter imperium, quod ei in animas defunctorum vulgari erroris opinione attribuit, et quoniam optima quaeuis ab eo in homines larga manu effundi credebat, summa prae aliis prosequutus est veneratione, et ob praecipuam hanc ergo illum pietatem in eius honorem hunc numum cudendum curauit.

rauit. Enimuero mihi ipſe nondum fatio ſatis: quamquam alius eiusdem imperatoris numus apud Mediobarbum edit. Argelati Mediol. 1730. pag. 223. pro me ſtaret; vbi Mercurius ſiniſtra caduceum, dextra crumenam tenet: addita epigr. RELIG. AVG. Speciofas quasdam, neque vero ſatis validas ſaltem probatas profert opiniones *Oiſelius* in commentario ad hos numos pag. 402. „Verum cur Mercurius heic pro „Religione poſitus? An propterea; vt quidam volunt*), „quod Mercurius ſacrificia et deorum cultus inſti„tuerit — — An vero quod M. Aurelius Mercurium „ſumma veneratione prae aliis diis proſecutus ſit? An „denique, quod Mercurius, tamquam Medicurrius „mortalium vota precesque non tantum ad ſuperos, „ſed etiam ad inferos deos perferat, quo modo impe„rator indicare voluerit, ſecundum interioris philo„ſophiae placita, cultum religioſum nullum eſſe ali„um, quam qui in animo conſiſtit, quando ſcilicet „vota precesque mente conceptae, deuota ac pia me„ditatione diis offeruntur, quarum internuncius Mer„curius eſt.„ At enim haec Oiſelii coniectura eſt pia tantum meditatio, quae nihil certi firmique in ſe habet. In alio eiusdem imperatoris numo, apud Mediobarbum in Numism. Imperatorum Rom. ab Adolfo Occone olim congeſtis - ed. Argelati pag. 221, eſt

*) In hac ſane opinione, haud omnino abiicienda, verſatur Albert. Ruben. in commentario ad numism. Arſchot. (ed. Begeri. Colon. Brandenb. 1700.) tab. XXXXV. nr. 19. vbi Ruben. „ cur Mercurius, ait, cum in hoc nummo, tum in aliis, pro pietate et religione ponitur? Rationem eſſe puto, quia Mercurius ſacrificia et deorum cultus tradidit. „ Mihi vero hoc non ſufficit ad quaeſtionem ſoluendam; Nam cur Mercurius in ceterorum numis rarius occurrit pro Religione?

Digitized by Google

eſt porticus, quam quatuor Hermetes ſuſtinent, in medio figura ſtans, ſiniſtra haſtam cum epigr. RELIG. AVG. Deinde ſi veteres Mercurios eam tantum ob cauſſam, vt fures abigeret, ante aedes ianuasque poſuerint, non video, cur conuiuae, ab epulis et compotationibus diſceſſuri, ultimum poculum, quod Ἑρμῆς dicebatur, Mercurio libarint, aut Xenocrates Chalcedonius (apud Ael. V. H. libr. II. cap. 41. ad quem locum vide interpret.) quum a coena reuerteretur, coronam propter victoriam in potu reportatam (quae victoria ſi laudem et praemium meretur) Mercurio ante fores erecto impoſuiſſe ſecundum priſtinam conſuetudinem κατὰ τὸ ἔθος τῶν ἔμπροσθεν ἡμερῶν: quam quoque hiſtoriolam memoriae prodidit *Diogenes Laertius* libr. IV. c. 2. n. 5. (tom. I. pag. 394. ex. cel. *Longolii*,) vbi Xenocrates floreas etiam coronas ponere ſolitus perhibetur. Denique dubito, num eam ſolummodo ob cauſſam, quod fures retinere et propellere credebatur, veteres ad ſtatuas Mercuriales ſacrificarint, quod factum eſſe, docet *Euerh. Otto* (in libr. cit. de tutela viarum publicarum,) qui praeterea in verbis *Demoſthenis* aduerſus Midam χόρες ἱςάναι, κατὰ τὰ πάτρια, κνισσᾶς ἀγυιὰς Vlpianum eumdem obſeruaſſe ritum commemorat. Atque *Laurentius* (in variis ſacris Gentil. cap. 9. pag. 179. tom. VII. theſ. Gronou.) ex Suida docet, ab iis, qui mercuriales ſtatuas pro foribus aliaque ſigilla dedicauerint, quo felicius erigerent, ollas polentae adhibitas fuiſſe. Idem *Otto* ἀγυιὰς vocari Mercurios, ſcribit, per priuationem, eo quod neque pedes neque membra haberent, Harpocrationem tamen in voce ἀγυιᾶς circumflectendum putare, tamquam deductum ab ἀγυιεὺς ſecundum Atticorum dialectum; tunc vero ſignificare Apollinis columnas ante fores collocatas. Quae quidem verba, num vero ex aſſe reſpondeant, adcuratius

tius inuestigare, ad praesens non vacat. Apollinem quidem, quoniam deus fuit vialis, haud nego, ἀγυιέα adpellatum fuisse, vti ab *Aeschylo* in Trag. Agamenon vers. 1090. (ad quem locum conferas Stanleii notam) dicitur, nec ignoro, *Eustath.* ad Il. β pag. 166. obseruasse. Ἀγυιεὺς κιὼν ἱερὸς, Ἀπόλλωνος πρὸ θυρῶν ἔσω. At enim *Hesychius* scribit, neque tamen quemdam deum singularem designat, Ἀγυιεύς· ὁ πρὸ τῶν θυρῶν ἔσω βωμὸς ἐν σχήματι κίονος, et paullo ante ἀγυιάτιδες, αἱ πρὸ τῶν θυρῶν θεραπεῖαι. vid. etiam Schol. ad Euripidis Phoeniss. vers. 634. (vbi consules Valkenarii notam:) et reliquos, ab *Alberti* ad Hesychium s. v. ἀγυιαὶ excitatos. Quidquid est, ex his videmus, aram quoque Mercurio ante ianuas positam, ἀγυιέα vocatam esse: indeque iis, quae antea auctoritate optimorum scriptorum muniti de caussa huius consuetudinis ac religionis, et cur Mercurii statuae ante fores ianuasque collocatae fuerint, vndeque acceperit cognomina illa, quorum supra fecimus mentionem, multum adfundi luminis.



XVIII. DE

Digitized by Google

XVIII.

DE Ἐρσηφορια FESTO GRAECORVM.

DISPVTATIO, PRIMVM ERLANGAE D. 29. Octobr. cIɔIɔcclxiiii. SOCIO SVMTO PETRO PHILIPPO GSELLIO, VONSIDELIENSI, HABITA; NVNC AVCTIOR ET CORRECTIOR IN LVCEM PRODIT.

Quamuis de festo die, ἀῤῥηφορία atque etiam ἐρσηφορία dicto, exposuerint iam viri eruditi *Henricus Stephanus* in indice Thes. Gr. L. pag. 537. *Meursius* in Lection. Atticis Libr. II. cap. 19. atque in Graecia feriata, in thes. Gronov. tom. VII. pag. 734. *Io. Fasoldus* de festis Graec. ibid. pag. 548. *Petrus Castellanus* de eod. argum. ibid. pag. 621. et *Io. Ionston.* de re eadem ib. pag. 890: tamen breuius alii; alii minus adcurate, quam fieri debebat, in hoc negotio versati sunt. Praeter ea veram ipsius festi diei indolem non cognouisse videntur, quam nos coniectura quadam adsequi conabimur. Sed vt res bene intelligatur, primum loca de eo classica scriptorum proferamus. Videamus igitur primum, quid dicat *Hesychius*: Ἀῤῥηφορία. Ἑκατέρως λέγουσιν οἱ συγγραφεῖς, κἀν μὲν διὰ τοῦ ε, Ἐρσεφορία, διὰ τὸ τῆς Ἕρσης ἐγκατειλῆσθαι τὴν πομπήν. (ita enim recte corrigit *Valesius*) ἐὰν δὲ διὰ τοῦ α, ἐπεὶ ἐπ' ἀῤῥήτοις συνέστη. Idem-

que *Hesychius* alio loco: Ἐῤῥηφόροι, οἱ τῇ Ἕρσῃ ἐπιτελοῦντες τὰ νομιζόμενα: vbi tamen Kusterus pag. 1444. ed. Alberti Ἐρσηφόροι legere iubet. His addamus testimonia *Suidae* tom. I. pag. 320. ed. Kusteri: Ἀῤῥηφορία θυσία, εἰ μὲν διὰ τοῦ Ἄλφα, Ἀῤῥηφορία, ἐπειδὴ τὰ ἄῤῥητα ἐν κίσαις ἐφόρουν τῇ θεῷ αἱ παρθένοι, εἰ δὲ διὰ τοῦ ε, Ἑρσεφορία. Τῇ γὰρ Ἕρσῃ ἐπόμπευον τῇ Κέκροπος θυγατρί. καὶ Ἀῤῥηφόροι, αἱ τὰ ἄῤῥητα φέρουσαι μυστήρια. Ἀῤῥηφόροι καὶ παναγεῖς γυναῖκες. Sequatur *Harpocration*: Ἀῤῥηφορεῖν. Δείναρχος κατὰ Πυθέου. Τέσσαρες μὲν ἐχειροτονοῦντο δι' εὐγένειαν Ἀῤῥηφόροι. Δύο δὲ ἐκρίνοντο, αἱ διὰ τῆς ὑφῆς τοῦ πέπλου ἤρχοντο, καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ αὐτόν. λευκὴν δ' ἔσθητα ἐφόρουν, καὶ εἰ χρυσία περιέθεντο, ἱερὰ ταῦτα ἐγίνοντο. Adcuratum etiam et longum hac de re locum habemus in *Etymologico M.* Ἀῤῥηφορεῖν, τό χρυσῆν ἐσθῆτα φορεῖν καὶ χρυσία. Τέσσαρες δὲ παῖδες ἐχειροτονοῦντο κατ' εὐγένειαν, ἀῤῥηφόροι, ἀπὸ ἐτῶν ἕπτα μέχρις ἕνδεκα. τούτων δὲ δύο διεκρίνοντο, οἱ διὰ τῆς ὑφῆς τοῦ ἱεροῦ πέπλου ἤρχοντο, καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ αὐτὸν λευκὴν ἐσθῆτα ἐφόρουν καὶ χρυσία: qui quidem locus valde congruit verbis Harpocrationis, atque etiam Vaticani cod. lectionem iam probatam Maussaco: οἱ διὰ pro αἱ. δ. confirmat. Sed eo redeamus. Ἀῤῥηφόροι καὶ ἀῤῥηφορία. ἑορτὴ ἐπιτελουμένη τῇ Ἀθηνᾷ ἐν σκιῤῥοφοριῶνι μηνί. (qui mensis Atticus respondet nostro *Maio*, vid. I. Ph. *Pfeifferi* antiqq. graec. pag. m. 95.) Λέγεται δὲ καὶ διὰ τοῦ ε, Ἐῤῥηφορία· παρὰ τὸ ἄῤῥητα καὶ μυστήρια φέρειν. ἢ ἐὰν διὰ τοῦ ε, παρὰ τὴν Ἕρσην τὴν Κέκροπος θυγατέρα, Ἐρσηφόρια. ταυτῃ γὰρ ἦγον τὴν ἑορτήν. Denique addamus duo loca, alterum *Moeridis Atticistae*, pag. 141. edit. Pierson. quem videbis: Ἐῤῥηφόροι. Ἀττικῶς, αἱ τὴν δρόσον φέρουσαι τῇ Ἕρσῃ, ἥτις ἦν μία τῶν Κεκροπίδων. Scholiastae alterum Aristophanis, qui ad Lysistr. v. 643.

Ἑπτὰ μὲν ἔτη γεγῶσα
Εὐθὺς ἠῤῥηφόρουν.

οἱ

οἱ μὲν *) διὰ τȣ̃ α, ἀῤῥηφορία. ἐπειδὴ τὰ ἄῤῥητα ἐν κίςαις ἔφερον οἱ παρθένοι τῷ (τῇ) θεῷ. οἱ δὲ διὰ τȣ̃ ε, Ἐρσιφορία. τῇ γὰρ Ἕρσῃ πομπεύȣσι τῇ Κέκροπος θυγατρί· ὥς ἱςορεῖ Ἴςρος; Bisetus vero ex Harpocratione et Etymolog. M. copiosius: Ἀῤῥηφορία, ἑορτὴ ἐπιτελȣμένη τῇ Ἀθηνᾷ ἐν τῷ Σκιροφοριῶνι μηνὶ, ὥσπερ ἀῤῥητοφόρια. Διὰ τὸ ἄῤῥητα, καὶ μυςήρια ἐν Κίςαις φέρειν. Καὶ ἀῤῥηφόρος παρθένος, ἡ τὰ ἄῤῥητα τοιαῦτα μυςήρια φέρȣσα, ἀπ' ἐτῶν ἑπτὰ, κατὰ τὸ μέγα Ἐτυμολογικὸν, μέχρις ἕνδεκα, καὶ τέσσαρες μὲν, ὥς φησιν Ἀρποκρατίων, ἐχειροτονȣ̃ντο δι' εὐγένειαν ἀῤῥηφόροι. δύο γὰρ ἐκρίνοντο, αἳ τῆς ὑφῆς τȣ̃ πέπλȣ ἦρχον, καὶ τῶν ἄλλων περὶ αὐτόν. Λευκὴν δὲ ἐσθῆτα ἐφόρȣν, καὶ εἰ χρυσία περιέθεντο, ἱερὰ ταῦτα ἐγίνοντο. ὅθεν καὶ τὸ ἀῤῥηφορεῖν, ἀντὶ τȣ̃ ἀῤῥητοφορεῖν. Nunc eliciamus ex his locis, quae ad rem pertineant intelligendam, illustremusque, licet perpaucis. Neque enim vacat lubetque plures libros euoluere: atque quibusdam iusto liberaliores videbimus.

I. Constat hinc, non vno eodemque modo hoc verbum scribi: Ἐρσεφορία, Ἐρσηφορία, Ἐρσιφορία, Ἑρσεφορία, Ἀῤῥηφορία.

II. Intelligimus, has ἀῤῥηφόρȣς virgines esse debuisse. Nobilis et classicus locus est de his tribus sororibus, Mineruae sacra facientibus, apud *Ouidium* Metam. II. 711 sqq.

Illa forte die castae de more puellae
Vertice supposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

Et, vt erudite docet *Ez. Spanhemius* ad Callim. H. in Apoll. v. 110. pag. 153. ex. Ernesti, deabus sacerdotes vt plurimum constituebantur virgines. Atque Athenis lege cautum fuit, vt sacerdos foemina esset (vid. *Pausan.* Boeot. cap.

*) In ed. Kusteri quidem οἱμαι editum est, quam vero lectionem falsam, quum οἱ δὲ statim sequatur, in οἱ μὲν mutare non dubitaui: et, vt postea animaduerti, eadem coniectura in mentem venit Piersonio ad Moeridos loc. excit. pag. 142.

Digitized by Google

cap. 27. pag. 763.) quae vel ad nuptiarum tempus tantum eligerentur, vel in quibusdam ſacerdotiis viduae quidem, ſed quae ſemel nupſiſſent, atque poſtea coactae eſſent, vt coelibem vitam agerent. vid. *Spanhem.* ad Call. H. in Pall. v. 34. pag. 643. et *Correl.* de ſacerdotibus veterum virginibus. Abo 1704. in 8.

III. Nobili genere ortae, vitaeque probatae eſſe debebant, quippe quae e nobiliſſimis matronis virginibusque deligebantur. vid. eumd. ad H. in Cerer. verſ. 43. pag. 778. vbi refert notabile inprimis exemplum ſororis Harmodii, quod ab Hipparcho tamquam indigna hoc honore reiiciebatur, quam hiſtoriam memoriae prodidit. Aelian. V. H. XI, 8. vbi vide Perizon. Atque *Pierſon* ad Moerid. p. 142. ex Platonis comici fragmento probat, quod quidem aliunde non conſtat, puellas nobiles a Rege ſiue Curatore myſteriorum fuiſſe electas.

IIII. Porro indutae fuerunt hae virgines alba veſte, de cuius vſu apud plurimas antiquiores nationes copioſe docteque egit *Sig. Frid. Dreſigius* in commentatione de alba ſtola Pythagorae pag. 14 ſqq. (Lipſ. 1736.) Inſigne nimirum fuit libertatis, nobilitatis, ingenuitatis, gaudii, proſperitatis, maioris dignitatis atque auctoritatis, inprimis ſanctitatis ſingularis. Hinc Scholiaſt. ad Ariſtoph. (Thesmophor. v. 847.) *ἠμφιεσμένην λευκά*, haec adnotat: *Τȣ̃το δὴ σημεῖον τῆς εὐγενείας καὶ καθαρότητος.* Manumittendos ſeruos ſeruasque alba veſte amictos fuiſſe, docet *Dreſigius* ex Achille Tatio Libr. VIII. pag. 487. et Libr. V. pag. 321, quibus facile alia loca poſſent addi, ſi opus eſſet. Pariter quoque ex Achille aliisque probat vir ille, doctrina celebris, triſti vero interitu famoſus *Dreſigius*, albam veſtem, ſignum fuiſſe laetitiae; quare huic labori nullus ſuperſedeo. Inprimis, quod ad illuſtrandum argumentum, quam maxime facit, ſanctitas ſingularis animique integritas tali veſte commonſtrantur: et album colorem veſtesque albas in ſacris potiſſimum receptas fuiſſe conſtat. Atqui in ſacris pandectis albus veſtium color

lor ſcelerum puri eſt indicium. Ab Eſaia enim Cap. I. verſ. 18. quando a delictis facinoribusue ſummi numinis beneficio purgandus dicitur homo, delicta cum ſanguinis rubore, venia vero illorum et commutata vita melior cum *albo niuis colore* comparantur. In nouo autem foedere apud Ioannem cap. XX. verſ. 12. angeli albis veſtibus induti, qui in ſepulcro Chriſti ſedebant, commemorantur: ad quem locum vid. *Elsnerum.* Adde Act. X, 30. Suicer. T. I. p. 1215. Apocal. III, 18. alia complura vt omittam. Ex his adductis locis, album colorem, videmus, in ſacris quoque litteris animi puri ſanctique fuiſſe ſignum. Ex profanis auctoribus, quae huc facerent, *Dresſigius* quaedam pag. 23. iam collegit. Quare Cicero de legibus libr. II. cap. 19. ex ſententia Platonis, *color*, inquit, *albus praecipue decorus deo eſt*, *tum in ceteris*, *tum maxime in textili*, et Hecatomben Delphos miſſam ducentes veſtibus albis comparent apud *Heliodorum* Aethiop. libr. III. pag. 127. ex. Commelini: τὸ μὲν ζῶσμα ἑκάστῳ χιτῶνα λευκὸν εἰς ἀγκύλην ἀνέστελλε. De veſtibus albis veſtalibus vide *Lipſium* in Syntagmate de Veſta et Veſtalibus pag. m. 40. Sed quid multis locis opus eſt? conf. *Caſaubon.* ad Theophraſti charact. cap. 22. pag. 212. ex. cel. Fiſcheri. *Menagius* ad Diog. Laertium pag. 369. *Barthius* ad Stat. Theb. VI, 330. et Achill. I, 11. *Krauſe* in diſſ. de Colore ſacro et ſpeciatim veſtitus ſacerdotalis. Witteb. 1707. *Steger* de inſulis ſacrae dignitatis inſignibus (in theſ. diſſ. a cl. Martino edit. T. I. P. I. pag. 72.) atque alii.

V. De peplo deque Κανηφόροις; quorum mentio fit, omnia nota ſunt: quare crambem decies coctam denuo adponere nolo. *Cicero* in Verrem libr. IIII. c. 3. inter cetera Verris furta refert, „aenea duo ſigna, non maxima, verum eximia venuſtate, virginali habitu atque veſtitu, quae manibus ſublatis ſacra quaedam more Athenienſium

vir-

Digitized by Google

virginum reposita in capitibus sustinebant. *Canephorae ipsae* vocabantur. „ Si quis plura de his cognoscere velit, adeat de eo *Harpocrat.* pag. 286, *Meurs.* in Panath. cap. 17, 18, 19. *Spanhemium* ad Callim. H. in Pall. vers. 70. de his vero *Harpocrat.* h. v. *Perizon.* ad Aelian. V. H. XI, 8. *Duker.* ad Thucyd: VI, 56. *Spanhem.* ad Call. H. in Cerer. vers. 127. et *Lambin.* ad Horat. Satyr. II, 8, 15. Atque, quoniam virgines sacerdotes, quum sacra ferrent, lento gradu incedebant, illud *Horat.* Satir. I, 3, 10. (ad quem locum vid. Schol. vet.) *Persaepe velut qui Iunonis sacra ferret*, lumen inde accipit.

VI. Hoc autem monebo. Dabantur his virginibus placentae quaedam, quae *νασοί* vocabantur. *Suidas* Ἀνάστατοι, *πλακούντων εἶδος. Οὗτοι δὲ αὐταῖς ταῖς ἀῤῥηφόροις ἐγίνοντο*, vbi tamen Kusterus vereri se dicit, ne Suidas lectori fucum faciat, et falsum posuerit nomen, et *ἀναστάτους* placentas illas vocauerit, quarum verum nomen erat Νασοί· Νασοὺς enim Pollux (libr. VI. cap. XI.) et Athenaeus (libr. XIIII. cap. 13 seqq.) varia panum et placentarum veterum genera recensentes, inter placentas veteres memorant, nulla *τῶν* Ἀναστάτων mentione facta: Νασὸν vero, *ὃς ταῖς* Ἀῤῥηφόροις *φέρεται*, hodie legi apud Athenaeum libr. III. p. 114. vnde Suidas suum locum descripsisse videtur; quod vero Hesychius atque Eustathius *ἀναστάτους* referunt, illorum eum auctoritas parum mouet. At enim *Piersonio* ad Moerid. p. 142. Athenaeus e reliquis videtur corrigendus et scribendum, *τὸν ἀνάστατον καλούμενον.* Atque *ἀνάστατοι* illi videntur panes fuisse fermentarii, atque inde nomen accepisse *ἀπὸ τοῦ ἀνίστασθαι. Hesychius* vero: Ἀνάστατοι, *πλακοῦντος γένος*, vbi *Alberti* haec notat; forte iidem, qui alias *νασοί*. . . conf. *Hesych.* in voc. *νασὰ* et *νασός.* In multis autem vocabulis litterarum Α praeponi et omitti solere, notum est: cuius modi plura etiam collegimus ad v. Ἀθάρ. Haec ille:

le: Ναςὸς autem quid sit, docet *Bisetus* ad *Aristoph.* Plutum vers. 1143. Σϐίδας, inquit, Ναςὸς, ἀρσενικῶς, πλακᾶς, ἢ θερμὸς ἄρτος μετ' ἐλαίϐ. Ἐυςάθιος δὲ φησι. Ναςὸς, ἄρτος ἐπιθετικῶς, ὁ πυκνὸς καὶ πεπιλημένος. Καὶ ναςὸς προσηγορικῶς, εἶδος ἄρτϐ πεπιλημένϐ, καὶ ναςὸς, πλακᾶς, ἔχων ἔνδον Καρυκείας· παρὰ τὸ νάσσω, τὸ συμπιλῶ. *Tzetzem* ad Lycophron. vers. 640. (vbi etiam Potterum conferas,) notasse, obseruat *Spanhem.* ad locum Aristoph. modo excitatum, ναςὸν dici proprie *panem cum melle fermentatum*, cum *vuis* praeterea aliisque rebus, simpliciter vero ibi de *pane.* Atque in hac posteriori significatione τὸ ναςὸς εὖ πεπεμμένος eodem comici loco intelligunt critici veteres in editione huius comoediae ab *Hemsterhusio*, Harlingae ao. 1743. adornata, ita interpretantes; et quidem C. LB. ἄρτος καλῶς κατεσκευασμένος; C. autem DO. ἄρτος καλῶς ἐζυμωμένος.

VII. Denique veniamus ad id, quod nobis propositum fuit, et videamus, cuius in honorem hic festus dies celebratus fuerit. *Castellanus* optime omnium forsitan vtrique et Palladi et Hersae sacrum putat: alii Mineruae soli tribuunt: male vero *Florens Christianus* ad *Aristophan.* Lysistr. 643. *Sarificia sunt*, ait, *quae a virginibus ferebantur in honorem Erses, Cecropis filiae, vel Deae, puta Dianae.* Nam Dianae nullus, quod equidem scio, mentionem facit, vti iam Berkel. ad Stephani locum mox memorandum obseruauit. Mea igitur sententia haec est. Tres fuisse Cecropis filias constat: Pausan. I. cap. 2. ἀποθανόντος δὲ Ἀκταίϐ Κέκροψ ἐκδέχεται τὴν ἀρχὴν, θυγατρὶ συνοικῶν Ἀκταίϐ· Καὶ οἱ γίγνονται θυγατέρες μὲν Ἕρση καὶ Ἄγλαυρος καὶ Πάνδροσος. *Vlpianus* ad Demosth. de falsa legatione pag. 391. ex. Wolfii: Ἄγραυλος καὶ Ἕρση, καὶ Πάνδροσος θυγατέρες Κέκροπος, ὥς φησιν ὁ φιλόχορος: Et *Stephanus* voc. Ἀγραυλή. Τρεῖς δὲ ἦσαν ἀπὸ τῶν ἀυξόντων τὰς καρπὰς ὠνομασμέναι. Πάνδρο-

σος,

σος, Ἔρση, Ἄγραυλος, vbi vide Berkel. *Hyginus* fab. 166. *Quem* (Erichthonium) Minerua cum clam nutriret, dedit in cistula seruandum *Aglauro, Pandroso* et *Herſae Cecropis filiabus*, vbi vid. *Munkerum* in edit. sua Mythographor. latin. Amstel. 1661. et ad *Fulgentium*, qui habet *Pandora*, libr. II. cap. 14. Eamdem fabulam enarrat *Ouidius* Metam. II. fab. VIII.

Pallas Erichthonium, prolem sine matre creatam,
Clauſerat Actaeo texta de vimine cista:
Virginibusque tribus, gemino de Cecrope natis;
Hanc legem dederat, sua ne secreta viderent.
Abdita fronde leui densa speculabar ab vlmo,
Quid facerent. commissa duae sine fraude tuentur,
Pandrosos atque Herſe. timidas vocat vna sorores
Aglauros: nodosque manu diducit. — —

adde, si vis, *Lactantium* de falsa relig. I. cap. 17. p. 74. edit. Bünem. et *Pauſan.* I. c. 18. qui, vt in fabulis narrandis sollemne est veteribus, ab Ouidio paulisper discedit. In ea quoque sacra veste aurum fuisse, vidimus ex Etymol. M. vnde idem scripsit ἀῤῥηφορεῖν, τὸ χρυσῆν ἐσθῆτα φορεῖν καὶ χρυσία. conf. *Meurſ.* in lectionibus Atticis libr. VI, cap. 3. atque de Regno Attico libr. I. cap. 6. et 11. *Kuhnium* atque *Hemsterhuſ.* ad Polluc. libr. VIII. S. 105. Iam vero notum est, priscos homines principum clarorumque virorum nomina diis attribuisse, vnde Iouis Beli et Hammonis, Neptuni Erechtei, Veneris Arsinoes frequentem reperimus mentionem. Vid. *Potterum* ad Lycophron. v. 335. Tum Pandrosos et Agraulos etiam nomina fuerunt Mineruae; teste et Scholiaste Aristoph. ad Lysistr. vers. 440. θυγατέρες Κέκροπος Πάνδροσος καὶ Ἀγραύλη. Ἐκ τῆς Πανδρόσου δὲ καὶ ἡ Ἀθηνᾶ Πάνδροσος καλεῖται. et *Biſeto* ad eumd. locum: Σουΐδας Πάνδροσον ὄνομα κύριον γυναικὸς εἶναι γράφει. Τίς δ' αὕτη, οὐ δεδήλωκε. Παυσανίας δὲ τὴν Πάνδροσον μίαν

τῶν

τῶν τῦ Κέκρωπος θυγατέρων εἶναι λέγει. Τῷ ναῷ δὲ τῆς Ἀθηνᾶς ὁ Πανδρόσε ναὸς συνεχὴς ἦν. κ. τ. λ. Pausaniae autem locus extat libr. I. c. 27. pag. 64. Vnde patet, non solum Mineruam hoc nomen accepisse, sed eam quoque Cecropis filiarum, quae Pandrosos appellatur, religiose cultam fuisse. Confer. *Hemsterhus.* ad Polluc. X. f. 191. 6. et *Meursium* in Gr. Fer. pag. 224, vbi de festo die Πανδρόσια dicto plura habet. Transeamus ad alteram filiam, quae Aglauros audiuit, et de qua consulere poteris, quos laudat *Alberti* ad Hesych. pag. 54, 24, atque *Barnesium* ad Euripid. Ion. 23, 270 et 1427. Eosdem vero honores illi, qui sorori, obtigisse probandum est. *Harpocration.* Ἄγλαυρος ἡ θυγάτηρ Κέκροπος. Ἔσι τε καὶ ἐπώνυμον Ἀθηνᾶς, vbi, nescio cur? *Maussacus* haec vltima verba non vnius nucis esse dicit, Mineruam addens, antiquitus fuisse, quae Ἄγλαυρος vocaretur, vix credam. Sed enim Minerua, si Pandrosos adpellata fuit, quidni etiam potuit Agraulos? Atque in aede Agrauli Ephebi, postquam Lexiarchico inscripti erant, anno aetatis suae vicesimo, se pro patria morituros, omnibus suis armis induti iurabant, et testes inuocabant Agraulos (h. e. Agraulum et Mineruam) Enyalum, Martem, Iouem, Terram et Dianam: iuris vero iurandi formulam dedit et copiose illustrauit. *Petitus* in commentario in leges Atticas II. tit. IIII. leg. 9. pag. 231 sqq. edit. Wesselingii: adde *Philostratum* de vita Apollonii Tyanens. c. 21. pag. 160. ibique Olearium. Quid? quod *Meursius* in Graecia Feriata pag. 2. ostendit, ἀγραύλια festum fuisse apud Athenienses: et πλυντήρια etiam instituta fuerunt in honorem Agrauli. *Hesychius:* πλυντήρια ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν ἐπὶ τῇ Ἀγλαύρῳ *) τῇ Κέκροπος θυγατρὶ τιμὴν ἄγεσι *Plutarchus* vero in Alcibiade festum

*) Num Ἄγραυλος an Ἄγλαυρος scribendum sit, disputat Berkel. ad locum Stephani supra laudat: probatque prius.

ſtum Mineruae tribuit notante *Meurſio* in Gr. Fer. p. 228. quem etiam vide in *Lect. Attic.* II. cap. 13. et qui auctores ita conciliat, vt Mineruam cognamento Ἄγραυλος cultam et huic hoc feſtum ſacrum fuiſſe dicat, quo nihil, puto, melius adcuratiusque cogitari poteſt. Quum igitur duae ſorores Pandroſos atque Agraulos, diuino honore cultae; quum illarum nomina Mineruae tributa ſint, nonne etiam probabile ſit, Herſae; tertiae ſorori, idem obtigiſſe? Neque enim video, cur haec debuerit eſſe hoc honore priuata, quum virginibus praeſtantior omnibus eſſet. Ouid. Metam. II. 724? Quid ſi igitur Minerua Herſe adpellata? Quid ſi hoc nomine culta atque hoc feſtum, quod Ἑρσιφορία dicitur, illi ſacrum fuerit? Non legi quidem (ecquis vero aut omnia legere, aut omni tempore lecta recordari poteſt?) a quodam hoc memoriae proditum eſſe; ſed neque cauſſam video, cur haec coniectura aut minus probabilis aut reprehendenda alicui videri poſſit? Verum haec hactenus!



XIX.





XIX.

CHRISTIANI HARLESII

LYCEI CVLMBACENSIS CONRECTORIS

PROLVSIO

DE PHAEDRI FABVLIS, NVM AB IIS PRIMORDIA LATINAE LINGVAE SINT CAPIENDA.*)

Q. D. B. V.

PHAEDRVS, ſeu vt aliis dicitur Phaeder, notiſſimus ille fabellarum ſcriptor, non unam eandemque habuit in orbe litterato fortunam. Nam, quod ſaepius accidit, laudatur ab hoc, culpatur ab illo. Complures fuere fama et eruditione celebrati viri, quibus et argumenti iucunditate et dictionis elegantia Phaedrus erat probatiſſimus. Teſtantur id honorifica teſtimonia, quae de fabulis illius extant permulta: teſtantur laudes, quibus olim Phaedrus ſcholis ſe commendauit maxime. Neque vero defuerunt viri eruditi, iique non infimi ordinis, qui laudi fabuloſo huic libello ab aliis tributae, ſi

Ii 2 non

*) Hanc beati fratris mei, d. XXVIII. Dec. cIↄIↄccxvIII. Culmbaci nati, et ipſo primo Pentecoſtes feſto die cIↄIↄccLvII. pie denati commentationem, quá actum quemdam ſollemnem ſcholaſticum cIↄIↄccLIIII. indixerat, cum ob vtilitatem rei atque argumentum, tum ob pietatem, quam b. fratri meo debeo, machinis iterum exſcribi facio. A prima enim pueritia mea me litteris et diuinis et humanis diligenter periteque erudiuit, et, patre meo mortuo, vsque ad obitum ſuum praematurum liberaliter ſuſtentauit. In eius laudes latius excurrere, verecundia prohibet. Terra ſit illi leuis!

Digitized by Google

non omni, certe multae, iustis de caussis inuidendum ducerent. Vt enim argumentum libelli, sic eius auctorem ementitum habuerunt. Negarunt germanam illam latinitatem aetatis Augusti propriam vbique seruari, sed a saeculi eius nitore ac naturali pulchritudine admodum Phaedri scriptionem recedere. Denique a lusibus his improbis tenellos pubis Christianae animos esse arcendos multis ostenderunt. In qua sententia, quod quidem ego scio, praeter caeteros, quos taceo, viros fuerunt PETRVS SCRIVERIVS, et nostris temporibus Cel. CHRISTIVS, qui mentem suam ac dissensum in singulari disputatione pluribus exposuit *a*).

§. II. In hac sententiarum discrepantia animus mihi non est, eruditae me illi liti immiscere, neque iudicis personam agere, quod quidem temerarium esset, praesertim, quum ab vtraque parte viri steterint, quorum fama et manes sanctissimi habentur inter eruditos. Sint itaque fabulae, quae hodie extant, Phaedri, non a NICOLAO demum PEROTTO effictae, sed ab illo Augusti liberto: stet maneatque earum nomen auctoritasque et venustas: verum enim vero de lectione huius libelli atque vsu, quem plerique docti viri communem statuerunt, atque ad omnes et singulos romani sermonis candidatos pertinentem, non nihil dubitare licebit. Delectentur ipsi varietate rerum, dictionis acumine, salibusque immistis; perlegantur fabulae ab adolescentulis, qui eleganti ac perspicuo dicendi generi aliunde iam adsueti, vel bonitate naturae, vel praeceptis ad continentiam atque honestatem compositis, sibimet ipsi temperare et luxuriantem animum cohibere didicerunt: at pueris desinamus esse molesti his iocis, in quibus et simplicitatem et perspicuitatem stili desideramus.

§. III. Ne quis vero arroganter me dicere, aut inani gloriolae studio inductum existimet, qui, quod tot eruditis

a) Cuius inscriptio: De Phaedro eiusque fabulis prolusio. Lips. 1746.

Digitized by Google

eruditis hominibus placuerit, mihi diſplicere tam aperte profitear, haec lectoribus praecipienda videntur?

1. Non raro accidit, vt quae quondam in republica litteraria eſſent comprobata, ea ſequenti et noſtris temporibus vel in rebus incongruentibus, vel in minus neceſſariis inutilibusque haberentur. Nemini, credo, latebit, morem a moribus traditum, quo ope latinarum Grammaticarum ad notitiam ſermonis romani ducerentur tirones, ab illis, qui ante nos fuerunt, haud temere fuiſſe relictum. Neque quemquam litterarum tam rudem arbitror, qui comoedias Terentii ſummis olim in laudibus fuiſſe neſciat, usque adeo, vt tantum non alius quam Terentius auctor latinus pubi ſcholaſticae aeque vtilis iudicaretur. Atque hoc venerandae antiquitatis iudicium non obſtitit, quo minus inferior et noſtra aetas aliter ſentiret, et praeter caeteros ſummus ille Polyhiſtor SCHVRZFLEISCHIVS ab hac communi opinione diſſentire non dubitaret; quem ipſe diſſenſum, teſte Ven. WALCHIO b) in diſſertatione ſingulari declarauit, quae inſcribitur: *An a Terentio primordia latini ſermonis capienda ſint?* Equidem quamuis non eo progrediar audaciae, vt ſummo cum hoc viro, caeterisque, qui idem ſenſerunt, eruditis me conferam, pariaque iura poſtulem; certo tamen certius eſt, in hac rerum humanarum imbecillitate, ne vllum quidem, vel exercitatiſſimum ingenium ab errandi periculo immune, neque illud HORATIANVM c): *Quandoque dormitat Homerus*, a veritate plane eſſe alienum: maxime cum illi doctores non ad ſubſellia ſcholaſtica, ſed ad cathedram academicam nati atque grauioribus rebus intenti leuioribus leuiorem interdum afferre attentionem videantur.

 2. Ne-

b) In diſſertatione: De ſtilo Phaedri, quae fabulis ab ipſo editis, praemiſſa eſt. §. XXIII. p. 93.

c) HORATIVS de arte Poëtica, v. 358. Senſum huius prouerbii a mente auctoris eſſe alienum, non eſt quod pluribus moneam.

2. Neque ego vnus sum, qui communi opinione deserta, Phaedri fabulas non puerili, sed adultiori aeque exercitato ingenio fictas arbitretur. Quodsi auctoritate opus est, qua nos muniamus receptam sententiam oppugnaturi, non omni praesidio orbati sumus, quo suspicione nouitatis liberemur. Praeter enim Cel. CHRISTIVM, cuius iam supra (§. I.) memini, mecum quoque consentientem habeo doctissimum Salmuriensem Philologum TANAQ. FABRVM, qui, vt MORHOF [d]) recenset, *Phaedri fabulas difficiliores pro tironibus habet.* Consentit etiam nostra aetate alter ille Germaniae praeceptor, Celeb. GESNERVS in annotationibus ad HEINECCII [e]) fundamenta stili cultioris.

3. Sed quid multa? An causa desperata est, quae consensu caret summorum virorum? Num quid detrimenti capiet veritas, destituta testimoniis atque auctoritate hominum illustrium? Euanuit tempus, cum decantatum illud? *αυτος εφα*, cum votum coecae obedientiae inter nos valuit, cum vnum aut alterum effatum viri cuiusdam summae et auctoritatis et scientiae firmissimas rationes vicit. Veritas rei, quae saeculi nostri est gratia, nunc sibi ipsa satis patrocinatur. Causae igitur aestimentur pondera, non auctoritatis.

§. IV. Hactenus de iis, quae praemonenda censui: a quibus ad institutum iam transeo. De quo dicere aggrediar, si pauca, quae summa sit disputationis praemisero. Argumentum autem, in quo totius rei cardo vertitur, est quaestio: *An a Phaedro primordia latini sermonis capienda sint?* Non esse arbitror, quod vlteriorem explicationem addam. Ex superioribus enim ac praemonitis satius constat, tali aetati dissuaderi lectionem Phaedri, quae limina Latii modo salutauerit, cuius memoria non tam rerum, quam verborum notitia ditari soleat, atque in

e) in Polyhist. T. I. Lib. II. Cap. IX. p. 436.
f) Part. III. §. IV. not. p. m. 310.

in qua cum ingenium tum animus ſiue voluntas deſideretur ſalutari huius lectioni ſufficiens.

§. V. Atque de huius argumenti et quaeſtionis ratione nunc diſputabo, quo teſtatior eſt eius neceſſitas. Etenim non conſuetudine, vt olim, domeſtica, colloquiisque familiarum cognitionem ſcimus apud nos acquiri ſermonis romani, et quae exempla in contrarium, vt dicunt, attulit MORHOFIVS *f*), non quid expectandum ſit probant a noſtris ſaeculis, ſed quid ingenium humanum induſtria docentis leuatum ea in re valeat efficere teſtantur. Noſtra quidem tempora in diſcenda hac lingua aliam viam, aliam rationem ſuadent ac requirunt. Nam praeter diligentiam atque ſcientiam magiſtri, cuius opera diſcipuli, methodo, qua fieri poteſt, facillima ac iucunda ad neceſſariam perinde atque vtilem eius linguae cognitionem manu quaſi ducuntur, opus eſt auctoribus, vt audiunt, quibus puerilis aetas romani oris adhuc inſcia hoc ſermone gradatim adſueſcat. Atque non perinde eſſe, quemcunque velis eligere auctorem diſcentibus nullus negabit. Vti enim omnium rerum, ita et auctorum, niſi peruerſe egeris, habendus eſt delectus, cum ſit praeſertim non eadem omnibus conditio, ac diuerſitas temporum, rerum, mentis atque ingenii ſtili diuerſitatem inferat haud mediocrem.

§. VI. In hac ſcriptorum diuerſitate, vt etiam doctores, qui Phaedrum omnibus commodum non minus quam vtilem habuerunt, ſint prudentia adiuti, valde timeo. Nam neque finis, quem fides et ſolertia magiſtri in formando pueritiae ingenio ſibi proponit, nec animus, qui cernitur in iſta, hos Phaedri luſus meo quidem iudicio ſuadet ac commendat. Vt ea temere dixiſſe ne videar, excutiam proprietates, quibus inſtructum oportet auctorem, quo vtrique cauſae, quoad eius fieri poteſt, cumulate ſatis fiat.

§. VII. Neminem, quem et ratio et vſus optimus rerum magiſter ſalutarem adoleſcentiae inſtitutionem docuit,

 cuit,

f) in Polyhiſt. Tom. I. Lib. II. Cap. IX. p. 420. ſeq.

Digitized by Google

cuit, fore arbitror, quin auctoris sedula tironum manu voluendi haec esse propria neget: Sit *purus*, *planus* ac *facilis intellectu*, *iucundus* atque *vtilis*. Hanc enim auctoris naturam constat requiri et a ratione discendi et a captu tironum eorumque animo, accuratae attentionis adhuc insueto. De quibus omnibus, quo sint testatiora nunc copiosius disputabo.

§. VIII. *Sit auctor eiusque stilus purus.* Bene cum eis agi videtur discipulis, quibus magistri cura prospicit, vt ex limpido ac puro fonte rudimenta hauriant latinitatis. *In teneris* enim *adsuescere multum est* g). Quam ob rem eo salutarius illorum est consilium, qui disciplinae alumnos quam mature ad puros auctores delegant, quo certius inter omnes constat, sermonis latini integritatem ac puritatem, non delectare solum, sed etiam prodesse ac mirum in modum commendare. Hinc communi veluti eruditorum suffragio, neque, quod quidem scimus, conatu omnino irrito edocta iuuentus ad puritatem stili adspirat, quae ex mente Ven. WALCHII *h*) firmatur analogia atque auctoritate, siue, vt rem clarius eloquar, quae voces et dictiones adhibet rebus propositis peraeque congruas ac significationi, quam elegantissimi romani scriptores vocibus tribuerunt.

§. IX. *Sit facilis intellectu*, i. e. *planus*, *perspicuusque*, quando quidem magis e re discipuli est, praemitti faciliora difficilioribus: et conuenire laborem viribus, onusque ferendum humeris, quis unquam negauit? Ecquae dictio, quis stilus est planus et perspicuus? Profecto ille, qui propriam, frequentem et communem dicendi rationem ab vniuerso Latio ciuitate donatam retinet, qui traiectione verborum, non quidem illa verecunda, sed audaci, quae Pöetarum fere propria est, aut prorsus abstinet, aut parcissime vtitur, itaque omnem sermonis obscuritatem vitat, vbi ob elegantiam sermo-

g) VIRGIL. Georg. II. 272.
h) c. I §. XI. p. 27.

ſermonis nec ordo idearum, nec vocum conſtructio, niſi ſumma neceſſitate atque indole oris romani vrgente inuertitur ac commutatur: vel, vt rem verbis QVINCTILIANI exponam i): *vbi propria verba, rectus ordo, non in longum dilata concluſio, vbi nihil neque deeſt, neque ſuperfluit.* Namque tenella aetas, cui inſeruit ille auctor, non eis ingenii eſt viribus, vt ſermonem, qui tralatitiis ac figuratis verbis abundat, qualis poëtarum et rhetorum eſt, facili negotio capiat memoriaeque tradat. Et memoria, cuius quidem in aetate prima magnam cernimus copiam, niſi facultate diſcernendi atque diiudicandi ſubleuetur, accedente verborum iunctura, quae a germanico idiomate et naturali ſententiarum nexu deflectit, facilius turbatur. Experientiam cum aliorum, tum meam huius rei teſtem euoco. Accedit, quod animus puerilis parum ſibi conſtans huc et illuc trahitur, atque ad aliena quam ad ſua paratior non ſemper eandem affert attentionem. Quid igitur emolumenti ex minus perſpicui auctoris tractatione eſt expectandum: vbi nec vis ingenii nec animus reſpondent docentis induſtriae?

§. X. Nolim vero, vt haec praeceptio de perſpicuitate ipſam, quam commendaui, puritatem tollere videatur. Sororio veluti vinculo coniuncta erit oratio plana faciliſque cum puritate ſermonis. Neque ignoro, idioma Germanicum differre a Romano, ac naturalem vtriusque eſſe diſcrepantiam: qua ſublata, puritas ſermonis tollatur neceſſe eſt. Enimvero ars aemula naturae atque affectatio aliam affingit differentiam, ac romanae orationi veſtem quaſi longe ſplendidiorem ſuperinduit; quae quidem ingenio ſatis exercitato nonnunquam probatur, non tamen tironum, hiſce elegantiis nondum adſuetorum.

§. XI. *Sit auctor iucundus.* Nam alacritas animi inde oritur, ſtudiumque creſcit diſcentis, et ſuauitatis ope citius ac facilius memoriae inhaerent voces; quo fit,

i) QVINTILIAN. Inſtitut L. VIII. c. 2.

vt molestia et docenti et discenti praecidatur. At vero unde pendet ea iucunditas, quae puerorum institutioni fauet? Et a rebus, vt dicunt, et a verbis. Quamuis enim oratio iucunda esse possit, si modo res, quae proponuntur, delectent animum lectoris, augeri tamen scimus suauitatem materiae adhibitis verbis, quae eius lectionem reddunt faciliorem, i. e. perspicuis ac planis, ita vt lectori, vel minima iniiciatur remora verbis inusitatis, tralatitiis atque ambiguis et immutata constructione.

§. XII. Atque haec iucunditas auctoris, quae ex verbis efficitur, maxime in pueris est necessaria. Rerum oblectatione licet multum adiuuetur legendi studium, visque non mediocris insit, quae illorum animos moueat inflammetque; neque eo secius verborum ac phrasium obscuritas, traiectionis audacia, constructionisque commutatio, si qua in auctore occurrat frequens, discendi studio et attentioni obest, nec ipsa materia, vt vt suauissima, satis medebitur ingenii leuitati. Res in promtu est. Rerum gestarum expositio, narratiunculae a Poëtis celebratae certe quidem periucundae sunt cognitu, subueniuntque attentioni legentis magnopere. At quas Liuius, quas Tacitus, quas Iustinus res gestas memoriae prodiderunt, quas Maro finxit historias, illae acutiori quam puerili ingenio legendae traduntur. Ex quibus conflatur et colligitur, magistro, prudentia si velit vti in formandis puerorum ingeniis, vt institutio nec doctori nec discipulo fiat molesta, vtque iucunda sit auctoris tractatio praecipue habendam esse rationem perspicuitatis, atque iucunditatem rerum magis quam verborum non sequendam.

§. XIII. *Sit denique vtilis auctor.* Duplex vero est genus utilitatis. Vnum, quod pertinet ad voces, quae pueris sunt discendae. Alterum, quod positum est in rebus, quibus et intelligentiae consulitur, et animus ad virtutes morumque probitatem mouetur. De vocibus, quod puerorum maxime interest, proprium, natiuum ac

Digitized by Google

ac frequentem earum capere et nosse intellectum, haec praecipimus. Quum discendarum vocum ea sit conditio, vt ab his notiones siue sententiae proficiscantur, et verborum cognitio non sua ipsorum causa sit necessaria, sed quod aditum aperiat ad distinctam mentis alterius perceptionem, et quod non nisi istorum ope nostra animi sensa cum aliis possimus recte communicare, sequitur vt a tironibus non alia ediscantur verba, nisi quibus vtrique causae satis fiat, praesertim cum longa ars sit et vita breuis, nec vlli rei ingenium locandum, quae oblivioni aliquando relinquitur. Iure igitur omni, quod nostro saeculo debemus, arcentur pueri a vocibus, quarum notitia nullum habet fructum, praeter quem in artificiis ac quaestibus, qui illiberales ac sordidi dicuntur, praestare solent. Eisdem de causis cauendum censeo praeceptoribus, ne pueris molesti sint vocibus, quarum cognitio aut non ad omnes scientias ac disciplinas pertineat, aut ad quasdam solum easdemque minus necessarias. Notum est, multa esse in lingua latina atque litteratura, in quorum indagatione viri quidam eruditi versantur, vt ea ne nesciant; quae si cadant in verba, ipsa ratio suadet, vt, cuius auctoris voces, notiones et stilus non in imitandis ponantur, eius lectione adsuescat prima aetas, praesertim quando nondum exploratum est

quid ferre recusent
Quid valeant humeri. k)

Necessaria enim praeferuntur non necessariis et minus vtilioribus vtiliora.

§. XIV. Vocum vtilitatem excipit ea, quae ponitur in rebus. Hanc autem intelligo, quae proficiscitur ab orationis argumento et sententiis, quibus animus inductus ab errore studioque peccandi transit virtutis ad amorem verique. Nam vitae quia discitur non scholae, quod tritum est prouerbium, et quia, quae pueri memoriae ac menti tradimus, citius ac tenacius solent inhaerere, quam

k) HORAT. de arte Poëtica v. 39. 40.

Digitized by Google

quam quae aetate iam adulta percipimus, efficitur, vt animus, cui instar cerae, quidquid velis, imprimas licet, mature ad ea manu quasi ducatur, quae ad recte, honeste beateque viuendum pertinent: et ita prima quaeque aetas vtilium scriptorum lectione ad amorem veri, ad honestatem caeterasque virtutes, quibus et Deo accepti et nobis reique publicae vsui esse possimus, studiose formetur et impellatur. Etenim

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu [l])
Quemcumque igitur eligas auctorem, vnde innotescant romani sermonis initia, nisi materia, quam ille tractat, sit vtilis vitae, caueas saltem velim, ne noceat, aut ingenium puerile ad res inanes, ad nugas et crepundia procliuius a decori et grauitatis studio ad lusus et iocos facilius deflectat.

§. XV. Haetenus de iis auctoris proprietatibus disserui, in quibus, quod docui, sita est omnis salutaris tironum institutio: quarum aliam alia esse praestantiorem, quisque vel me non monente intelliget. His, tanquam norma et regula, nunc illa figmenta Phaedri definiri possunt ac iudicari, num ea sint conditione, vt ab istis primordia latini sermonis non temere capiantur. Atque illud idem est, cum in vtramque partem disputetur, quod ego non vna et altera, sed pluribus rationibus fretus negabo. Sed fore plerosque non dubito, qui plura ex meo quam Phaedri sensu esse depromta putent, cum omnibus et singulis dictis ipsius auctoris verba non videbunt adiecta. At vero illi sciant, non, quod causae diffiderem, me hac actione abstinere, sed eo consilio, ne haec quaestio iusto latius se diffundat, et quae cuiuis aequo lectori perlecto Phaedro esse possunt nota, sine caussa repetantur.

§. XVI. De *puritate stili*, quo Phaedrus vtitur, eo breuior erit disputatio, quo levior in hac causa est dissensus. Nostra quidem nunc parum refert, stilus Phaedri,

l) HORAT. epist. L. I. 2.

dri, modo sit purus, num puritatem illam Ciceronis referat, eamque totam mira similitudine exscribat, an inferioris aetatis? Fingamus Ciceronis elegantiam Phaedro pressius sequi neminem, quamuis et in hac causa non vbiuis aequam meruerit censuram, non tamen erit, quod ea de re sententiam mutemus, Phaedrique lectionem suadeamus, vnde pueri initia capiant latini sermonis. Nam, quod primum est, in illis fabulis.

§. XVII. *Stilum facile intellectu* pueris, planum ac perspicuum desideramus. Est iste

1. *Poëticus*, cuius indoles a naturali illo casto ac simplici orationis genere nonnumquam longe recedit *m*). Res ipsa loquitur. Tot enim voces et dictiones, tot epitheta, tot verborum traiectiones, tot figurae Poëtarum leguntur in Phaedro, vt hanc quaestionem ab omni iniquae censurae nomine vindicent. Occurrunt: *laniger* pro ove, *lympharum speculum* pro aqua, *clausum vadum* pro puteo, *legere* pro euellere, *stagni incola* pro rana, *onus naturae* pro infante, *letum* pro morte: Habes *ramosa cornua*, *alticinctus atriensis*, *cruor maleficus*, *sus nemoris cultrix*, *vocem premere*, et sexcenta fere alia eiusdem generis, quae quidem ipsi Vener. WALCHIO *) a poëtis ad vsum suum Phaedrus transtulisse videtur.

Sed quid plura? Ipse Phaeder *) *repertam ab Aesopo materiam se poliuisse* fatetur *versibus senariis* h. e. Iambicis. Equidem quid patroni contrariae sententiae regerant, non ignoro. Negant, quando Iambis et metro vtitur ille, genus hoc dicendi magis esse adstrictum quam solutum. Testem opinionis suae proferunt TVLLIVM naris emunctae senem, vt Phaedrus, **) loquitur, qui *Comicorum senarios propter similitudinem sermonis*

m) vid. WALCH. c. I. §. IX. p. 34. HEINEC. fundament stili. P. I. §. 62. p. 191.
n) l. c. p. 70. seqq.
*) L. I. prolog.
**) L. III. 13.

monis sic saepe abiectos vocat, *vt nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit o)*. Neglectum fatentur metri, quem in fabulis his passim notarunt viri eruditi *p)*. Enim vero ea, quae contra nos faciunt, minoris aestimanda sunt, quam vt dictio et oratio Phaedri metrica haberi non possit. Non infringit dicta nostra vna aut altera periodus, quae ab excelsa et sublimi Poëtarum oratione ad depressam et humilem descendit. Nam ea de causa Phaedri dictio aeque minus desinit esse Poëtica, ac Maro vatum numero eximitur, cum in Eclogis ad planum fingendi genus se demittat. Quod de versibus Comicorum Ciceroni visum est, id ad Terentium et Plautinos iocos, non ad Phaedrum pertinere constat, quippe qui numeri multo est tenacior, et leges carminis plerumque pressius sectatur. Et si quando ab eis aberrat, non laudi sed vitio id ipsi tribuitur inscitiae ac negligentiae nomine. Sed esto Phraedrum idem tenere metrum ac Terentium, num ob hanc conuenientiam nihil inter vtrumque interest? Profecto non metrum, sed voces dictionesque translatae et insolentes naturam stili poëtici potissimum constituunt: quarum studiosum illum fuisse modo ostendi.

§. XVIII. At quae vtilitas, quod emolumentum de stilo poëtico sperari potest tironibus, quorum ingenia vix patrio sermoni, nedum peregrino adsuefacta sunt? Ex poëtis enim prima ac frequens vocis significatio raro cognoscitur: at eam nosse, cum ad copiam tum ad elegantiam sermonis multum interesse et perspicuitatem, quem fugit magistrum? Et quoniam tralatitia vocis significatio vel proprior est natiuae ac primae, vel remotior, intellectum esse eius apparet hoc difficiliorem, quo longius illa a prima sua ac crebriore absit. Quare diuersitas significationis, quae metaphoris caeterisque tropis, vt dici solent, saepius inest, multum facessit negotii et difficultatis

o) WALCH. c. l. §. XV. p. 47.
p) CHRISTIVS l. c. p. 27.

tatis ingeniis adolescentiae ineuntis: ideo a maioribus publice quasi sancitum est, vt a poëticis scriptoribus non fiant primordia latinae linguae.

§. XVIIII. 2. *Stilus Phaedri est nimis concisus, pressus* et *argutus*, ita vt laconicus saepe videatur. Quisquis Phaedrus est, siue verus, siue fictus, non ea, qua Terentius, scripsit mente, populo vt placerent, quas fecisset fabulas. *Illiteratum plausum non desiderauit*, sed id sibi statuit, vt litteratis et optimis quibusuis suae aetatis hominibus, in primis optimatibus sua figmenta essent probabilia, eorumque gratiam atque applausus sibi conciliarent. Cuius consilii testis ipse est in prologo ad Particulonem *q*). Atque in eo ad Eutychum non obscure indicat, cur genus fabularum, quo se commendaret, praeter caetera elegerit: vt nimirum vitam et mores hominum, qui illo tempore corruptissimi fuerunt, ostenderet. Quos verbis suis describere cum non auderet, *affectus proprios in fabulas transtulit, calumiamque fictis elusit iocis r*). Atque has fuisse causas arbitror, vt et laudi et famae inseruiret et saluti consuleret, quare Phaedrus iocoso non minus quam arguto fingendi genere vteretur. Etenim suauitas metri ac fictionis inuidiam leniebat argumenti, et quae homines veri impatientes audire detrectabant, eorum pia quadam fraude commonebantur. Accedit; quod argute et facete dicta famam ingenii, cuius ille cupidissimus erat, non mediocriter adiuuant. Nec parum tribuendum credo saeculo, in quod incidisse traditur aetas Phaedri; quandoquidem, si veritas dictis constat, Phaedrus sub Augusto et Tiberio imperatoribus vixit, quibus imperantibus cadens iam imminuit aureum illud saeculum, et naturalis sermonis venustas, elegansque simplicitas, quam in Caesare, Nepote

q) Fab. L. V. prolog. v. 20.
r) Fab. L. III. prolog. v. 35. seqq.

Digitized by Google

pote caeterisque aequalibus ſuſpiciunt, ſenſim defloruit. Inualuit ſtilus conciſus et argutus quod Taciti, quod Plinii, quod Senecae docent ſcripta: breuitas ingenioſa, natiua illa ſimplicitate deficiente tandem meretriciis veluti coloribus gratiam ſibi reparare ſtuduit. Multa tribuebantur praeceptis rhetorum ac declamatorum; pauca ſibi vindicabat natura ingeniumque, nisi

quibus arte benigna

Et meliore luto finxit praecordia Titan s).

§. XX. Atque hoc idem eueniſſe opinor Phaedro. Inclementia coeli, ſub quo iſte natus erat, triſtis conditio, quae ſervilis olim fuit, iniquitas temporum, quibus floruit, et ſtudium quod habuit, placendi ſuo ſaeculo, credo, obſtiterunt, quominus ad priorem et caſtum ſermonis romani nitorem et ſimplicitatem ille adſcenderet: proinde, quae naturae bonitas ipſi denegaverat, artis beneficio compenſare contendit. Hinc argutae dictiones ſaepius inſparſae; hinc artificioſa illa breuitas; hinc frequentes ellipſes, quas et metri ratio ſaepius poſtulabat; hinc mira ordinis ac verborum commutatio, quibus omnibus cum acumini legentis tum legibus carminis, tum cupiditati famae conſequendae laudisque ſatisfacere conatur. Atque haec non vna aut altere fabula, ſed tantum non omnes teſtantur. Verum enim vero eiusmodi oratio preſſa atque arguta non perinde delectat pueros ac viros, quibus illi longe ſunt inferiores, vti corporis ita et ingenii viribus; nec ea attentione, qua adultior et virilis aetas. Et lecta niſi decies aut centies repetita tenaci memoria vix retinet puerilis aetas. Quare non temere vereor (conſentit experientia) ne, quae abſentia, quae iudicio ac memoria ſupplenda ſunt, difficilius retineantur.

§. XXI.

s) IVVEN. ſatyr. XIV, 35.

§. XXI. 3. Naturalem ac communem verborum ordinem et nexum, qui orationem auctoris perſpicuam reddit, non vbiuis ſeruat Phaedrus, quod nunc metro nunc affectatae elegantiae tribuendum. Nolo quidem verborum venuſtatem oppugnare ac negare: quanquam et haec interdum cenſoriam virgulam tulit, qua Phaedri ſtilum ob puritatis defectum hinc inde notarunt acutiſſimi ſcriptorum cenſores: De ea loquor elegantia, quae in ordine ac iunctura vocum et notionum conſiſtit, vbi priora poſtponimus poſterioribus, et quae intellectus coniungenda cenſet, disiungimus. Atque haec immutata conſtructio frequentior in Phaedro eſt, quam vt ingenio ac naturae non arti tribuatur. Sed fac, hanc artificioſam verborum iuncturam non affectatam eſſe, ſed naturalem et imitatione dignam, quod non omnino negauerim; num ea vero pueris expedit? nonne iis hoc inuerſo ordine fit lectio Phaedri obſcura et difficilis? quorum memoria, quae in tot ſibi ignotis vocibus verſatur, ordine verborum turbato peraeque turbatur.

§. XXII. Quod de *iucunda* Phaedri oratione illi dicunt, quam iactant et optime praedicant aut exigua eſt illa, aut nulla; certe non tanta, vt moleſtias compenſet vel minuat, quas praematura horum luſuum lectio, vti magiſtro, ita diſcipulo creat. Tantum abeſt, vt ingenium puerile laborum atque difficultatum impatiens ſuauitate materiae auidius fiat ſenſus tenendi et ordinis verborum adeo inuerſi, vt cognitio materiae animos auocet ab attentione, trahatque ad notitiam non verborum, quippe quam fugit ingenium leue licet vtiliſſimam, ſed ſequentium fabularum: quarum peraeque ac reliquorum ludicrorum haec eſt vis ratioque, vt, quoniam ea citius et firmius inhaerent animo tenello, ſtudium inde rerum grauium atque vtilium expellatur aut debilitetur. Hac autem ratione id quod vſui eſſe creditur, in perniciem cedit iuuentuti.

§. XXIII. Denique de *vtilitate Phaedri* nonnihil dicendum eſt. Duplicis generis vtilitatem ſupra §. XIII. expoſui, neutraque tanta eſt, cuius cauſa eius lectio caeteris auctoribus ſit praeferenda. De priori haec moneo. Non inficias ibo, multa in fabulis eſſe verba, quae in oratione ſoluta recte et eleganter dici poſſint. Adſunt phraſes et dictiones, quibus natiua ac frequens ineſt ſignificatio, non inuſitata, non tralatitia. At vero aeque multae, nec dicam plures reperiuntur voces, quarum vſus eſt aut non niſi vnus aut praecipuus in poëtico fingendi genere. Veritatem his dictis §. XVII. adſerit, et longe pleniorem ipſa lectio Phaedri. Addo ſtilum, quo vtitur iſte, incertum et inaequalem. Non vno eodemque gradu ingreditur: modo cothurnis incedit, modo ſoccis. Et quamuis oratio, iudice PLINIO *), laude et praedicatione ſit digniſſima, quae *alte et varie nunc attolitur, nunc reſidet: excelſa depreſſis, exilia plenis, ſeueris iucunda mutat;* tamen quod fabulis non idem conuenit ac reliquo ſermoni, hanc ego ſtili varietatem non vbiuis laudandam duco. Ea demum, mea quidem ſententia, eſt vera ſtili dignitas elegansque varietas, quae voces, quae genus dicendi et rebus et perſonis, quae aguntur, attemperat. At vero, quae rebus inanimatis praeſtantia? quae mutis animantibus rationeque carentibus dignitas? quaenam fabulae praecepta praecipiunt, vt illae dictionem ſublimem adfectent, humilemque, qui dicitur, ſtilum relinquant? Taceo difficultatem et, quae inde mouetur pueris, ſatietatem.

§. XXIIII. His inſto: cuinam cedo, vſui erit haec ſtili varietas, haec inſolentia vocum? num ea formari poterit ſtilus, cuius tamen ratio ne in pueris quidem negligenda eſt? nonne iniurius eſt praeceptor, qui in tanta vitae breuitate, in tam extenſo ſtudiorum ſtadio nec temporis nec tenerae aetatis curam gerit, traditque diſcenda,

quae

*) Epiſt. L. V. 17.

quae vel nihil, niſi in fabulis, fictionibus et poëticis ſcriptis proſunt, vel futurae tandem obliuioni dantur. Num deſunt libri, quorum dicendi genus cum perſpicuitate, tum vtilitate Phaedri fabulis niſi praeſtantius, tamen aequale? Finge has proprietates in caeteris claſſicis ſcriptoribus deſiderari, alia tamen eruditorum hominum ſcripta in vſum tironum extant, in quibus non minor ſtili elegantia quam facilis, plana atque vtilis oratio deprehenditur, quorum aetas noſtra magnam habet copiam. Inanis eſt MECHOVII u) caeterorumque antiquae latinitatis cuſtodum rigidorum timor, ne quid ſordidum inde trahat dictionis venuſtas ac puritas, ne iis erudienda adoleſcentia ad barbariem et inſcitiam romani oris delabatur, niſi omnis latini ſermonis inſtitutio a claſſicis ſuſcipiatur. Nolo equidem patronus eſſe piae ſuperſtitionis, quam in SCHVRMANNIA, eruditiſſima virgine notarunt eruditi: Chriſtiano tamen praeceptori eidemque prudenti ſedulo cauendum eſt, ne, quae longe omnibus litteris praeſtantior, pietas, ne morum probitas lectis ſcriptoribus paganis aliquid detrimenti capiat. Puritatis omnino etiam in pueris eſt ratio habenda; maior autem probitatis, maior perſpicuitatis, maxime in rudimentis latinae linguae, ſi vtraque ſit dictio et plana et pura coniuncta.

§. XXV. De poſteriori vtilitate, num eam Phaedri fabulis conſequamur, non eſt, quod in praeſentia plura diſſeram. Verboſior eſſet futura diſputatio, quam vt vna aut altera pagina ſufficeret. Interim ne vel in hac parte diſputatoris officio deeſſe videar, hoc vnum addo. Non ea eſt fabularum natura, vt de iis multum vtilitatis ſperari liceat. Non probant, non monent: *in fabulis*, acutiſſimo TVLLIO iudice x) *parum eſt auctoritatis.* Atque ſi iſti luſus ex mente Phaedri hanc habent dotem, vt

u) Vid. I. Gab. DRECHSLERI, ἰυκληριαν ἰυκεκτον Lipſ. 1765. Eiusd. epiſt. ad Mechov.

x) CICERO in Cat. mai. c. I.

risum moueant *); absint velim ab omni schola Christiana. Scurrae sit et histrionis, non praeceptoris, risum mouere: serias res tractet magister ac graues, quae omni vitae prosint, non nugatorias, non ridiculas, quae animo atque attentioni noceant. Omitto, quae in diuini numinis sanctitatem iniuria **) ac contumeliosa, quae minus caste dicta inuenies ***). At enim resecentur haec, inquies, et praetermittantur a magistro. Sed, vt hoc consilium sit expeditius, vereor. Nam et prima aetas cum omnibus hominibus id commune habet, quod iam olim Sulmonensis vates cecinit:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata y).

Sciendi enim libido, etiam in pueris, nunquam latius serpit et augendo crescit, quam repressa.

Vt vero, quae mihi in hac causa sit mens ac sententia enodatius et breuiter exponam, haec statuo:

Phaedri fabulae non plane inutiles sunt: prudenti consilio, non diffiteor, vitam monent, animumque nonnunquam flectunt ac mouent, sed non tam primae inconstantisque aetatis, quam adultae. Huic, non illi scriptae. Legant eas homines veritatis impatientes audiantque, quibus modo obsequium et occulta praecepta probantur, qui mollibus verbis et obscure, non imperiose et aperte de vita moneri volunt. Illi effictos mores in alienis personis, imaginemque suam vitae quotidianae colloquiis mutorum animantium videant expressam. At enim vero quid opus est hisce ambagibus in pueris? quid opus est vitam ineuntis adolescentiae fabulis monere et fingere, vbi praeceptis, vbi auctoritati, vbi apertae morum castigationi locus est, cum habeant illi lusus praesertim tam multa, quae obsint, nec blandiri leui et tenero ingenio semper referat.

§. XXVI.

*) Fab. L. I. Prol.
**) Fab. L. IV. 9.
***) Fab. L. I. 29. Lib. IV. 13. 14.
y) OVIDIVS, Amor. L. III. 4. v. 17.

§. XXVI. Quae cum ita ſint, cum difficultas iucunditate atque emolumento latius pateat, quae quaeſo cauſa ſubeſt, quare difficilius faciliori praeferamus et praeoptemus docendi genus? Ipſa pubis ſcholaſticae inſtitutio laborioſiſſima eſt vitae ratio, nec caret moleſtiis: quid eſt, quod laborem labore, moleſtiam moleſtia eaque non neceſſaria augeamus? Quare Phaedri fabulae, repeto, quod §. II. meum fuerat conſilium, non omni quidem aetati ſcholaſticae, tamen primae et romani ſermonis nondum peritae deſinant eſſe familiares.

§. XXVII. De Phaedro eiusque lectione, num tirones inde capiant initia latinae linguae, cum iam pro copia ſit diſputatum, reliquum nec a re alienum eſſe videtur, cauſam huius diſputationis L. B. verecunde docere. Nam fauente diuina gratia et ſub auſpiciis PRINCIPIS noſtri Indulgentiſſimi factum eſt, vt ex arbitrio PERILLVSTRIS BARVTHINI CONSISTORII Faerbero noſtro, Conrectori olim, ſuperiori anno praematura morte extincto ego ſuccederem; collegaque mihi coniunctiſſimus Dn. *Salomon Kumpf* lycei noſtri tertius, et Dn. *Melchior Kiesling* noſtras, quartus praeceptor conſtitueretur. Moris eſt, vt deſignati praeceptores ſollemni, quae dicitur, introductione publice integro diſcipulorum coetui praeficiantur. Solent eius modi actus programmate quodam omnibus quorum intereſt, denunciari. Atque hac ratione Viri Summe Reuerendi, Excellentiſſimi ac Doctiſſimi, Dn. IOANNIS CHRISTOPHORI SILCHMVLLERI, Perilluſtris Conſiſtorii Baruthini Conſiliarii, Antiſtitis templi noſtri atque Ephori huius ſcholae Digniſſimi factum eſt arbitratu, vt ſollemni huic negotio dies; mihique programmatis confectio diceretur. Cuius ego auctoritati, quae apud me magna eſt, peraeque ac mori recepto omnino cedendum ratus de Phaedri fabulis pauca differere apud animum conſtitui, non quod famam aliquam ac gloriolam obtrectatione alienae laudis (abſit velim haec in-


Digitized by Google

vidiae ſuſpicio) aucuparer, ſed quoniam multum intereſſe exiſtimaui, cum ad praeſens inſtitutum, tum ad fidem ac religionem declarandam, qua ad quaecunque fidi, ſolertis ac prudentis magiſtri officia conſtricti tenemur. Conſentaneum enim rationi arbitror, vt, qui munera ſcholaſtica obire atque adminiſtrare iubentur, materiam dicendi eligant rei agendae conuenientem, vt habeant quoque lectores et reliqui diſciplinae ſcholaſticae iudices aequi, vnde cognoſcant, quid ſit de nouis praeceptoribus ſperandum, qua fide munere iniuncto fungantur? quod conſilium, quam viam ineant docendi? num facilis, planus, peruiusque Latii aditus praeparetur aetati litterarum adhuc ignarae? Quare ex his ſupra de Phaedri vtilitate diſputatis, cum omnem noſtram diſciplinam atque inſtitutionem non ab auctoritate hominum, ſed a ratione ſuſcipi ſatis appareat, faueatis rogamus L. B. noſtrae ſcholae, nobis ipſis noſtrisque laboribus, Veſtraque clementia, gratia atque humanitate conanima noſtra adiuuetis.

P. P. Culmbaci d. VI. Calend. Apriles. A. R. S. MDCCLIIII.



XX. EPI-



XX.
EPISTOLAE COMITIS DE BVNAV AD C. G. SCHWARZIVM.

Vir Praenobilissime atque amplissime,
Amice obseruande,

Ego vero nescio sane, Doctissime Swarzi, vtrum litterarum Tuarum praestantiam, an praeclaram ac plane singularem Tuam Ipsius in me beneuolentiam magis mirari debeam? Namque adeo insigni ac prolixo amoris et amicitiae officio me prosequeris, tantisque laudibus extollis mei ingenii dotes, vt, quibus pro illo dignas Tibi gratias agere possim, verba imbecillitas stili deneget, hoc autem Tua humanitate potius, quam meo merito factum operae meae qualiscunque conscientia probe me moneat. At enimuero siue aliquid in me est, quod Te potuerit in mei amorem trahere, in sinu gaudeo: siue non est; tamen errore hoc Tuo lubens fruar, quia dulce est, a laudatis ob excellentem litterarum cognitionem viris laudari, imo eorum exemplis alacres ad imitationem doctrinae reddimur. Noli itaque putare, hodie demum mihi ac primum litteris Tuis ad me datis innotuisse doctum istud Schwarzii nomen: Iam diu id mihi magnum eruditos inter decus ornamentumque celebratum fuit: iam multis abhinc annis Tuis, doctissime vir, captus deliciis facilitatem ingenii Tui, incredibileque illud in euoluendis antiquis historiarum monumentis studium pariter ac felicitatem admiratus sum. Quamobrem valde gratulor Misniae nostrae, quod tantum virum sit nacta, quem extra eam licet constitutum, insito tamen patriae amore ductum in

exponendis eiusdem rebus antiquis operam suam collocasse haut poenitet. Ac quemadmodum et Tibi et patriae me deuinctum profiteor; ita Tuam industriam, Tuosque doctos conatus adiuuasse, huicque me ipsum quodammodo consuluisse volupe erit. In conquirendis, quae adhuc desideras, documentis, omnem diligentiam spondeo: concede saltim, Vir praestantissime, paruam moram, vsque dum occupationes, quae, si vnquam alias, hocce praesertim tempore in summo prouocationum senatu me grauiores vrgent, paululum cessauerint. Quod reliquum est, gratissima mente donum, quo praeter litteras amoris Tui plenissimas, me Tibi obstringere voluisti, accepi, monumentum nempe ingenii Tui, doctum sane ac elegans recens editum: Quod etsi iam pridem, simul ac prostabat, comparauerim mihi, nihilominus tamen hoc exemplar in suauem Tui nominis memoriam diligenter seruabo. Vale Vir praestantissime, atque rempublicam litterariam quam diutissime orna. Dresdae d. X. Februar. MDCCXXX.

Heinricus de Bünau. Com.

POLYHISTORI CELEBERRIMO
CHRISTIANO GOTTLIEB SCHWARZIO
S. P. D.
HEINRICVS DE BVNAV. COM.

Quum mihi nihil magis acceptum gratiusque accidere possit, quam si Viris doctis libraria mea suppellectile inseruiendi occasio detur, Teque Vir Eruditissime inter paucos illos numerem, quorum conatus litterarii hoc tempore et reipublicae litterariae prosunt, et germaniae nostrae apud exteros gloriam pariunt, lubens desiderio tuo honestissimo litteris Tuis d. XII. Februarii exaratis exposito satisfeci. Excusabis tamen aliquam in respondendo moram intercessisse. Dresdam enim vbi maximam Bibliothecae meae partem reliqui, scribendum fuit, vt Editiones Panegy-

negyricorum Veterum, quarum vsum cupis, ad me perferantur. Iam cum illas accepi, Lipsiam vt iussisti ad Keckium Auctionatorem eas misi, nihilque magis opto, quam vt in iisdem aliquid inuenias, quod expectationi tuae satisfacere queat, et quod editioni Panegyricorum Veterum, quam meditaris nouae, quamque pro Tua eruditione atque diligentia non nisi absolutissimam fore confido, inseruire possit. Vti, frui illis poteris non tantum per tres menses, sed etiam per longius temporis spatium, si illis opus habes, nullus dubitans, Te simulac labor tuus ad Panegyricos finitus fuerit, curaturum vt ad me redeant. Propter Dissertationes ad me missas vt et designationem Exercitationum tuarum, grates exsoluo quas possum maxumas. Nihil adhuc vidi, quod nouo officio Electorali melius conueniat, quam Archi Scutiferi munus, quod vt probasti et satis antiquum est, et reliquis officiis Electoralibus nihil detrahit. Auguror ergo quod si vnquam hae lites compositione quadam finem inuenient, in tuam sententiam eundum fore, Tibi ergo manebit honos, Te summis Principibus, qui reges aequant, viam monstrasse, quam ad sopiendas maxumas lites ambulare possunt. Quod in Dissertatione altera, quaedam adnotasti, vbi me in describenda Vita Friderici I. errorem commisisse, putasti, certe mihi gratissimum accidit. Quum enim humani nihil a me alienum putem, placet omnino erudita et modesta admonitio. Num vero hac in re lapsus sim, aut ad roboranda ea quae olim scripsi quaedam afferri possint, iam nihil habeo quod scribam certi. Exclusus enim iam vsu maximae partis Bibliothecae meae, causam perorare nequeo, nec rationes exponere, quae me tum in illam sententiam adduxerunt. Forte alio tempore hoc inuestigabo, et ea quae vel pro confirmatione meae sententiae vel pro confutatione illorum, quae scripsi proferri possunt, Tecum communicabo. Vtinam si quae vitia in Opellis meis vel iam inuenisti, aut adhuc inuenies, item quae addenda, minuenda, corrigenda credis, mecum com-

communicare velles. Cum enim de versione latina meae historiae cogitem ex adnotationibus Tuis ad perpoliendum opus proficere possem, quod tum publice profiteri, mearum esset partium. Ad designationem Exercitationum Tuarum quod attinet, magnum illa apud me excitauit desiderium. Postquam enim horum doctissimorum Schediasmatum copia apud nos rarissima sit, rogarem certe, nisi Tibi nimis inurbanus viderer, vt Bibliopolae cuidam mandes, ea omnia colligere, quae maioribus operibus nondum inserta sunt, et ad me mittere. Pretium ipsi lubens exsoluam, quod ei aequum videbitur. Inprimis Programma Tuum Ao. 1723. scriptam ad audiendam Spissii Orationem publicam de schola Aulica Caroli Magni, ipsamque hanc Orationem, quam Tuo auxilio elaboratam fuisse nullus dubito, quodsi votorum meorum compos fieri possem anxius cuperem. In eo enim sum vt absoluta Carolingorum historia, cuius finem libri mei Tomus quartus inter paucos menses proditurus, exhibebit, Historiam iuris Publici, Morum, sacrorum et eruditionis Germanorum sub Francis adcuratius inuestigem. Ad hoc institutum orationem illam mihi profuturam arbitror, ideoque quodsi Tuo fauore illam nancisci possem, rem facies mihi gratissimam. Vnicum adhuc superest petitum, Librum satis in Germania rarum, cuius inscriptio Le Roy de missis Dominicis nondum inuenire potui. Forte in Bibliotheca tua instructissima extat, aut scis vbi inueniri possit. Quodsi preces meae apud Te aliquid valent, id agas quaeso, vt mihi hunc librum vel pretio etiam carissimo adquirendi copia sit, aut commodato tantum per aliquot septimanas eodem vti liceat. Vale Vir Eruditissime Faueque. Scripsi Islebiae d. X. Martii. Anno cIↃ IↃ CCXXXIX.



CELE-

CELEBERRIMO ATQVE DOCTISSIMO CHRISTIANO GOTTLIEB SCHWARZIO

S. P. D.

HEINRICVS COMES A BVNAV. COM.

Redditae mihi funt, vna cum Plinio et Lucubrationum elegantiffimarum fafciculo, Litterae Tuae perhumanae pridie Non. Ianuar. huius anni ad me fcriptae, et vel eo nomine mihi gratiffimae, quod locupletiffimi Tuae in me voluntatis fuere teftes. Huic etiam foli propenfo in me animo, non meis meritis, quae fentio, quam fint exigua, adfcribo, quas mihi in iisdem tribuifti laudes. De edito nouo eodemque egregio Tuae eruditionis in illuftrando Plinio fpecimine, ex animo gratulor, nec temere auguror, hanc editionem, vt priores omnes facile fuperat, ita nomen Tuum donec fuus litteris conftabit honos, immortale effe redditurum: Cumque eidem Catalogum fatis amplum editionum Plinii Tuam antecedentium fubiunctum deprehenderim, paucas tamen quasdam Tibi haud memoratas habeat qualiscunque fupellex mea libraria, eas in fchedula adiecta indicatas litteris hifce dedi comites.

Addo praeterea leue Catalogi Bibliothecae meae Tomi primi fpecimen, cuius exempla aliquot folis amicis atque fautoribus diftribuenda typis exfcribi iuffi, in quo equidem, vt et Claffium et ipforum librorum difpofitio, ex adiectis fpeciminibus cognofcenda, Tuum mereantur calculum, eft, quod maxime optauerim. Quod fi tamen in ifto inftituto immutandum quid emendandumque cenfeas, illud ne ignorare me patiaris enixe rogo.

Nouo etiam, nec fine mentis quadam voluptate vidiffe recordor, Tuam Bibliothecam praeftantiffimis Auctorum antiquorum Bibliorumque editionibus et multis praecipue artis typographicae primis monumentis, egregie inftructam effe; Horum fi quid diuendere animus Tibi effet,

esset, cum periculum sit, ne talia aliquando κειμήλια possessores sortiantur, qui iustum iis statuere pretium nesciant, aequum non solum me emtorem, sed id etiam spondeo, me, si ita visum Tibi fuerit, curaturum, vt quae augmenta Bibliotheca mea Tibi debeat, publice praedicetur.

Porro, Tui esse non desinent isti libri ex Tua in meam Bibliothecam translati. Si quando enim opus iis habueris, vel communicabo Tecum libenter, vel excerpta, quaecunque volueris, confici iubebo. Hoc igitur, si tibi placeat consilium, opto vero quam maxime vt placeat, quid Tibi venale sit, quoue pretio, fac, vt proxime sciam, quo facto ea, quae mihi desunt, desunt autem, si Tuum Auctorum praesertim antiquorum apparatum cum meo comparem, plurima aequo abs Te pretio redimam.

Alterum, quod adieci Speciminis Catalogi mei exemplum, tradas rogo Cl. Heumanno Commentariorum de Re diplomatica Imperatorum paucis abhinc annis editorum Auctori, quem, licet non nisi ex scriptis nosse mihi contigerit, ob summam tamen, quam in iisdem prodidit eruditionem, industriam ingeniique praestantiam merito magni facio. Scire quoque peruelim, an continuatio egregii huius operis recensionem diplomatum Imperatorum Stirpis Saxonicae sine dubio exhibitura, proxime speranda sit, an secus? Mea, hoc scire, eo magis interest, dum in elaboranda Historia Henrici, quem Aucupem vocant, vsque ad Henricum Sanctum iamiam versor, et intra anni spatium, si Deus vires otiumque, vt adhuc, mihi concesserit, hanc periodum me absoluturum credo. Haud inani enim ducor spe, in isto, si interea prodierit opere, multa fore, quibus addito eius, per quem profecerim, vt par est, debito elogio, vti egregie, meumque ornare laborem queam.

Hac occasione Tuam, Vir Doctissime, Heumannique vestri sententiam de diplomate quodam scire gestio, quod

quod Miraeus in Codice Donationum piarum cap. 30. exhibet, quodque Henricus I. Abbatiae Broniensi in Comitatu Namurcensi dedisse fertur.

Quamuis enim Miraeus, harum alias rerum satis peritus de eius sinceritate dubitasse haud videatur eodemque etiam Gundlingius in Henrico Aucupe tamquam genuino vsus sit, fateor tamen suppositum illud plane mihi videri. Titulum ibi habet Henricus; Diuina clementia Romanorum Imperator, quem alibi nusquam habet, nec habere, quandoquidem in Italiam haud peruenit potuit.

Ab exercitu, deuictis Hunnis Imperatorem esse salutatum non ignoro, Patricium quoque Romanorum charta quaedam Fuldensis a Schannato edita vocat; at Imperatoris Romanorum titulum, nisi Romae ritu solenni coronatus, gerere pro more illorum temporum non potuit. In ipsa subscriptione dicitur; *regnante Henrico Rege glorioso*, vbi tamen, si principio ea conuenire debeat, dicendum erat; Henrico Imperatore, annique imperii ab annis regni erant distinguendi. Copiosior praeterea tota haec charta, remotiorque ab ea simplicitate est, qua reliquae huius regis superstites scriptae deprehenduntur. Et quid denique vult sibi ista Clausula; *Haec autem sunt ingenuorum testium nomina, vt omnis legalis firmitas impleatur*, cum ista aetate, quantum ego scio, testes quidem in chartis priuatorum, in regiis non aeque, nominari consueuerint? Accedit, Rotgerii Treuirensis nomen, qui vt testis Episcopus, vt Cancellarius a Notario Hilduino Archiepiscopus vocatur, ibi Episcopis Leodiensi et Argentoratensi postponi.. Et licet forsan Episcopi tum alium inter se ordinem haud seruauerint, nisi a tempore, quo sacris initiati erant, petitum, nullibi tamen adhuc Archiepiscopum Episcopis, iisdemque sibi subiectis postpositum fuisse memini.

His aliisque commotus argumentis diploma istud potius ex ingenio falsarii vel monachi otiosi, quam ex scriniis regiis profectum suspicor. Tuo tamen Clarissimique

que Heumanni iudio vel confirmari meum, vel meliori doceri percupio. Iam alia ſuccurrit quaeſtio, ſuper qua Veſtras itidem ſententias mihi expeto; Inueſtigarine in Hiſtoriarum monumentis tempus poteſt, quo potiſſimum mos iſte in Germania inualuerit, vt Principes imperii in ſolenni inueſtiturae actu, coram Imperatore in genua prouoluti compareant? Carolingicorum Imperatorum aeuo, nulla eius, quod ſciam occurrunt veſtigia, nec adeo antiquus eſſe mihi videtur.

Francicos Ducatus, Epiſcopatus et Comitatus eos, qui non hereditatis iure, ſed beneficiaria lege concedebantur, ſolo diplomate, vt teſtantur Marculfi Formulae et notiſſimum pro Trutmanno Comite praeceptum, conferre mos erat. Ipſi Antruſtiones iurabant. Marculfo teſte, in manu regia; nullibi prouolutionis in genua fit mentio. Multo minus ſummos iſtos Duces v. c. Bauarum, Beneuentanum etc. qui iure hereditario imperabant, hunc probaſſe morem, eidemque ſe ſubieciſſe, credibile eſt. Sic Taſſilo, docentibus Annalibus Loiſelianis, *per manus in vaſſatico regis ſe commendauit.* Et ſi vel maxime in eiusmodi actu in genua procubuerint, in honorem reliquiarum, quibus praeſentibus iusiurandum praeſtabant, fieri potuit; idem vero, quod in honorem regum vel ſignum ſubiectionis factum ſit, nullo in Germania exemplo neque ſub Carolis, neque Ottonibus Imperatoribus comprobatur. Sub hiſce poſterioribus inueſtiturae ſolemnia ipſo electionis vel inaugurationis Caeſareae die peragebantur, beneficiaque non ſingulis, ſed omnibus coniunctim conferebantur. De Henrico Aucupe ex Witichindo conſtat, *dextris leuatis in coelum eius nomen tamquam noui regis cum clamore valido ſalutatum fuiſſe;* de Ottone M. idem Auctor eſt, *Aquisgrani in ſiſtorio baſilicae Caroli M. cohaerenti eum in ſolium collocatum fuiſſe, vbi Duces et Praefectorum principes cum caetera principum militumque manu conſpiciebantur, manus ei dantes ac fidem pollicentes;* de Henrico II. Adelboldus refert,

fert, *in regem Moguntiae esse electum, quibus addit; acclamatur, benedicitur, coronatur, ibi Franci et Mosellanenses conueniunt, Regis efficiuntur et maiestatem eius ex debito venerantur*, in quibus consentientem quoque habet Ditmarum. Eckehardus iunior de casibus monasterii S. Galli describit etiam cap. XVI. inuestituram Abbatis ab Ottone M. factam, quod nimirum Imperator illum *coram se, vt moris, posito*, manibus receptum osculatus sit.

In Francia Orientali oscula pedum regis inusitata penitus non fuisse videntur, si quidem vera sunt, quae Dudo de moribus et actis Normannorum Lib. II. ap. Du-Chesnium scriptor. Norm. p. 83. de iis, quae inter Carolum Simplicem et Rollonem s. Robertum Normanniae Ducem acta sunt, refert, his tamen „Statutis relationi limitibus; *qui tale donum*, Normanniae Ducatum intelligit, *recipit, osculo debet expetere pedem regis.*„ Sed indignum se id ratus Rollo, facere renuit, vtque Dudonis verba sunt, *Francorum precibus compulsus, iussit cuidam militi pedem regis osculari, qui statim pedem regis arripiens, deportauit ad os suum standoque defixit osculum, regemque fecit resupinum.*

Post haec tempora inuestitura beneficiorum ecclesiasticorum per baculum et annulum, hisque abrogatis per sceptrum; Secularium vero per vexillum fieri consueuit, immutantibus tamen subinde Imperatoribus symbola in solemnibus inuestiturae adhiberi solita, et alia aliis arbitratu suo substituentibus. Nullum vero inter haec occurrit exemplum Principum in eiusmodi actu in genua decumbentium, vsque ad ea fere tempora, quibus Ius Romanum et Longobardicum in Germaniam induci coepere. Antiquissimum, de quo constat, illud est, quod de Lothario Imperatore habet Ordericus Vitalis Lib. XVII. Histor. Eccles. quod praecipui magnates coram eo genua flexerint, homagiumque ei fecerint. Aliis vero hac de re tacentibus scriptoribus, dubium quodammodo est annon magis

Digitized by Google

magis hoc formula dicendi oratoria, quam accurata solemnitatis inuestiturae, tunc temporis vsitatae descriptio sit.

Maioris esse momenti videtur diploma erectionis ducatus Brunsuicensis a Friderico II. a. 1235. Moguntiae datum. Exploranti tamen illud discussius, verbaque potissium haec consideranti; *coram nobis omni odio et rancore postpositis, quae inter proauos nostros existere potuerunt*, patet, solemnem hic subfuisse deprecationem, ideoque, quae hic acta sunt, consuetis alias inuestiturae solemnitatibus non esse propria. Alterum exemplum inuenio in Alphonso Imperatore, qui ao. 1258. Friderico Duci Toletano, Lotharingiam superiorem, flexis genubus ante pedes Maiestatis suae procumbenti, vt est apud Leibnitium Cod. Iur. gent. diplom. §. 13. p. 19. lege beneficiaria concessit, quod tamen factum de recepta communi in germanico Imperio consuetudine testari eo minus potest, quod hic rex in Germaniam nunquam venit, reique feudalis germanicae imperitus, Dux vero, iste Alphonso Castellae regi, accepto mille marcarum argenti pretio, iam alias nexu feudali obstrictus fuit v. Calmet Hist. de Lorraine T. II. preuves p. 486.

Denique in censum venit Ottocari Bohemiae Regis erga Rudolphum Habspurgicum demissio. Ecquis vero non videt, hoc factum deprecationis potius solemnis quam inuestiturae nomen mereri? „*cui ignominiae*, vt „verbis Dubrauii Hist. Bohem. Lib. XVII. vtar. *Germa„ni applauserunt, Bohemis contra dira detestatione illam prosequentibus.* „ Alias enim, tempore Rudolphi Habspurgici, vt principes flexis genubus inuestituram peterent, moris non fuisse, vel ex eo apparet, quod in ipso inaugurationis suae actu praesentes reliquos ecclesiasticos et seculares principes, more antiquo coniunctim inuestiuisse traditur, deficiente Sceptro cruce, quam osculati sunt principes, vsus, v. Stero in Annal. Altahens. ad an. 1273. Idem Imperator postea in Comitiis Augustae Vindeli-

delicorum ao. 1283. filiis ſuis Auſtriae Ducatum teſte eodem Sterone Erfurti ao. 1290. Electori Alberto II. Palatinatum Saxoniae, ſolemni inueſtiturae pompa contulit, nullus tamen hiſtoricus hos principes in iſto actu decubuiſſe in genua, memoriae prodidit.

Ex Italia igitur, receptoque demum apud nos Iure Romano, haec caerimonia in Germaniam migraſſe vero ſimile videtur. Iſto enim iure iuxta L. 4. Cod. de Conſ. purpuram adorare ſolemne erat, et ipſe Leo Pontif. Carolum M. Imperatorem more antiquorum Principum adoraſſe perhibetur.

Quapropter edoceri peruelim num antiquiora forſan iis, quae adduxi, exempla inueſtiturae, vbi principes, etiam citra caſum ſolemnis deprecationis, in genua decubuerint, in rerum germanicarum monumentis exſtent? aut an Tu, cum Cl. Heumanno mecum ſentiatis, hanc caerimoniam demum poſt Rudolphi Habſpurgici tempora, in conſuetudinem apud nos abiiſſe.

Sed cum limites epiſtolae pene transgreſſus ſim, a negotiis Te grauioribus auocare diutius nolo, finemque ſcribendi facio, id vnice rogitans, vt de mea in Te voluntate nunquam dubites, meque, quod facis amare pergas. Dab. Noethnicii prope Dresdam die 21. Maii 1748.







XXI.

C. G. SCHWARZII TESTIMONIVM ETC.

Si cui alii, certe viro iuueni pereximio, Dom. *Friderico Iacobo Beyſchlagio*, Hala-Sueuo, teſtimonium laudis lubens meritoque tribuo. Is enim honeſtiſſimo loco natus, liberale, quod a natura benefica iam accepit ingenium, nauiter excoluit, ac poſtquam neceſſariis doctrinae ſubſidiis in Lyceo patrio inſtructus praeparatusque, in hanc Academiam deuenit, eo felicius plura eruditionis adiumenta ſibi parauit, quo facilius induſtriam Patribus Academicis comprobauit exquiſitiſſimam, omniumque fauorem haud aegre ſibi deuinxit. Quemadmodum vero idem patriae Scholarumque vtilitati ſe potiſſimum deuouit, ita elegantiorum litterarum ſtudiis nihil prius antiquiusque habet. Quo conſilio et dicendi artem, et ciuilem litterariamque hiſtoriam, et optima quaeque Graecae Romanaeque antiquitatis inſtituta, impigro animo perluſtrauit. Imo et, quod caput rei eſt, ratione agendi optima ſemper vſus pietatis cum primis rectiſſimique moris laudem promeretur, vtpote qui nunquam ab officio probi et modeſti diligentisque Ciuis Academici receſſit. Sicuti ergo non eſt dubium, quin Beyſchlagius erudiendae iuuentutis, ornandaeque reipublicae litterariae cupidiſſimus Patriae inclytae vtilem praeclaramque praeſtiturus ſit operam; ita eidem proſperos ſemper rerum ſucceſſus, facilemque Maecenatum gratiam atque fauorem ex animo precor. Scribebam Altorfii Norimbergenſium Martii I. A. cIɔ Iɔ ccxxiii.


VIRO

VIRO
PERREVERENDO ET AMPLISSIMO,
HVMANISSIMOQVE
FRIDERICO IACOBO BEYSCHLAGIO
FAVTORI MAXIMOPERE COLENDO
S. P. D.
CHRIST. GOTTLIEB SCHWARZ.

Nisi ea Tua esset humanitas, vt maior esse non possit; iustam omnino haberes caussam, cur mihi succenseres. Etenim et priuatim et publice a Te humanissime compellatus, ac praeter omne meritum meum iis a Te laudibus ornatus, quas non nisi prolixae Tuae erga me beneuolentiae in acceptis ferre queo, ad hunc vsque diem silui. Quo magis vero me ipsum huius oscitantiae nunc piget taedetque; hoc impensius a Te peto, vt mihi hac vice saltem ignoscas; cum alio tempore nullam praetermissurus sim occasionem, qua meum Tibi studium approbem, et publice priuatimque declarem, quanti eruditionem Tuam virtutemque singularem faciam. Haeret enim animo meo perpetuoque haerebit incredibilis illa industria Tua atque modestia, quam iam antehac in nostra Academia Patres pariter atque Ciues Academici suspexerunt, quamque ego identidem aliis in exemplum propono. Gratulor itaque non tam Tibi, Vir Clarissime, quam illustri Patriae Tuae, et in vniuersum Rei sacrae et litterariae, quod tam opportunam nactus es spartam, vbi praeclarae eruditionis Tuae opes commode explicare, et de iuuentute discendi cupida bene mereri possis. Nunquam vero, si quid iudicare possum, melius rectiusque mereberis, quam si, quod facis, iuuentutem Tibi concreditam, vti

Digitized by Google

probitate, ita humanioribus litteris, porro inſtruas. Sic enim inſtructi iuuenes feliciſſime aggrediuntur ſtudia Academica. Contra autem raro ſine damno humanioris litteraturae philoſophia aliaeque altiores diſciplinae iam in ſcholis Gymnaſiisque tractantur. Sed quantum a Te expectare poſſit orbis eruditus, iam praeclaro ſpecimine edito abunde declaraſti. Cuius eruditae Collectionis Tuae Tomum primum vti non ſine ſingulari animi iucunditate perlegi: ita alterum Tomum mihi proxime comparabo. Aegre fero, quod nihil iam habeam, quo Te remunerer; niſi tenuia σχεδιάσματα, his litteris adiuncta, aliquo loco habere velis. Quod reliquum eſt, Deum precor, vt labores Tuos ex omni parte fortunet, Tibique poſt luctum domeſticum laetiora fata, lubens propitius indulgeat. Vale.



VIRO

VIRO
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMOQVE
DN. CHRIST. GOTTLIBIO
SCHWARZIO

PROFESSORI ALTORFINO CELEBERRIMO
PATRONO ET PRAECEPTORI DEVENERANDO

S. P. D.

FRIDERICVS IACOBVS BEYSCHLAG,
HALA-SVEVVS, LITT. ELEG. ET SS. TH. C.

Properanti ad vos Wedelio veſtro has ad Te, Vir Cel. litteras, feſtinante calamo datas, perferendas vt curarem, officii me admonebat ratio, quibus partim beneficia in me per ſexennium, quo Altorfi commoratus ſum, abunde abs Te collata, abſens quoque praedicare, eorumque ſempiternam memoriam ſuſtineo, partim me Lipſiam bonis auibus perueniſſe ante quatuordecim, et quod excurrit, dies, ſignificare. Incidit aduentus meus in ipſas nundinas, quae vero non obſtiterunt, quo minus commodis meis aſſidue potuerim inuigilare. Quibus ex Dnn. Profeſſorum ordine ampliſſimo, Tuo nomine ſalutem me dicere iuſſeras, ii ad vnum omnes, plurimum ea ſunt laetati, nominatim ſumme Rev. Dn. D. Boernerus, Dn. D. Pfeifferus, Dn. D. Carpzouius, ac Dn. D. Olearius, Dn. D. Mascov aliique plures, quorum ſingulorum verbis viciſſim Te ſalutare nunc debeo, meritisque Tuis in communem rem litterariam ſuſceptis porroque ſuſcipiendis applaudere. In primis Excellentiſſimus multisque meritis Illuſtris Menckenius, cuius Bibliothecam imo The-

Digitized by Google

ſaurum Bibliothecarium, (quem mihi per Cl. Dn. M. Kappium per duas amplius horas monſtrandum curauit, ipſe ſubinde nos interpellans) vidiſſe, in maxima felicitatis parte pono, Tibi proſpera quaeque obtingere, Te ſaluere et bono publico, quod litterarum nomine cenſetur, diu ſupereſſe iubet et optat. Cl. Krauſius, Eloquentiae Profeſſor extraordinarius, qui me multo fauore complexus eſt, tribusque vicibus aditum mihi conceſſit, imo accedere ad ſe iuſſit, incolumitate Tua magnopere gauiſus, proxime ad amantiſſimas Tuas ſe reſponſurum promiſit, gratiasque pro transmiſſis antiquorum Codicum catalogis interim per me perſoluit plurimas. Ceterum proxime hinc abire animus eſt, ſi prius Bibliothecas Senatoriam et Paulinam, quae per nundinas clauſae, nunc iterum aperiuntur, inſpexero, Dnnque Profeſſorum lectionibus, nunc reaſſumendis, interfuero. Dresdam, Wittebergam, Berolinum, Magdeburgum, Halam Magdeb. hoc ordine, Deo duce et vitam ſuppeditante porro incolumem, adire conſtitutum mihi eſt, inſtructo vbique commendatitiis ad viros horum locorum eruditos. Quae hic geruntur noua litteraria, ea ex tabulis, rerum litterariarum fidiſſimis nuntiis, quas Lipſiae euulgari conſtat, omnium optime Te, Vir Cel. ſubinde intelligere ſcio, adeoque non eſt, cur iis otio abutar Tuo. Ceterum transmitto hic Catalogum auctionis librorum Stubelianorum mox ſuſcipiendae, quem cum cito ſatis aduolare poſſe ſperem, vt forte per quempiam ex veteribus Tuis amicis Lipſienſibus nonnullorum Librorum ex iſta bibliotheca, ſi quos deſideras, reddi particeps mature queas, ipſe exopto. Ad extremum, cum pro omnibus aliis beneficiis Tuis, tum pro pari librorum, quos mihi a vobis abitum paranti transmittere placuit, gratias ago maximas, habeboque ſemper, Exiguam inſcriptionem ſolennibus Iubilaei Altorfini conſecratam (cuius fundamentum eſt collectio effigierum Dnn. Procancellariorum et Dnn. Profeſſorum, Rothſcholziana,

123

Digitized by Google

123 numero referens, Schwägeri enim effigies bis ibi adeſt expreſſa.) ſpero Te boni aequique nuper conſuluiſſe, vt teſtem pietatis meae in almam ſtudiorum meorum matrem, vtut lima eum adhuc magnopere egere, ipſe profitear. Vale, Vir Cel. Praeceptor Colendiſſime, mihique porro beneuolentia Tua adeſſe perge. Dab. Lipſiae d. V. Maii. A. R. S. cIↃ IↃ ccxxv.

P. S. Si qua ſint, quae Tuo nomine Vir. Excell. Ampliſſimeque in itinere meo expedire poſſem, quaeque interea forte memoriae ſuccurrerunt, litterae (exterius tamen nullo hactenus loco inſcribendo) Dn. M Bohnero tradi poſſent, qui eas ad me recte curabit perferendas.

Ab eodem *Beyſchlagio.*

Ex quo Lipſia, die quinto Maii, anni elapſi, ad Te litteras dedi, Vir Excellentiſſime, Praeceptor aetatem venerande, nullarum memini ad Te amplius perſcriptarum. Quae res etſi negligentiae me meae admonet, excuſationem tamen admittit apud Virum, quem praeter inſignem omnis generis eruditionem, quam exteri quoque doctiſſimi viri, quos in itinere meo litterario compellaui, admirantur; et quem Academiae Altorfinae tantum non inuident, inuſitata quoque ornat humanitas. Ad hanc confugio, vbi officii neglecti culpam, (nec enim inficior) incurri, addita tamen ſpe, fore; vt futuro tempore, ſi Deus vitam et ſanitatem volens propitius largietur, et frequentiores et verboſiores litteras transmittam. Interim ſpes me tenet, ſoſpitem Te adhuc et florentem, vna cum cariſſima familia Tua, optimi Numinis beneficio, eſſe, nec Altorfinam magis Academiam, quam vniuerſam Rempublicam litteratam, erudita opera Tua demereri pergere. Cui rei binae Diſſertationes, quas circa finem fere

anni praeterlapsi habitas a Te esse, audiui, documento esse possunt. Faxit Deus O. M. vt haec perennis Tibi sit felicitas, ac quotidie magis amplificetur atque augeatur. Ita enim fiet, vt ad me quoque identidem huius rei fructus redundent, postquam diuino et incluti Senatus vrbis nostrae beneficio factum nuper est, vt eiusmodi spartam in posterum iussus sim instruere, ad quam, ex voto eorum, qui illam humeris meis imposuerunt, administrandam ornandamque, Tua potissimum ope, consilio, monitis et, vno verbo dicam, regula, opus mihi esse, sentio. Videor quoque mihi id non timidiuscule abs Te expetere posse, vir eruditissime, vtpote ex cuius ore, cum Altorfii studiorum caussa commorarer, subinde eam cupide hausi optimarum disciplinarum et litterarum copiam, quam aliis nunc ipse, pro modulo meo, debeo impertiri. Haec ipsa, quam Tuae potissimum me debere, grato animo in prioribus litteris professus sum, dexteritati et inusitatae fidelitati, meliorum litterarum cognitio ita est comparata, qualem esse nosti eius, qui nuper demum academicum stadium est emensus. Quae quanquam deinde in itinere litterario, quod per totum semestre institui, et feliciter, diuino fretus praesidio et ductu, absolui, aucta nonnihil et magis expolita videri posset, intra mediocritatem tamen etiamnum consistit, et vsu atque exercitatione, Deo adiuuante, olim demum est confirmanda. Versabitur enim in posterum opera mea in iuuenibus Academiae rite praeparandis, qui ex Gymnasii nostri suprema Classe, quam Clar. Rector Maierus moderatur, in Classem sic dictam selectam transferentur, adeoque supremi ordinis auditores et Candidati Academiae, priuilegiis quoque nonnullis academicis gauisuri, appellari possunt. Hos Theologiam, Philosophiam, Historiam, Eloquentiam, et si qua alia sunt propaedeutica exercitia, docere iussus sum, vt praegustum quendam lectionum academicarum percipiant, sicque maiori cum vtilitate possint interesse. Ad

haec

haec certis temporibus ſolennes Diſputationum et Orationum publicarum actus accedent. Arduum fateor, eſt munus, quod vix mihi in patriam reduci eſt demandatum, ita tamen comparatum ſimul, vt ardor ille, quo naturali inſtinctu in ſtudia meliorum litterarum feror, quemque a Te ipſo, Vir humaniſſime, identidem excitatum eſſe, gratiſſimo animo erga abſentem quoque agnoſco, magis magisque ſic inflammetur, egoque ad praeclaros quosuis conatus extimuler. Quare enixe Te rogatum velim, Praeceptor colendiſſime, vt, qua potiſſimum ratione Candidatos Academiae praeparandos eſſe lectionibus ſublimioribus, cenſeas, quibusque ſtudiis magis, quibus minus eorum animos imbui oporteat, haud grauatim vel pauciſſimis ſignificare digneris. Etſi enim penſa mea in quauis diſciplina a Superioribus mihi iam ſunt aſſignata, cum et luſtrationes ſolenniores Spectabile Dnn. Scholarcharum Collegium ſingulis ſex menſibus elapſis, inſtituet: tamen hoc ipſo in negotio et Te ipſum audire, aequum eſſe cenſeo, qui rectiſſimus et prudentiſſimus hic iudex exiſtis. Tuque id Tua ſponte facturus videris, quod ad meliorem cultum illorum pertinet, quorum ſtudia tanta cum felicitate prouehere conſueuiſti, methodo incomparabili. Ceterum quando in Academia Veſtra, praeter humaniorum litterarum ſcientiam quandam, identidem, et primario quidem Theologiam mihi ſuſcepi excolendam; et hic quoque campus mihi eſt apertus, vbi meos in diuiniori ſcientia qualescunque, exiguos certe, profectus confirmare magis et augere queam. Praeterquam enim quod Theologiae quoque docendae operam meam impendere debeo, ſubinde, et quotiescunque volupe eſt, ſermones e cathedra ſacra habere mihi licet, in omnibus vrbis noſtrae templis, vno forte excepto primario, in quo tamen exercitiorum eiusmodi

Digitized by Google

ſacrorum, vbi opus inſtituendorum facultatem mox ſpero impetrare, poſtquam in eadem aede palmaria Catechetae ſecundarii ordinarium nunc munus nactus ſum, vt hoc modo omnis generis et aetatis hominibus exigua opera mea prodeſſe, Deo adiuuante, poſſim. Haec adeo ſunt, Vir Excellentiſſime, quae, pace Tua, de meo ſtatu Tibi ſignificari oportere arbitratus ſum. Reliquum eſt, vt beneuolentia Tua mihi adeſſe pergas, aditumque ad eam porro, quod adhuc benigne feciſti, qua es humanitate, patefacias. Vale. Dab. ὡς τάχιστα Idibus Febr. A. R. S. cIↄ Iↄ ccxxvi. Halae Sueuicae.

Ab eodem *Beyſchlagio.*

Praeſentem beneuolentiam atque humanitatem Tuam experiri mihi nuper videbar, Praeceptor atque Patrone ſemper obſeruande, cum proximas litteras Tuas, tanta ſuauitate et in me amore, propemodum nimio, tantaque ſtili elegantia, quae propria Tibi eſſe ſolet, exaratas, legerem, iterumque relegerem. Sicut autem, repetitis iam vicibus, animum Tibi meum Tui Tuarumque virtutum, quas orbis eruditus ſuſpicit, obſeruantiſſimum, declarare auſus ſum: ita nihil eſt, cur de eodem in poſterum dubitare debeas, Vir Ampliſſime, aut, ſi forte aliis negotiis impeditus, minus frequenter, ac par erat, ſcribere Tibi videbor, ſiniſtri quid de me iudices. Enimuero Tibi placere, Viro dudum, nec ſatis adhuc, laudato, etſi nihil minus, quam laudes captanti, id vero abunde mihi futurum, credas, velim. Dabo igitur, quotiescunque potero, operam ſedulo, ne ſpe, quam de qualibuscunque conatibus meis cepiſſe Te innuis, excidam, aut fauorem Tuum beneuolentiamque, auro contra mihi non caram, vllo modo amittam. Liceat

ceat hic mihi digreſſionem facere, (humaniſſime enim diſcendi cupidos inſtruere Te ſolere; ipſa olim experientia doctus, ſcio,) et Tuum de modo adhibita a me loquendi formula exquirere iudicium. Dixi beneuolentiam Tuam *auro contra non caram* eſſe; nec dubito fore, recte me illa vſum eſſe. Conſului hanc in rem Turſellinum de particulis; ſed in editione Thomaſiana, voc. *contra*, nihil horum reperi. Adii ergo, ſub eadem voce, Fabri Lexicon, et Plauto illam deberi intellexi, Turnebumque miram loquendi rationem appellare, inde quoque didici. A recentioribus ſcriptoribus eadem vocum ſtructura illam etiam vidi adhibitam: ita enim Whearus in Relect. hiemal. p. m. 275, Sarpii Hiſt. Conc. Trid. vocat Hiſtoriam *auro, immo gemmis pretioſiſſimam contra, non caram*, et Voſſius Lib. 2. de Hiſtor. Graec. cap. 13. (referente Heumanno in Act. Philoſ. Tom. I. p. 350) Diogenis Laërtii librum de vitis Philoſophorum, dicit *opus vtiliſſimum et auro contra non carum.* His fretus auctoritatibus, errare ſuſpicor illos, qui hanc vſurpantes loquendi rationem, particulam *non* omittunt; vti nuper admodum Cl. Schelhornius in Amoenit. Litter. Tom. VII. p. 251. dicti paullo ante Heumanni *amicitiam auro contra ſibi caram*, ſcribit. Quid Tu hic ſentias, vir harum elegantiarum ad vnguem perite, cognoſcere geſtio: neque enim vtramque formulam recte adhiberi puto. Sicuti etiam probe memini, vocem *quotuſquiſque* olim abs Te ſtudioſe eſſe explicatam, animaduertiſſe enim Te, aiebas, viros ceteroquin doctiſſimos in illam identidem impingere: ita plane nunc audeo, circa eandem quid heri aut nudius tertius obſeruauerim, Tibi perſcribere. Celeberrimum Medicum veſtrum, Dn. D. Baierum, noui optimae latinitatis ſcriptorem, Celſum, quem Medicorum Ciceronem appellari, ſcio, in ſuccum conuertiſſe et ſanguinem, dudumque cum voluptate legi proluſionem illius, ante aliquot annos editam, qua eruditis philiatris

liatris consilium suum aperit de noua, eaque ceteris, quas habemus, Celsi editionibus praestantiore, edenda. Nec obiecisse illum laude dignissimum propositum, quod Cel. Fabricius quoque in Bibl. Lat. Vol. II. p. 452. applausu mactauit, hisce diebus didici ex Cel. Baieri dedicatione, quam in lucem editis ab ipso orationibus suis varii argumenti, praemisit, vbi fatetur, se nouam, quam sub manibus habeat C. Celsi editionem, Dn. D. Lucae Schroeckio pridem dedicare destinauisse; addit tamen, laborem hunc ad sui perfectionem longiori vsura temporis indigere. Forte Tu ipse optas, vir Excellentissime, vt mox faustam experiatur lucinam Celsus Baierianus. Sed vt ad id tandem veniam, cuius gratia haec praemisi; obtulit se mihi in his orationibus Baierianis vtilissimis, oratio septima de praeparatione ciuium Acad. ad instans tum festum saeculare, habita d. 4. Febr. 1723. et a me quoque tum auidis auribus hausta, cum illam publice recitaret. Haud procul ab initio eius, p. 79. dubitabundus haesi ad verba ista: „*Quotus* enim *quisque* est, inquit, huic studiorum Vniuersitati syncere cupiens, qui non eiusdem, „ante centum hos annos bonis auspiciis fundatae, memo„riam quam religiosissime splendidissimeque renouari prae„optet! „Haec Baierus vester, elegantiarum Celsi, quas teste Fabricio l. c. p. 451. Iac. Pontanus collegit, si quisquam alius, callentissimus, ita mihi scripsisse videtur, vt si particulam illam ex sensu a Te nobis exposito, quemque cum alibi, tum in Tursellino meo reperi eundem, metiri velim, nec antecedentia, nec consequentia verba Baieriana cum allatis respondere satis videantur. Cum tamen, vt dixi, stilus huius Viri Cl. ad Celsi latinitatem formatus appareat, nec temere mihi persuadere queam, illi vim huius vocis non satis esse perspectam, haereo hic, et a Te edoceri, libenter optauero, enixe rogans, vt ne Tu ipse magis, quam exper. Baierus, (quem per Ciuem meum Dn. Sommerum, qui post, nuper apud vos, honores

honores Licentiati Medicinae impetratos, in patriam redux factus, ad me ſtatim inuiſit, cum vno ſaltem lapide inuicem ſeiungamur, qua in me ſemper fuit benevolentia, illum Orationum ſuarum faſciculum humaniſſime mihi transmiſiſſe, maxime laetor,) mihi ſuccenſeat, quod hinc occaſionem quaeſiuerim, de vi illius uocis rectius per Te memetipſum, pace quidem Tua, informandi. Ni fallor, haec ipſa oratio inſerta eſt Actis Iubilaei Altorfini, quae ex voto eruditi orbis, ſplendide a Te, non ſine gloriae Tuae ingenti acceſſione, tandem publici iuris eſſe facta, gratulor Tibi, Vir Ampliſſime, et vt diu fruaris iſta gloria, inprimis exopto, addens, heri admodum Coleri Bibliothecae Theol. partem vigeſimam quintam ad me Norimberga allatam eſſe, in cuius p. 74. ſq. breuiter recenſita legi illa Acta ſaecularia, qui et lectores ad Bibliothecae Germanicae, quae Berolini gallica lingua prodit, P. XIII. p. 217. remittit. Equidem doleo nondum iſtam mihi contigiſſe felicitatem, vt iuſto pretio iis potiri potuerim, imo ne viderim quoque; ſolent enim ab initio ob lectorum curioſitatem paullo carius vendi, quam mediocris ſalarii, centum quippe imperialium ratio admittit. Quodſi tamen progreſſu temporis aequiore nonnihil conditione ſe mihi offerant, liber iſte inſignis ex primis erit, quos comparare mihi ſtudebo, neque enim non poſſum ſolennitatis illius, cuius ipſe ſpectator, et ex parte actor, tanquam academicus ciuis fui, quartumque iam tum apud Vos annum exegi, accuratiorem tamque ſplendida veſte indutam notitiam exoſculari.

Ad extremum gratias maximas ago, cum pro beneuola ſylloges meae approbatione, cuius Tomum ſecundum ſi nondum, quod ſcripſeras, comparaueris, proxime mittam, tum pro adiunctis doctiſſimis ſchediaſmatibus Tuis. Enixe peto, Vir humaniſſime, vt,

ſicut

ſicut nuper Parti VIII. Actorem erud. Franconiae catalogum librorum, quos poſſides, veterum quorundam, inſeri, paſſus es, ita mihi veniam indulgeas, vt faſciculo tertio ſylloges meae, in ſingulare eius ornamentum, proxime immiſcere liceat vtrumque indicem Tuum librorum in Aldina typographia excuſorum, vna cum programmate, quo ex Spalatini Annalibus MSS. excerpta nuper exhibuiſti. Vale, Vir Magnifice, et mihi prolixiſſime fauere perge. Scr. d. 16. Nov. A. 1727. Halae Sueuicae.

P. S. Impenſe adhuc rogo, vt vel tribus verbis, proxima quaque occaſione haud grauatim mihi perſcribas, numne liceat mihi 1) indiculos librorum in Aldi et P. Manutiorum typographia impreſſorum, 2) programma, quod excerpta ex Spalatini Annal. MSS. ſiſtit, et 3) Catalogum ſcriptorum Tuorum, quae edidiſti, quemque enixe expetere audeo, cum nondum poſſideam, Faſciculo tertio craſtini D. V. prelo ſubiiciendo, inſerere? Vale.

Ab eodem *Beyſchlagio.*

Diſtuli parumper ſcribendi officium, Schwarzi Excellentiſſime, nec tamen obliuioni id tradidi. Imo vt differrem, Tua cauſſa factum eſſe, haud difficulter Tibi perſuaſerim. Maximo ſcilicet hucusque flagraui deſiderio, cupiditatem, Tui potiendi Plinii, ſcriptoris eruditiſſimi, aliquando explendi. Quo ipſo vel minima ex parte ſtudebam reſpondere perinſigni Tuae in me beneuolentiae, Vir humaniſſime, qua me praeterito anno in aedibus Tuis praeſentem ornaſti pariter et cumulaſti. Quibus verbis gratias Tibi ea de re haberem, hucusque exquirere haud potui; dicere ſaltem haud volui, certe erubui. Neque enim epiſtolam ſolam mittere, conſultum videbatur, quum Tu, Vir Celeberrime, abhinc hoc ipſo anno, litteris

litteris Tuis tam luculentum fauoris in me Tui, qui maior esse vix potest, specimen adiunxeris, Acta saecularia Academiae Altorfinae. Priuatim eo nomine, die decimo Martii anni nuper elapsi, Tibi gratum testari animum conatum me esse, memini, adiecto qualicunque munusculo litterario, quale scilicet in paupertatem ingenii mei cadere potest. Quas litteras non dubito Te accepisse, etsi responsorias Tuas, mihi quouis melle et nectare, vt dicitur, dulciores, huc dum frustra expectaui. Tribues id amori et venerationi erga celeberrimum nomen Tuum, qua tantopere me affici sentio, vt et epistolas Tuas impatientissime praestolari soleam; licet minime mihi ignotae sint incredibiles occupationes Tuae, quas Te identidem ab exarandis epistolis detinere, vltima vice scripseras. Forte alia occasione tam felici mihi esse licebit, vt Schwarzii olim et nunc quoque mei (ignosce, Vir humanissime, fiduciae meae, quam in humanitate Tua incredibili positam habeo,) exoptatissimis litteris potiar. Sed redeo, vnde discessi, ad exquisitum munus Tuum litterarium, de quo priuatim Tibi me gratias egisse, paullo ante scripsi. Verum et publice id facere ausum me esse, pace Tua vtinam factum fuerit! Id quod haud dubie vidisti in Sylloges meae Variorum Opusculorum perexiguae Fascic. IIII. Tomi I. p. 921. quem ipsum Fasciculum non minus, ac tres praecedentes, puto Te a me recte accepisse. Quamprimum Tomi I. Appendix edetur, et hanc Tibi submittam. In dicto Fasc. IV. p. 915. pereruditae Dissertationis Tuae de Cohorte Italica et Augusta, mentionem iniicere debui. Neque dubito, Ill. Io. Buherium, Senatus Regii in Gallia Principem, si Tuam Diss. legeret, illa, quae de Legionibus Romanorum in ea docte tradidisti, eodem elogio mactaturum esse, quo Breitingerianas de illo argumento meditationes ornasse illum, sine dubio ex T. IX. Schelhornii, V. C. Amoen. Litter. p. 823. p. 823. didicisti. Mihi sane gratum fuit, eadem

Digitized by Google

eadem me capita in Fasc. IV. p. 914. 915. attigisse, quae postea in Amoen. Litt. l. c. deprehendi. Transmisit mihi Cl. Schelhornius Tomum IX. vltro, in quo omnia forte probabis, Vir acutissime, exceptis illis, quae p. 746. 747. de me occurrunt, qui imbecillitatem meam optime nosti. Ἀντιδώρε loco misi optimo Schelhornio Fasc. IV. qui Tuam Differt. haud dubie Cl. Breitingero submittet. Caeterum gratulor Tibi, Vir Celeb. illam laudem, qua Tu nuper non minus, ac egregia carmina Tua in Actis Erud. 1728. M. Dec. p. 552. iure ornatus es, optoque, vt votum illud, ibidem p. 553. legendum, impleatur. En tandem Plinium, Parmae opera et impensa Andreae Portiliae A. CCCCLXXXI. supra millesimum, octauo Idus Iulii, splendide in forma maxima excusum. Vti caetera omnia, ita in primis littera illa picturata oculos Tuos oblectabit, quae folio secundo cernitur. Vale, Vir Celeb. donumque hoc exiguum aequi bonique consule.

Halae Suauicae d. 8. April. 1729.



XXII.



SVMMO VIRO CHRISTIANO GOTTLIB SCHWARZ

LITTERARVM ATLANTI, GERMANIAE ET ALTORFINAE ACADEMIAE OCELLO FAVTORI SVO MAXIMO

S. P. D.

M. IOH. GEORG SAMVEL BERNHOLD.

Ad amicitiam Tuam dum arrepo, Vir Summe, nihil opus est, caussas epistolae et pietatis allegasse, quae mihi cum omnibus, qui Te colunt et venerantur, quorum indici non potest numerus, sunt eaedem. Virtutes Tuas, summum ingenium atque incredibilem plane in expoliendis litteris industriam nemo nouit, quin admiretur; nemo veneratur, qui ad Tui cultum non rapiatur. Ambigunt autem, quibus virtus Tua innotuit, vtrum potius stupeant, vastam et inexhaustam eruditionem, an humanitatem Tuam. Me quidem vtrumque mouet: vtrumque has litteras prouocauit. Dignus es, si quisquam alius, quem suspiciant omnes, ob ingenium inusitatum et diligentiam: dignus, quem boni colant, propter singularem affabilitatem. Equidem igitur et, cum Altorfium me haberet, (licet Te propter tenuitatis meae conscientiam nunquam ausus sim adire) et adhuc semper pie colui. Nunc, ex quo Heilbrunnensi gymnasio sum diuino beneficio praefectus, magis etiam petenda mihi uidetur Tua amicitia, cum rem scholasticam nemo Te magis auxerit et ornarit. Admitte igitur, Vir humanissime, ad fauorem Tuum hominem eorum, qui Te venerantur; plerisque fortasse elegantia et ingenio, pietate nemini cedentem. Vt autem studiorum meorum Tibi constet ratio, sic habeto: praeter alia in deliciis mihi esse litteras graecas. Quibus dum

ſtudeo, et in graecorum auctorum lectione euoluo *Deuarii* celebratum ſatis libellum, multa mihi deprehenſa ſunt non ſatis perfecta, omiſſa multa, plura leuiter tractata. Quod vt in hac litterarum parte minus videtur mirum, ita, cum deſertum viderem opus, ipſe ei manum ſtatui admouendam. Collegi itaque, quae legenti occurrebant a Deuario non obſeruata. Vbi quid ſine exemplis erat aſſertum, ne dubitationi locus daretur, addidi idonea auctorum probatiſſimorum teſtimonia. Id quoque dedi operam, vt, indagata et conſtituta prima cuiusque particulae ſignificatione, reliquos eius vſus ex fonte quaſi deducerem, relatis ad primam et generaliorem ſententiam. Quanquam autem nihil ſit in hoc ſtudiorum genere expectandum, cui addi nihil poſſit, cum tamen ita ſuccreuerit opus, vt iuſtum librum cum *Deuario* iunctum poſſit efficere, cogitaui de eius euulgatione. At uero, quales ſint germanorum typographi et librarii, nemo Te melius perſpexit. Praeſens omnes fere ſpectant lucellum: quod niſi ſtatim apparuerit, negliguntur ſpreti uel optimae notae libelli. Hinc in magno librariorum, quos patria noſtra alit, grege vix tot inuenias, quot diuitis oſtia Nili, qui ſerio adiuuare uelint elegantiores litteras. Itaque ſacrae orationes, uel περικοπῶν ex S. Codice excerptarum deſcriptiones, precumque formulae facile quidem inueniant, qui ſuis ſumtibus eas proferre in lucem uelit, *Deuarium* autem meum, omnibus licet graecarum elegantiarum aeſtimatoribus probatum, ſi per omnes librarias tatabernas circumlatum ſine operae pretio obtulero, uereor, vt βιβλιοπώλαις recipiatur. Tua igitur limina, repulſus a multis rerum iniquis aeſtimatoribus, et exul, pulſat *Deuarius*, Teque ſibi patronum ſupplex quaerit. Quod ſi Tuum fauorem conciliauero infelici libello et deſerto, ſpes eſt non uana, fore, vt vel inter Belgas vel Italos, qui aluere particularum graecarum patrem, exoretur, qui ſuis impenſis protrahat in lucem noſtram, quam non prorſus futuram inutilem opinor, opellam. Nemo Te, qui cele-

Digitized by Google

celebratiſſimus es et ſummae auctoritatis, facilius id effecerit. Quaeſo igitur Te, et obteſtor per omnis eruditionis, quae Te exercet, curam, perque humanitatem Tuam, uelis id dare homini honeſtarum diſciplinarum ſtudioſo, vt commodum hoſpitem prouideas erranti libello. Cuius beneficii me habebis gratiſſimum cultorem. Id addes beneuolentiae, vt quantocyus Tuam mentem mihi aliquo epiſtolio ſignifices. Vale litteris et mihi. Heilbronnae ad Nicrum d. XVII. Febr. cIↄIↄcc xxxxvII.

MAGNIFICE VIR
PATRONE OBSERVANTISSIME COLENDE!

Mabillioniani Operis veterem editionem, quam nomine Celeberrimi D. Rinckii, ſcriptis nuper humaniſſimis litteris uoluiſti, ex itinere redux, data obſeruantiae ſignificatione, mitto, enixeque rogo velis pro ſumma Tua, Magnifice Vir, humanitate morae veniam dare, Excellentiſſimoque Viro me commendare; adieci Suiceri Obſeruationes Sacras. Otfridum quoque addicurus, ni plagula vnica praefationis in exemplo deeſſet, cumque Obſeruationum pretium XXI groſſorum ſit, IX remitto. De Bertha Gleisbergenſi huiusque parente nulla praeter illas, quas olim miſi, charta mihi nota eſt: plures fortaſſe dabit illuſtris D. de Gleichenſtein, cuius Antiquitates Monaſterii Burgelenſis, ſub prelo ſudant, quas operis liberatas, ſtatim transmittam. Plinii ceterorumque Panegyricorum veterum editionem nullam Seculi XV. Bibliotheca noſtra ſeruat, Boetticheri tamen antiquarii, aliorumque puluerulentos codices ſtudioſe perquiram. Ad poſtremum, ſumma Tua, Magnifice Vir, humanitate fretus, obſeruantiſſime Te rogo, velis Celeberrimi Collegae Tui Excellentiſſimi Koeleri, cuius cultiſſima opuſcula fere omnia poſſideo, et multo cum fructu lego, vſque huc a me

 fruſtra

frustra exquisitam Diss. de Familia Francica, (Carolingicam habeo) per eum, qui Tibi a manibus est, ad me curare, quo beneficio, restituto statim libelli pretio, deuinctissimum habebis,

Magnifici et Celeberrimi Nominis Tui

Ienae XII. Martii A. R. S. MDCCVIIII. (vel potius videtur scribere uoluisse 1729.)

pium obseruantissimumque cultorem *Christianum Gottlib Buderum.*

VIR EXCELLENTISSIME AMPLISSIMEQVE!

Qui Nomen Tuum Celeberrimum atque insignia in meliores litteras merita, tacitus vsque huc colui et suspexi, magna animi voluptate litteras Tuas, Excellentissime Vir, beneuolae voluntatis plenas accepi, Tibique harum rerum peritissimo iudici, conatus meos in studio Diplomatico probari, laetus inde cognoui. In primis vero omnem operam nauaui, vti, quod Caput suauissimae Tuae Epistolae fuit, desideriis Tuis facerem satis. Lotharii II. equidem Diploma, quo Priuilegia Burgelensis Monasterii confirmauit, mihi ad hoc tempus nondum sub oculos manusque venit, suspicorque a scriptoribus, qui ad annum 1138. actum uel datum illius retulerunt, in anni tempore fuisse errorem forte scripturae admissum, cum Lothario Augusto an. 1137. fuerit emortualis; Successoris vero et aemuli Conradi III. Diploma ex Chartulario Burgelensis Monasterii, beneficio illustris Domini de Gleichenstein, qui Gotham Diplomaticam olim edidit, et hac tempestate Praefecti Burgelensis munus ornat, acceptum, Tibi Vir Celeberrime, transmitto, quod eundem annum praefert. Addidi Chartam Berthae, confirmantem eruditam Tuam suspicionem, eam ex progenie Comitum

mitum Gleisbergenſium fuiſſe, ex eodem Chartulario petitam. Quas chartulas beneuole ſuſcipe Excellentiſſime Vir, et faue

Celeberrimi Nominis Tui

Ienae obſeruantiſſimo Cultori
d. XXVII. Martii. *Chriſt. Gottl. Budero.*
A. R. S. MDCCXXVII.

VIRO EXCELLENTISSIMO
CHRISTIANO GOTTLIB SCHWARZ
S. P. D.
M. IO. ALBERTVS BENGELIVS,
ECCLESIASTES ET PRAECEPTOR MONASTERII DENKENDORFINI.

Ita haeſit animo meo illa beneuolentia, qua me, ſi meminiſti, complexus es, vt poſt triennium eam mihi iterum experiundam putem. Suſceptum enim habeo laborem, cui Te fauere intereſt, Tulliique epiſtolas, quas Familiarium appellatio viliores iuſto fecit, ita adornare paro, non vt doctis viris, ſed nec tironibus, verum adoleſcentibus proficiendi cupidis, quales in Monaſteriis Wirtemberg. et Gymn. Stutgard. inſtituuntur, vtilitatem omnem, quae ex illis percipi poteſt, volumine non magno explicet. Recenſio adhibetur accuratiſſima Graeuiana, a nemine editore, quod ſciam, Pariſienſibus exceptis, recuſa. Emendationes nonnullae in contextum recipiuntur; vocabula vero quae expungimus, peculiari loco congeſta reponuntur, addita ratione mutationis. Interpunctiones profeſſa opera reuiſae ſunt, earumque ope multorum locorum planior facta explicatio. In argumentis Genus cuiusuis epiſtolae, interdum etiam pretium, exprimitur, et quae tmemata in margine ſignata, ad quam

 epiſtolae

Digitized by Google

epiſtolae partem pertineant, oſtenditur. Notae adduntur quam pauciſſimae, ne ſermo Tullianus et cum eo mens oculusque lectoris, vt ſolet, per tot paginas diſtrahatur. Pleraque autem coniiciuntur in indices; vt ad Virgilium Erythraeus, ad Lucretium Giſanius, ad eundem aliosque alii fecerunt, quo pacto indices iſti Commentarii poſſunt inſtar eſſe. In primo enim Hiſtoria in epiſtolis tacta et epiſtolae ad annos COSS. digeſtae ita enumerantur, vt magno notarum compendio mutuam ſibi lucem afferant. Ordo autem Tironianus ſiue antiquus ex illa veterum ratione, quam in libris ſuis nonnunquam in Tetralogias diuidendis obſeruarunt, defenditur. Secundus index continet nomina propria locorum et hominum, horumque characteres morales ad faciendum iudicium vtiles. Tertius, Manutiano locupletior, verba et phraſes, cum explicationibus reſiduis. Ad hos tres indices in ipſis epiſtolis adiectisque argumentis lector, ne haeſitet, commode remittitur. In quarto indice formulae epiſtol. ad ſua principia reuocantur, eademque opera Tulliani ſermonis copia oſtenditur, et imitationi via ſternitur. Accedit diſſertatio de ratione legendi et imitandi, monita continens, non vniuerſa, ſed ad hanc editionem, hos libros, hunc auctorem accommodata. Quo pacto quicquid Editiones, Commentarii, variae lectiones obſeruationesque, inprimisque, ſi ita obtingat, Codd. MSSti continent, in hanc editionem conferri vtiliter poteſt; et haec ipſa Conſiliis virorum peritorum egregie perfici. Sentis, Vir excellentiſſime, quorſum euadam. Tu is es, qui has litteras, quamquam ſuperiore ex loco, tradis iuuentuti, et longi temporis laborisque vſu, quid huic propoſito inſeruiat, cognouiſti. Tibi, quid ſubſidiorum rariorum vel penes Te ſit, vel in bibliotheca Altorſina et Norimbergenſi, ignotum eſſe non poteſt. Te in iisdem patefaciendis atque demonſtrandis, quae Tua eſt humanitas promtum vidi meminique. Quamobrem pro ea, quae in me eſt, editionis ad vtilitatem iuuentutis quam maxime aptandae volun-

voluntate, rogandum putaui Te, Vir Excellentiſſime, vt me, quod commodo Tuo fieri poſſit, doceas, quid in iſto conatu amplius obſeruandum arbitreris: an in laudatis Bibliothecis ſint Codd. MSS. Epiſt. familiarium vt variarum inde lectionum particeps fieri poſſim; et a quibus illae peti vel impetrari queant: denique niſi hoc nimium eſt, quod rariorum editionum, commentariorum, variarum obſeruationum alicubi deliteſcat, et vnde excerptorum nonnihil exſpectari liceat. Maxime quidem me iuuat accurata ſermonis Tulliani conſideratio collatioque, ſed et aliorum induſtria multum ſubleuare poteſt. Ἀνεκδότων quoque ſymbolas aliunde, vt ſpero, accepturus ſum, ſed nemini malim debere, fateor, quam Tibi. Bibliopola Stutgardianus ſedulum habet cum Endtero Commercium. Eorum opera, ſi quid reſpondere dignatus fueris, praeſto erit. Illam ſaltem beneuolentiam, quam antea in me contuliſti, ne mea hac confidentia diminuat, maiorem in modum rogo. Deus Te ſeruet ac ſoſpitet. Stutgardiae in feriis d. 16. April. 1716.

CELEBERRIMO ET MAGNIFICO VIRO
CHRIST. GOTTLIEB SCHWARZ,
COM. PAL. CAES. ELOQ. ET HISTOR. P. P. O.

S. P. D.

MATTHIAS BELIVS.

Ea eſt pridem, nominis Tui, apud me exiſtimatio, quae poteſt eſſe maxima; partim quod tueri Te video, veterem illam et caſtam eloquentiam; partim quod relatum accipio, nihil Tibi prius, nihil eſſe antiquius, quam vt adoleſcentiam in eandem excolendae latinitatis curam inducas. Ergo, cum alia multa, tum haec Tua virtus

Digitized by Google

persuasit mihi, vti maximum natu filium Carolum Andraeam Tuae inter reliquos bonitati commendarem. Theologiae is se addixit; sed ad eum modum, vt reliqua eruditionis humanae capita simul pro eo, ac potest, animo complectatur. Huc ego litteraturam refero, Latinam Graecamque. In vtraque excellis, Vir Magnifice; faxis proinde, vt Tuo beneficio ita proficiat, quemadmodum spero. Nollem enim cum eruditorum vulgo, vti latinae et graecae ignarus litteraturae, disciplinas altiores contemeraret. Addes, quod abs Te vehementer peto, synopticam vniuersalis historiae ideam, quam ita complectatur animo, ne fluctuet, vbi in eo studio porro perrexerit. Reliquum, Vir summe! Tuae prudentiae, et pietati committo: daturus omnem operam, vt intelligas, incidisse Te in hominem, vti memorem beneficii, ita non ingratum remuneratorem. Deus Te sibi habeat commendatum. Ita precatur ex animo homo Tui studiosissimus. Vale Pisonii apud Quados. A. MDCCXXXV. Cal. Sept.

Ab eodem. *Belio.*

Non est diu, cum dante se occasione, litteras ad Te dedi, pro eo, ac decuit, erga bonitatem Tuam gratus et officiosus: Cum vero metuam, lentum fore tabellarium eum; interea autem maximopere ad rem meam filiique attinet, vt cognitae sint Tibi preces, illic perscriptae, repetendas eas volui, eo sollicitius, quo maior me necessitas, id vti faceres, vrgere coepit. Innotuit nimirum, Serenissimo Duci Lotharingiae solemnis quidpiam ritus, Te instruente pompam, filio autem meo interprete, in Academia uestra inaugurales nuptias suas editum esse Quocirca monendum me benignissime iussit per Cancellarium suum, quem vocant, virum mei studiosissimum, vti, quid rei esset, proxime posset resciscere, et de ea inter auocamenta Laxenburgica ad Caesarem proxime referre. Quae cum ita sint, sicuti sunt omnino, precibus agendum putaui Tecum,

cum, velis habitam a filio orationem recognoscere, aut Tua elaboratam adcuratione typis tandem permittere. Vereor enim vero, ne, si pergamus cunctari, prodigamus occasionem locumque, fructus, ex hac qualicunque destinatione, percipiundi. Est mihi ergo spes immo confidentia in mirifica Tua bonitate, daturum id Te precibus meis, vt voti mei damner. Programma, ita se vni alteriue, qui id legere, adprobauit, vt omnes in laudes Tuas iuerint, cum ob pietatem Tuam in Austrios et Lotharingos, tum ob dicendi copiam atque elegantiam. Vale. Pisonii A. cIↄ Iↄ cc xxxvi. XII. Cal. Iun.

Ab eodem *Belio.*

Multiplici nomine gratiae Tibi, Vir Magnifice! a me sunt habendae. Praeterquam enim quod filium meum intra vela admissum cum cura erudias; facilem Te ei praebuisti, in ritu solemnis eius gratulationis obeundo, quo ei fides atque obseruantia erga vtramque gentem Austriacam et Lotharingicam palam testanda fuit. Quod equidem beneficii genus non tantum in lucris deputo; sed in iis etiam habeo, quae me adolescentemque Tibi aeternum deuinciunt. Sentio enim, Tua hac bonitate non minus calcar subditum esse filio ad stadium, quod est ingressus, rite decurrendum, quam renouatam eius apud Caesarem et Ducem, vtrique enim cognitus est, recordationem: tum maxime, vbi oratio ipsa Tua adcuratione in melius efformata, dedicari, tradique ad solium potuerit. Atque istud est, vir Magnifice! quod abs Te maiorem in modum peto, vti praeclaris de adolescente meritis hunc addas cumulum, et quam dixit, orationem proxime typis excudendam tradas. Nam est eius apud Augustam Aulam non plane nulla exspectatio; spes autem haud dubia, fore, vt et Imperatori se adprobet, et Duci. Erit hoc cum laude celeberrimi Nominis Tui coniunctum; dum ego operam dabo, vt intelligas, erga

hos beneficium Tuum profectum esse, qui eius memoriam sancte habebunt, donec quantulascunque gratias poterunt referre. Ita uale, et Carolum meum porro formare perge. Pisonii apud Quados A. cIↄ Iↄ ccxxxvi. XVII. Cal. Iunias.

CHRISTIANO SCWARZIO
CAROLVS FIRMIANVS
S. P. D.

Ignosce Vir Eruditissime! si de elegantissimis ingenii Tui monimentis, nunc demum debitas Tibi gratias agere sustineam; Tres enim menses effluxere, ex quo Schwarzkopfius Bibliopola Noricus insigne illud Tuae in me amicitiae pignus mihi ne opinanti quidem transmisit. Credas velim, Schwarzi Doctissime! nec Persarum Regem me vixisse beatiorem, vbi tanto munere abs Te me beatum vidi; quid enim Diuinis illis Tuis in exercitationibus desiderem? Rei librariae veteris tantam messem collegisti, vt fungus sit oportet, qui spicilegii aliquid relictum sibi opinetur; Latii, Theotiscique iuris mysteria, Graias, Romanas, et medii, vt vocant, aeui historias eo scientiae omnigenae adparatu pertractas, vt et Athenae et Quirites Te ciue gloriarentur, Germani autem, Germanicaeque originis gentes id Tibi debeant, vt Parentum memoria, quae sacro carebat Vate perpetuae obliuioni per Te subducatur, quod summae pietatis et Laudis genus est, quum et Eruditissimi saepius Teutones ingenti eruditione de Atheniensium, Lacaedomonum, Tuscorum Romanorum Religione, Legibus, Magistratibus, Scholis, immo et de re vestiaria, Cibaria, et Sexcentis aliis disputando aetatem triuissent, quotusquisque autem Teutonicas antiquitates, Iuris nostri genuinum fontem, inuestigarit, Tu scies omnium optime, qui inuidendo exemplo satis

Digitized by Google

ſatis demonſtraſti, quinam Tibi animus ſit. Longius eſſem, et epiſtolae leges excederem, ſi acutiſſimas in Plinium obſeruationes, ſi denique omne id laudare vellem, quod praeclarum, ſublime, et diuinum ſcriptis Tuis pellucet. Non errauerim ſi Scaligerum, vel Salmaſium, ſed ſupercilio carentem, Te pronuntiauero. De Lyrica poeſi ne verbum addo, quum et ii Te immenſum profundo ore ruere exiſtiment, qui vltra Alpes negant vlli conceſſum eſſe: ore rotundo loqui. Vides, vir Summe! quantus in aere Tuo ſim, quum tot munera in me obſcurum litteris homuncionem larga manu contuleris; cui diluendo me imparem lubens fateor: ne vero ingratus videar, me totum Tibi ſcientiaeque Tuae addico; pignus habeas Ptolomaeum, cui locum vt attribuas, quibus poſſum precibus contendo. Vnum eſt, quod abs Te petam, vt valetudinem Tuam, pro qua quidquid litteras, et bonam mentem amat, ſincere vota facit, quam diligentiſſime cures. Vale! Iouauiae III. Non. Oct.

Schwarzii reſponſiones.

ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME S. R. I. COMES DOMINE AC MAECENAS GRATIOSISSIME!

Ignoſcas mihi quaeſo, tardius quam vellem deberemque haec ſcribenti, propterea, quod praeter opinionem accidit, vt faſciculus rei liberariae bibliopolae noſtratis, cui litterae Tuae commiſſae fuerant, ex errore aurigae Pragam deductus eſſet, demum poſt quintum menſem Altorfium peruenit. Ipſe vero Tuas, Domine illuſtriſſime, litteras, humanitatis pleniſſimas, vbi recepi, reuerenter exoſculatus ſum; neque vnquam dignas queo Tibi perſoluere gratias, propter tot egregia et plane illuſtria Tua in me voluntatis ſigna, et propter perclemens iudicium, quo

quo exiguos meos conatus ornandos duxisti. Quid vero mihi laetius, quid sanctius esse possit talis tantique Maecenatis auctoritate et beneuolentia, cuius recondita doctrina cum altae dignitatis splendore coniuncta, et incredibile de re litteraria bene merendi studium, quando unquam parem inuenient?

Pharias Alexandrinas ac Palatinas veterum bibliothecas Tua, Domine, non aemulatur tantum, sed longe superat: vtpote in quam ex omnibus gentibus nationibusque, quicunque meliorum ingeniorum foetus, tanquam in florentissimam splendidissimamque coloniam commigrare videntur. Iam prodromus Indicis huius bibliothecae, (in cuius ordine quidem nihil habeo, quod desiderem) magnam admirationem expectationemque orbi erudito commouebit. Ecquid de tota bibliotheca futurum erit? Mei, credo, manes gauisuri essent, si senserint, libros in antiquioribus typographiis ante saeculum decimum sextum excusos, quos non sine cura et sumtu collegi, dignos existimatum iri, vt post mortem meam, (ego vero iam in septuagesimo quarto aetatis anno versor) inter regni Tui librarii limites recipiantur. Partes quasdam Indicis interea mitto: sed altero tanto plures, quam in his partibus recensentur, ac rariores quidem nonnulli huius generis libri supersunt: quorum vero pretium certum ante definire non possum, quam integer Catalogus eorum confectus fuerit. Sed bis etiam addere malim Codices MSS. inter quos existunt Ius Iustinianeum, in sex volumibus membranaceis, Antonini itinerarium, Vegetius de re militari, Petri de Vineis epistolae, Iuuenalis, Claudianus, et alii.

Cl. Heumannus noster Illustrissimae Excellentiae Tuae cultum suum et reuerentiam testatus, quid de argumentis a Te, Domine, propositis sentiat, litteris ad me perscriptis breuiter exposuit; cuius schedulam huic fasciculo adiicere, quam eius mentem meis verbis referre, satius duxi. Grauissimas autem omnino rationes habes,

quibus

quibus inductus αὐϑεντίαν Diplomatis Henrici I, quod Miraeus in Codice donationum piarum protulit, in dubium voces.

De more flectendi genua coram solio Caesaris in capessendis lege beneficiaria solennibus, quae mihi venerint in mentem, in chartis adiectis scribere ausus sum, minus idoneus harum rerum existimator. Tu audenti condonabis, Maecenas Indulgentissime et ipsas chartas Tibi seruabis, aut delebis, ne in aliorum manus perueniant. Primus fertur Dom. Glafey consilium huiusmodi moris mutandi suggessisse; sed malim, vtiliori argumento illustrando operam impendisset. Quidquid detrahitur splendori Caesaris, detrahitur splendori totius Imperii Germanici.

In caeteris vti mihi semper curae erit, omnes persancti obsequii numeros implere; ita precor, vt annus hic, quem modo ingressi sumus, Tibi Excellentissime Domine, ex omni parte procedat fortunatissimus, vtque Deus Te summum huius aeui decus, et litterarum praesidium, in omne tempus florentissimum seruet, ornandaeque et firmandae illustrissimae Gentis Tuae neque modum neque finem faciat. Ad extremum oro Te, Gratiosissime Domine, vt deinceps quoque me in clientum Tuorum numero habens, et gratia Tua patrocinioque ornes. Vale.

Ad eundem *Comitem*.

Is est summae virtutis dignitatisque Tuae splendor, eaque ingenii ac doctrinae magnitudo, vt non possit non omnium oculos et mentes in se conuertere. Inter tot vero clientes, quos Tibi inusitatis istis fortunae et animi ornamentis ad venerationem illustrissimi Nominis Tui deuin-

Digitized by Google

deuinxisti, etiam ego in tanto huius aeui Maecenate colendo iamdiu singularem constitutam habeo pietatem. Confirmata haec est, immo, quod fieri non posse antea videbatur, mirum in modum aucta est, cum praeter omnium opinionem ea mihi contigerit felicitas, vt ante hoc biennium Te, Comes Excellentissime, Altorfii, coram venerari contingeret, atque in Te vno, quidquid admirabiles venerabilesque reddat homines, suspicere liceret; quanquam nemo summam in tanta dignitate animique celsitudine comitatem admirari satis ac digne venerari queat. Quo ipsum autem expertus sum eximiae gratiae Tuae exemplum, eo maior me subit pudor, cum recogito moram et tarditatem meam in restituendis duobus libris, quos ex indulgentia Tua iam per plures annos mecum tenui. Sed quae singularis Tua est clementia, Maecenas Gratiosissime, morae ignosces, cum senties, huius non leues fuisse caussas. Reddo nunc tandem et Puteolani, et Nanii ἐκδόσεις veterum panegyricorum; quarum vsum tam diuturnum me debuisse inusitatae humanitati Tuae, publice testatus sum, cum in Commentario ad Plinium pag. 735; tum in priore parte Obseruationum philologicarum ad Mamertini primum panegyricum. Sicut vero eximiae illius beneuolentiae gratiaeque Tuae obliuionem nullum unquam tempus allaturum est, ita vehementer cupio gratae mentis meae aeternaeque erga Te obseruantiae documentum quoddam dare: verum nihil praestare valeo, quod expectationi Tuae respondere queat, nisi interim tenue exemplar Commentarii Pliniani, et adiecta quaedam σχέδια, sereniore fronte respicere, et, quo nihil prius habeo, perclementis patrocinii morem mihi etiam in futurum tempus seruare digneris. Pluribus molestus esse non ausim; nisi quod ad extremum pie voueo, vt annum, quod proxime ingressus es, felicissime compleas, atque inter omnia

omnia prosperitatis genera immortalium meritorum Tuorum gloria quam diutissime sospes viuusque perfruare. Vale.

Illustrissimae Excellentiae Tuae
Domine ac Maecenas Gratiosissime

Dabam Altorfii Noric.
Pridie Non. Ianuar.
A. S. R. cIↄIↄccxxxxviii.

Cultor et Cliens aeterna pietate
obstrictissimus obsequentissimusque
Chr. Gottl. Schwarzius. P. P.

Ad eundem *Comitem.*

Cum non Saxones tantum, sed et exteri, Te velut communem huius aeui Maecenatem vno ore celebrent atque venerentur; ego quoque, quantum in illustrissimo nomine Tuo colendo suspiciendisque summis in remp. et litterariam, meritis pietatem constitutam habeo; tantam etiam colloco fiduciam in humanitate Tua prorsus singulari. Quamobrem nihil dubito; has ad Te litteras allegare, quae animi mei desiderium Tibi demisse exponant.

Scilicet iam totus occupatus sum in Panegyricis Latinis veterum illustrandis. Ad quod institutum prosequendum non pauca hucusque collegi subsidia. Cum prima pars Bibliothecae Sellianae A. 1737. Lipsiae auctioni publicae subiiceretur, animaduerti, in Catalogo duas horum panegyricorum editiones. Altera pag. 163 dicitur prodiisse ex Francisci Puteolini recognitione, alteram procurauit Paulus Nanius Venet. apud Gryphios, 1576. Iniunxeram tum Amico, vt ipsa mihi duo exemplaria redimeret; sed is, nec immerito veritus erat plus licitando quasi certare tuo mandatario. Equidem nihil exoptatius, nihilque iucundius mihi accideret, quam si duos istos libros scholasticos (quos nemo facile in incomparabili Tuo praestantissimae bibliothecae Thesauro desideraturus esset,) prece pretioque obtinere possem; verum, cum

cum ipse praeuideam, me vix huius voti compotem futurum; ea, qua decet animi demissione a Te peto Maec. Grat. vt eos libros interim in vsum trium mensium mihi benignissime indulgere digneris. Quod si ita Tibi visum fuerit, poterunt inde libri Lipsiam ad Michael. Kectium auctionarium mitti, quem rogaui, vt tum eos per tabellarium Norimb. ad me recte perferendos curet.

Ego vero non solum eosdem bona fide et dicto tempore, sartos tectosque restituam, sed etiam pro eo ac par est istud insigne beneficium humanitatis Tuae publicae praedicabo: quemadmodum iam dudum constat, Te ad ornanda et iuuanda bonarum litterarum studia natum factumque esse. Quod reliquum est, D. O. M. precor, vt Te ornamento Germaniae et huius saeculi gloriae adhuc quam diutissime saluum omniumque rerum optandam copia cumulatum seruet.

VIRO
PERREVERENDO ET AMPLISSIMO
CLARISSIMOQVE
BEYSCHLAGIO
S. P. D.
CHR. GOTTL. SCHWARZ.

Si, quam grata Tui memoria animo meo inhaeret; tam sedulo scribendi officio defungar, nullus praeterlaberetur dies, quin a me acciperes litteras Nunc uero, quanquam illa intermorietur nunquam, nescio tamen, quomodo identidem a litteris scribendis me detineant labores vel alia non magni momenti impedimenta. Interim Tu, Vir Perreuerende, quae singularis Tua est humanitas, istam in scribendo cunctationem meam vel negligentiam, ne, quaeso in malam partem interpreteris. Offero autem Tibi nunc exemplar Actorum saecularium nostrae

noſtrae Academiae, quod pro Tua beneuolentia boni consules, ita, vt, quoties id adſpexeris, noſtri ſimul benigne memineris. Faſciculum alterum Sylloges Tuae nondum poſſideo, quo vero aegerrime careo. Si indices Librorum noſtrorum ex Aldina Typographia euulgatorum dignos habueris, quos inſeras tertio quartoue faſciculo, res erit Tui arbitrii, Tuaeque humanitatis. Sed velim, vt ex duobus iſtis Indicibus per diſcipulum quendam vnum conficiendum cures, ſingulis libris in ordinem continuum annorum redactis, iisque ſimul ſuo loco annotatis, qui in ſchedula adiecta deſignati interim acceſſere. Sicubi vero eiusmodi Indicem Typographo excutiendum dederis, velim, vt quinquaginta vel ſeptuaginta ſeptem exemplaria ſeorſum, et extra ſeriem Syllages Tuae, excuti mihique mitti iubeas. Quo nomine quae impenſae pro charta et labore faciendae erunt, lubens gratusque ſoluam. Alio tempore fortaſſe et Catalogo diſſertationum mearum in tam eximio rei litterariae theſauro locum pro lubitu dare poteris. Indices autem librorum Saeculo XV. impreſſorum, vt in eandem ſyllogen referas certis ex cauſſis nondum ſuaſerim. Quaeſiuiſti nuper, ni fallor, vtra formula loquendi magis probetur: num: amicitia auro non contra? an: amicitia auro contra. Credo, vtrique ſuam conſtare auctoritatem; ſed ita, vt prior rei pretium magis augere videatur. Plautum teſtem excito, quem ipſe laudaſti. Sic ille in Epidico Act. III, Scen. 3. v. 30. Non carus eſt auro contra. Vbi Scaliger haec commentatur: Vaenire contra aurum eſt magno vaenire. Ita enim veteres ſemper fere dicebant, metaphora a lance momentanea, in qua appendebatur aes. Nam quod praeponderat, id contra eſſe, h. e. *ἀντιῤῥέπειν*, dicebant. Inde aes contrarium vocabant aes graue, auctore Feſto, ſcil. *ἀντίῤῥοπον*. Porro Plautus: Illa enim formula ſignificat rem omni auro eſſe pretioſiorem et cariorem; haec notat; rem auro eſſe aequiparandam.

VIRO EXQVISITISSIMA ERVDITIONE
ET VIRTVTE
PRAESTANTISSIMO
VALERIO RECALINATI*)
S. D.
C. G. SCHWARZ.

Quas ante hos tres menſes ad me dediſti litteras, tanta elegantia, tanta tamque recondita in omni genere ſtudiorum eruditione, tanta ſimul humanitate plenas cognoui, vt mihi nomen Tuum non poſſit non carum eſſe et venerabile. Citius pro eo, ac par fuiſſet reſpondiſſem, niſi tunc tantum laboribus obritus, fuiſſem, vt reſponſionem non ad eas ſolum, ſed et plures litteras in has vſque ferias differre neceſſe habuerim: Quamquam ne ſic quidem exſpectationi Tuae vlla ex parte ſatisfacere poſſum; vnde adeo facile intelliges, eos amicos, qui mei meminerunt, humanius benigniusque, quam verius, de me ſenſiſſe. Propoſuiſti mihi inſcriptionem antiqui monumenti, Zilleiae, in vrbe Norici veteris et colonia Romanorum, nunc Cilla dicta, in prouincia Stiriae repertam, quam vtique etiam Muratorius Tom. I. p. CLXXXII. exhibet, ſed in quibusdam vocabulis nominibusque variatam. Nomen *Iulii Maximiniani*, quod prorſus omiſit, ſequitur CALVININIVS, MARTIALIS, pro qui rectius Tibi ſcribitur, CALWENIVS AVITVS. ne idem nomen in eodem monimento bis legatur. Ad haec Tecum malim legere ATILIVS FIRMVS quam cum Muratorio ATILIVS FIRMVS. Quaeris quid ſibi velint haec verba: TITVLVM. CVM. SCR. T. D. Sed horum interpretationem dubiam, reddit Muratorii lectio: TITVLVM. CVM. SER. T. D. quod ſi mihi Tuam ſcripturam ſequuto hariolari liceat, legerem TITVLVM. CVM. SCRI-

PTO.

*) h. e. Io. Sigismund Popovitſch qui tum Ratisbonnae vixerat.

PTO. TERMINO. DEDICAVIT. vel DEDICARVNT. Quamuis enim numerus multitudinis huius verbi frequentius per DD in compendio exprimatur, non insolens tamen est, ea etiam per D. simplex aliquando designari. Non solum enim Iulius Lucifer sacerdos, sed etiam ceteri sodoles collegii mercatorum indicantur cultores Mercurii quod ad terminos scriptos eosque arae Mercurii dicatos attinet, hi aliquando tergo arte insculpebantur aliquando in peculiari codice describebantur. Agenus vero inter Goesii scriptores agrarios comment. in Frontinum de limitibus agrorum p. 61: De locis sacris, inquit, et religiosis controuersiae plurimae iure ordinario finiuntur. — Vnusquisque possessor donabat certum modum sacro illi ex agro suo; et quantum donasset scripto faciebat, vt per diem sollemnitatis eorum priuatorum agri, nullam molestiam inculcantis populi sustinerent. — De variis istius momenti, ad Mercurium spectantibus, quas commemoras, vix aliquis, nisi cui contigit, ipsum monimentum oculis intueri, certum ferre poterit iudicium. Bene coniicis, cultores istos Mercurii fuisse corpus siue collegium mercatorum, si non coriariorum, certe centonariorum, quorum frequens in vetustis lapidibus fit mentio. Centonarii vero, quod nosti, erant tum centonum confectores, qui centonibus, vestibus militaribus conterendis operam dabant, tum mercatores huiusmodi vestium velorumue ex caprorum pilis pannisue crassioribus; de cuius generis collegiis plura annotaui, cum in miscellaneis politioris humanitatis ex instituto de Collegio vtricolariorum differere. Erant plerumque liberti et libertini generis; vnde nonnulli cognomine destituti nomen patronorum adsciuere; quemadmodum dicitur VIATOR GETVLI, AVITVS MAGNI, SPECTATVS SEXTI ceteri. Mercurius Augustus appellatur, quia antiqui Deorum Dearumque nominibus augusti seu augustae addebant epitheton, in adulatione summae potestatis Caesarum, quos Diis aequare et cum Diis suis

 suppli-


supplicari videri vellent, simul augustos suorum temporum adorare consueuerant. Lusus erat sculptorum in lapidibus qui affectatae cuiusdam elegantiae gratia litteras, modo vltimarum vbicunque seiunctim modo primam modo vtrarumque in vna serie sculperent; erat et lusus librariorum cuiusque versus quorundam medii aeui maxime in Codicibus MSS. poetarum. Sic Claudianum in membranis possideo, in quo initium carminis in Rufinum hunc in modum exaratum est.

S aepe mihi dubiam traxit sententia mente M
C urarent superi terras, an nullus inesse T
R ector, et incerto fluerent mortalia cas V
N am cum dispositi quaesissem foedera mund I etc.

Quae de phallis narras, prorsus mira sunt, quae ego, quae et physici nostri videre cuperemus. Fortasse tales hi ipsi phalli fuere apud Batauos in quos Daniel Heinsius lib. II. Elegiarum iuuenilium n. 7. peculiare carmen scripsit, cui hunc titulum fecit: fabula ex occasione phallorum, qui in littore Batauico reperiuntur. Ibi, praeter alia, haec duo disticha lego:

Excidit infelix animo cythercia mater
Inguinaque, vt fuerant saucia mandat humo.
Inguina succrescunt, vt erant, veteremque figuram,
Quae fuerat phalli, nunc quoque bulbus habet.

Sed finio, ne has ipsas litteras adhuc diutius differre cogar. Ad extremum opto vt Deus Calendas Ianuarias Tibi bonisque litteris, auspicato illucescere iubeat. Vale. Dabam Altorfi prid. Cal. Ian. cIↄ Iↄ ccxxxxviii.



Eidem.

Digitized by Google

Eidem.

Tardum nomen sum, quamuis omnino improbem morem meum, quo fit, vt, si amicorum litterae in me aliis rebus occupatum, incidant, nec illico respondere possim, eae quasi oculis meis subducantur, quo minus officii mei in tempore admoneas. At, quae summa tua est humanitas, Vir egregie, nunc saltem adhuc mihi culpam deprecanti ignosces. Quae de antiquo monimento Cilleiensi aliisque rebus meditaris, luce omnino erunt dignissima. Neque enim a tali tantoque ingenio, nisi praeclara quaeque, venire possunt. Liberrime a me dissentire poteris: nec tam ineptum me putabis, qui id aegre feram. De nouo eoque reformato linguae latinae thesauro iudicium ferre nondum possum, quum eum necdum viderim nec mihi comparare cupiam, Stephani, veri auctoris editione contentus. Sed vide, quas laudes noui editoris buccinauerit praeco Lipsiensis E — professor in Lipsiensibus rerum litterariarum tabulis? Sed ego talia vix curo. Hucusque sexcentos circiter libros ab incunabulis typographiae saeculo XV typis impressos collegi; quorum indice ampliore conficiendo nunc distringor; licet enim iam antea Indices tales edere coeperim; ii tamen nimis breues sunt, neque nisi tertiam partem huiusmodi librorum, quos possideo, comprehendunt. Plures, et in his fere rariores commemorandi restant. Quod si noueris, mihique haud grauatim indicaueris, vbi huius generis libri quidam aequo pretio, venduntur rem feceris mihi gratissimam. Vale, et quod facis, me ama. Dab. Altorfii XI. April. A. S. R. cIↃ IↃ CCXXXXVIIII.

Eidem.

Quascunque a Te accipio litteras, eae ſpirant mirificam ingenii aciem, et incredibilem omnium litterarum atque antiquitatis peritiam, cum pari humanitate coniunctam. Non eſt, quod aliquid morae excuſes. Mihi potius neceſſe eſt, precari, vt cunctationi meae, ſiue, vt Ciceronianum illud huc referam, Lentuleitati ignoſcas. Libros antiquitus impreſſos rareſcere, iam ſatis ſentio; cum inter hos decem annos vix duo mihi obtigerint, quos aequo pretio redemerim. Conſilium tuum de Cremitanenſibus ſum ſecuturus, ſi per alia mihi negotia licuerit. Berolinenſes rerum in orbe litterato nouarum tabulae Altorfium non perueniunt; vnde reſciſcere nequiui, quemadmodum ibi vapularit nouus Geſneri theſaurus; eum tamen iure vapulare potuiſſe, puto: propter ea quod optimi Stephani theſaurum mutilarit potius, quam ornauerit, ac nihilo minus Stephanum tantum non auctoris nomine ac laude fraudauit. D. Roſchmanni Veldidenam recenſendam refutandamque tibi ſumſiſti, Vir doctiſſime, erudito ſane et vtili inſtituto. Is quidem, quantum animaduertere potui, omnia praeſidia, quae ad argumentum hoc illuſtrandum requiri queunt, collegit, ſibique ſolerter, comparauit; at, quod ipſe non diffiteri videtur, adhuc non niſi coniecturis ſententiam ſuam firmare anniſus eſt; quam Tu, Vir eruditiſſime ſimilibus coniecturis, quarum non eſt, quod te taedeat, refellere inſtituiſti: penes lectores autem erit, vtri parti maiorem auctoritatem tribuant: interim vtriuſque induſtria aliis fortaſſe occaſionem praebebit, vt rem accuratius ſcrutentur, et, ſi quando felici euentu fieri poterit, certioribus rationibus explanent. Tibi viſum eſt, ad me aliquam indicis partem deferre. Ad me vero, qui ipſe a Te corrigi inſtruique cupio. Nihil video, quod in his deleam, quodue emendem. Duntaxat ſolum §. X. omitterem.

Diffi-

Digitized by Google

Difficillimum, ſiglarum C. A. L. V. E. R. certam planamque interpretationem reperire. Ipſe Vaillantius, P. I. Numiſmatum in Coloniis municipiisque iure Latio donatis percuſſorum, pag. 61. fatetur, litteras coloniarum initiales interpretari, difficile eſſe: neque enim ad id ſola eruditione opus eſſe, ſed et nummorum vſum apprime neceſſarium; ac nihilominus tamen tot fere eſſe aenigmata, quot litterae. Hae voces, inquit: C. C. N. C. Colonia Concordia Norbenſis Caeſariana, communi antiquariorum conſenſu explicantur, etc. Ibi et de Tarracone habet nummum: C. V. T. C. L. CAES. AVG. F. Colonia Victrix Tarraco. Cuius Lucius Caeſares Auguſti filii etc. Communicarem Tecum hoc opus Vaillantii, niſi id Tibi iam ad manus eſſe crederem. Siglas: C. A. L. V. E R, varie poſſe explicari, facile concedo. Ita v. g. Princeps Lobkowizim in aula Vindobinenſi, ſiglas vulgatas ſanctae crucis: I. N. R. I. vt quasdam preces Patrum Ordinis Ieſu repelleret, ſic per iocum affabre interpretatus eſſe dicitur: *IAM Nihil Reportabunt Ieſuitae.* Verum eſt, veteres aliquando in antiquis monimentis ſingulas vocum litteras interpunxiſſe. Huc refero e Rubei Monimentis Breſcianis, pag. 293, hanc inſcriptionem:

Q. ANTVLEIVS
S; O; I; I; R; I; C; I; V; S
VI. VIR. AVG SIBI. ET
ANTVLEIAE VXORI etc.

Sed quid hunc in modum de voce CALVER fiat, ego quidem neſcio: interim Tua aeque ac Roſchmanni interpretatio ſingularum litterarum ſatis ingenioſa eſt; ſed vter palmam hoc quidem in re relaturus ſit, necdum decernere poſſum. Ὡς ἐν παρόδῳ noto, me in iſtis Rubei, ſeu Roſſi monimentis etiam animaduer-

 tiſſe

tiſſe locum, qui ſcribatur *Valteneſe* p. 195. item *Caluazeſe*, *Caluiſano Vacariato* p. 198. III. Sed tamen nec iſta huc faciunt. *Auguſta Rauraeorum* ex Tiberii nummis in Theſauro ſuo Golzius habet; de qua *Auguſta Rauraeorum* non nihil ad Antonini Itinerarium annotauit Weſſelingius p. 252. 253. Ex ſola monimentorum inopia vti res non probari, ita ſimpliciter negari poteſt. Quid non enim oblitterauit temporum ruinarumue vetuſtas, bellorumque ſaeuities? Erlangae ego quidem noui neminem, qui inſigniter verſatus ſit in explicandis veterum nummis, neque ſingularia nobis narrata ſunt de Hallero Goettingenſium, niſi quod hic Londinum Brittannorum euocatus maluerit Goettingae remanere, duorumque millium nummorum imperialium ſtipendio annuo frui. Denique adiicio his litteris ſchediaſma Academicum nuper a me proditum, cuius titulus, ſi videbitur, in tabulas Ratisbonenſes rerum nouarum earumque litterariarum referri poterit, niſi et ibi Tua monita addere placuerit. Vale. Altorfi d. XII. Iul. 1749.



INDEX





INDEX I.

EORVM, QVAE IN HIS OPVSCVLIS CONTINENTVR.





INDEX

Digitized by Google





INDEX II.

AVCTORVM CLASSICORVM, QVI VEL EMENDANTVR VEL EXPLICANTVR.



Digitized by Google



INDEX III.
RERVM.

A.

F. Fa-

Digitized by Google

N.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

ERRATA

Digitized by Google

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 10. lin. 30. lege *conditoribus* p. 18. lin. 18. l. *genus.* p. 24. lin. 13. l. *mari.* p. 26. lin. 4. l. *verba.* p 28. lin. 32. l. *quamuis medicina non ſemper.* p. 29. lin. 12. l. *laſciuiunt.* p. 34. l. *euenire*, p. 35. lin. vlt. dele punctum poſt *Burmannum* p. 42. l. 25. l *praetricoſa*, p. 51. lin. 4. l. *exiſtimatione*. p. 54. l. *vt huius*. p. 56. l. 10. l. *nec tamen notatu.* l. 27. lege *exiſtim.* p 65. lin. 26. l. *egiſſem.* p. 81. l. 21. poſt *concedam* pone duo puncta. p. 83. lin 30 poſt *fecerunt.* pone punctum. p. 85. lin. 3. poſt *ſolet* ſcribe punctum. lin. 4. lege *alii*. lin. 8. l. *quamuis non omnes lectores - nouerint - curent - ſciant.* p. 87. lin. 28. l. *gloriaris.* p. 88. lin. 5. l. *Accedat.* p. 90. lin. 21. l. *toto.* p. 92. lin. 31. l. *obuerſatur.* p. 39. dele comma poſt *vix.* p. 97. in nota lin. 14. l. *quod* lin. 18. l. *eamque.* lin. 19. l. *repetendam.* p. 98. lin. 23. dele colon poſt *famam.* p. 110. lin. 13. l. *mouerint.* p. 117. lin. 9. lege *apum.* p. 124. lin. 12. l. *exiſtim.* p. 129. lin. 22. lege *vultu.* p. 135. lin. dele comma poſt *magis.* p. 145. lin. 6. l. *liberis.* p. 151. lin 2. l *Brukeri.* lin. 20. l. *addicti.* lin. 27. lege *quum veteribus - fuiſſent hom.* p. 154. lin. 33. l. *eſt peſtis.* p. 160. lin. 18. l. *primi.* p. 163. lin 8. l. VETERVM. p. 173. lin. 7. l. ἀχρηστός. p. 176. lin. 34. lege *fore.* p. 177. lin. 33 l. *Curio*, *neque ſe - putare.* p. 181. lin. 2. poſt *acciperem* pone comma. p. 194. lin. 26. l. *Hanc.* p. 387. lin. 11. lege *intelligerentur.* p. 388. lin. 2. l. *paene.* p. 391. lin. 13. l. *Gataker.* lin. 16. l. *ſideribus, quibus.* p. 395. lin. 23. ſcribe comma poſt *Graeci.* p. 400. lin. 12. ſcribe comma poſt *cenſebantur.* lin. 14. l. ὂν Ξάνθον. lin. 16. l. *induit*, *nominis.* lin. 31. l. *exitus.* p. 401. lin. 11. lege ἀλληγορικῶς. lin. 27. l. *anilem.* p 403. l. 15. l. *particulas.* p. 406. l. 2. lege *prudentioribus* p. 407. lin. 17. l. *ad cultum.* p 410. lin. 5. l. *Eſtherae.* lin. 12. lege *rideres.* lin. 25. l. *generi.* p. 411. lin. 2 l. *veram.* lin. 21. l. *corruperunt.* p. 414. lin. vlt. lege *vtilitas*, *et multa ad.* p. 418. lin. penultima lege *quos.* p. 421. lin. 9. dele comma poſt *vero.* lin. 30. l. *inleuctabile.* lin. 32. l. *recentiorum.* p. 426. lin. 2. l. θεοῖσι, τόν. p 427. lin. 11. l. Ἦλθε ἐλθῶν. p. 428. lin. 29. l. πεπρωμένον. lin. 32. dele *deorum* ante *velit.* p. 429. lin. 2. lege, *retinere*, *ita tamen vt Fato non viderentur.* p. 430. lin. 7. l. ὁμότιμον. p. 435. lin. 2. l. Οὐδ'. p. 437. lin. 1. lege *murum* lin. vlt. l. αἰσθάνομαι τῶν. p. 438. lin. 30. lege *haec.* p. 442. lin. 15. l. ὕστερον. l. 17. lege οἱ — — ταῦτ' ἐστι.

Digitized by Google

ꝏι. p. 444. lin. 19. l. *explicanda*. p. 445. l. 2. lege *exempl.* lin. 18. lege *venustatem* p. 454. lin. 26. l. *licet*. p. 455. lin 31. lege *finem vitae*. lin. 33. dele comma post *postea*. p. 465-467-469 lin. supremis l. 10. KAPPII EMENDAT. ET CONIECTVRAE IN CORN NEP p. 473. lin. 4. l. *γὰρ - παρὰ* lin. 10. post *diceretur*, adde: *Callimach. H. in Dian. verss.* 143. sqq p. 474. lin. 4. lege *Andocidis*. lin. 12. l. *quem*. p. 476. lin. 17. l. *λόφοις*. l. 27. lege *ὅδιος — ἡγεμόνιος*. p. 477. lin. 4. l. *edit. M. Andr*. p. 478. post *interpreteris* pone punctum. p. 482. lin. 13. lege *ἀληθῶς*. p. 483. lin. 17. scribe *agemus*,) p. 486. lin. 1. lege *facio*. p. 488. lin. 3. lege *Agamemnon*. p. 490. lin. 29. l. *ταύτῃ*. p. 492. lin. 12. dele punctum post *prodidit*. lin. 14. l. *Moerin*. p. 495. lin. 22. l. *sacrificia*. lin. 32. lege *ὥς*. p. 497. lin. 24. dele punctum post *illustrauit*. p. 499. not. lin. 3. l. cIↄIↄCCLVI. p. 531-544. l. supr. BEYSCHLAGII LITTERAE AD SCHWARZIVM.

Haec fere sunt errata typographica, quae, opuscula leuiter recognoscendo, animaduerti: reliqua maioris minorisue momenti vel a me vel a typothetae incuria profecta, et vitia interpunctionis, tu ipse L. B. emendes atque infirmitati humanae ignoscas quaeso.



MAG 2014955

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google


Digitized by Google